IN OMNES PSALMOS COMMENTARIUS LITERALIS ET HISTORICUS, IN...

Siméon Marotte : de Muis,
Giovanni Battista Coccini




6
39ИN
28



IN OMNES
PSALMOS
COMMENTARIVS
LITERALIS ET HISTORICVS,

In quo Psalmorum argumenta accuratè tractantur, ac probantur, perpetuúsque singulorum versuum contextus dilucidè ostenditur:

CVM VERSIONE DVPLICI,
Vetere, & Nouâ ex Hebræo Fonte expreßâ, & ad Veterem, quoad licuit, redactâ:

Autore SIMEONE DE MVIS, Aurelianensi, Sacrarum Hebræarúmque literarum apud Parisios Professore Regio.

TOMVS SECVNDVS
Psalmorum posteriores libros tres complectens.







PARISIIS,
Apud IOANNEM PETIT-PAS, viâ Iacobæâ, sub scuto Venetiarum.

M. DC. XXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO
GABRIELI ALBASPINAEO,
REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS,
Aurelianensium Præsuli, ordinis Sancti Spiritus sodali, &c. *SIMEON DE MVIS*, Regius Hebræarum literarum Professor salutem precatur.

R*AVLO qui est prudentior*, Præsul Illustrissime, *se aut vllum ingenii sui monumentum publicæ luci non antè audet committere, quàm patronum sibi adsciuerit: ac præsertim si quod edit, vulgus imperitum fortè commouere poßit, tum aliquem raræ doctrinæ ac singularis deligit, cuius vel solo*

nomine à calumniis tutus ſit. Quærenti mihi cuius in clientelam & fidem meos in tertium Pſalmorum librum commentarios traderem, tu ex tot luminibus, quæ Galliam noſtram, imo Europam exornant, occurriſti, quem admirabiles animi dotes vniuerſo orbi faciunt ſpectabilem. Quid enim à memoriâ hominum tam remotum, quod tanquam præſens non cernas? Omnia antiquitatis monumenta quaſi digitos tenes. Nihil in ſacris vtriuſque Inſtrumenti voluminibus tam abſtruſum, quò ſubtili mentis acie non penetres. Diuina illa opera dudum à te orbis bono in lucem emiſſa teſtantur & palàm loquuntur qui ſis: quæ dum legimus, non putamus interdum te viuere, ſed iam olim vixiſſe, qui tam planè noris quæ olim ſunt geſta: téque cum ſanctis illis priſci æui patribus familiariter verſatum, qui tam planè ac probè ſingula eorum dicta & facta no-

bis refers ac depingis, quasi tute audieris, tute videris, tute coràm interfueris de rebus diuinis differentibus; sacrosque ritus, & veneranda Religionis mysteria solemni more obeuntibus. Ita nos, Præsul illustrissime, *qui te, vt possumus, quando, vt volumus, non licet, colimus atque admiramur, grato ac iucundo errore decipimur, quoties tua legimus. Sed Hæretici viuum te ac spirantem (atque vtinam diu) magno suo malo sentiunt, quos tuis scriptis verberas vsque ad necem: imo mortuum viuum adhuc sentient, quoties legent tua scripta. Cùm tantus sis,* Præsul illustrissime, *eccui ego potiùs quàm tibi hoc opusculum, quod versionis & interpretationis nouitate vereor vt in vulgus inuidiâ laboret, tutandum commendem? Cuius patrocinium si suscipias, quis audeat allatrare? Accedit,* Pręsul amplissime, *quod in Aurelianensi solo*

natus tibi Antistiti meo hanc ſaltem laborum meorum partem obſeruantiæ ergo conſecrare debui: imo omnes debuiſſem, niſi nouum exponendorum Pſalmorum conſilium, quod forſan non omnes probabunt, plures ambire patronos coegiſſet. Tuum eſt, Præſul illuſtriſſime, *clientem tuum, qui omni te obſequio colit, atque æternùm colet, defendere. Vale*, Præſul illuſtriſſime, *& viue diu Eccleſiæ & Regno. Lutetiæ*, 4. *Idus Augusti, anno Christi ſexcenteſimo viceſimo nono ſupra milleſimum.*



PSALMORVM LIBER TERTIVS

CVM COMMENTARIO.

PSALMVS

LXXII. Heb. LXXIII.

VERSIO

Vetvs.


Psalmvs Asaph. Quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde!
2 *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.*
3 *Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.*
4 *Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.*
5 *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*
6 *Ideò tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate & impietate sua.*
7 *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.*
8 *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.*
9 *Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.*
10 *Ideò conuertetur populus meus hîc: & dies pleni inuenientur in eis.*
11 *Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?*
12 *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias.*
13 *Et dixi, Ergo sine causa iustificaui*

Nova.

Psalmvs Asaph. [a] Veruntamē bonus Israëli Deus, iis qui mundo sunt corde. [a] vel Verè
2 Et ego, pene declinauerunt pedes mei: pene effusi sunt gressus mei.
3 Quia zelaui [b] super insanos, pacem peccatorum [c] videns. [b] in [c] videbam.
4 Quia non (sunt) ligamenta morti eorum, & firma (est) fortitudo eorū.
5 In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur.
6 Ideo vt torques cingit eos superbia: operit ornamentū violētiæ illos.
7 Exit præ adipe oculus eorum: transierunt cogitationes cordis.
8 Dissoluunt, & loquuntur malitiosè rapinam: de Excelso loquuntur.
9 Ponunt in cælum os suum, & lingua eorum ambulat in terra.
10 Ideo reuertitur populus eius huc, & aquę (calicis) pleni exprimūtur eis.
11 Et dicunt, Quomodo scit Deus, & est scientia in Excelso?
12 Ecce isti peccatores, & pacifici seculi multiplicant [d] diuitias. [d] vel vire.
13 Profectò [e] sine causa mundaui cor [e] in vanū


6
39ИN
28





IN OMNES

PSALMOS

COMMENTARIVS

LITERALIS ET HISTORICVS,

In quo Psalmorum argumenta accuratè tractantur, ac probantur, perpetuúsque singulorum versuum contextus dilucidè ostenditur:

CVM VERSIONE DVPLICI,

Vetere, & Nouâ ex Hebræo Fonte expressâ, & ad Veterem, quoad licuit, redactâ:

Autore SIMEONE DE MVIS, Aurelianensi, Sacrarum Hebræarúmque literarum apud Parisios Professore Regio.

TOMVS SECVNDVS

Psalmorum posteriores libros tres complectens.







PARISIIS,
Apud IOANNEM PETIT-PAS, viâ Iacobæâ, sub scuto Venetiarum.

M. DC. XXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO
GABRIELI ALBASPINAEO,
REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS,
Aurelianensium Præsuli, ordinis Sancti Spiritus sodali, &c. *SIMEON DE MVIS*, Regius Hebræarum literarum Professor salutem precatur.

PAVLO *qui est prudentior*, Præsul Illustrissime, *se aut vllum ingenii sui monumentum publicæ luci non antè audet committere, quàm patronum sibi adsciuerit: ac præsertim si quod edit, vulgus imperitum fortè commouere possit, tum aliquem raræ doctrinæ ac singularis deligit, cuius vel solo*

nomine à calumniis tutus ſit. Quærenti mihi cuius in clientelam & fidem meos in tertium Pſalmorum librum commentarios traderem, tu ex tot luminibus, quæ Galliam noſtram, imo Europam exornant, occurriſti, quem admirabiles animi dotes vniuerſo orbi faciunt ſpectabilem. Quid enim à memoriâ hominum tam remotum, quod tanquam præſens non cernas? Omnia antiquitatis monumenta quaſi digitos tenes. Nihil in ſacris vtriuſq; Inſtrumenti voluminibus tam abſtruſum, quò ſubtili mentis acie non penetres. Diuina illa opera dudum à te orbis bono in lucem emiſſa teſtantur & palàm loquuntur qui ſis: quæ dum legimus, non putamus interdum te viuere, ſed iam olim vixiſſe, qui tam planè noris quæ olim ſunt geſta: téque cum ſanctis illis priſci æui patribus familiariter verſatum, qui tam planè ac probè ſingula eorum dicta & facta no-

bis refers ac depingis, quasi tute audieris, tute videris, tute coràm interfueris de rebus diuinis differentibus; sacrosque ritus, & veneranda Religionis mysteria solemni more obeuntibus. Ita nos, Præsul illustrissime, *qui te, vt possumus, quando, vt volumus, non licet, colimus atque admiramur, grato ac iucundo errore decipimur, quoties tua legimus. Sed Hæretici viuum te ac spirantem (atque vtinam diu) magno suo malo sentiunt, quos tuis scriptis verberas vsque ad necem: imo mortuum viuum adhuc sentient, quoties legent tua scripta. Cùm tantus sis,* Præsul illustrissime, *eccui ego potiùs quàm tibi hoc opusculum, quod versionis & interpretationis nouitate vereor vt in vulgus inuidiâ laboret, tutandum commendem? Cuius patrocinium si suscipias, quis audeat allatrare? Accedit,* Pręsul amplissime, *quod in Aurelianensi solo*

natus tibi Antistiti meo hanc saltem laborum meorum partem obseruantiæ ergo consecrare debui: imo omnes debuissem, nisi nouum exponendorum Psalmorum consilium, quod forsan non omnes probabunt, plures ambire patronos coegisset. Tuum est, Præsul illustrissime, *clientem tuum, qui omni te obsequio colit, atque æternùm colet, defendere. Vale*, Præsul illustrissime, *& viue diu Ecclesiæ & Regno. Lutetiæ*, 4. *Idus Augusti, anno Christi sexcentesimo vicesimo nono supra millesimum.*



PSALMORVM LIBER TERTIVS

CVM COMMENTARIO.

PSALMVS

LXXII. Heb. LXXIII.

VERSIO

VETVS.

PSALMVS *Asaph. Quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde!*
2 *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.*
3 *Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.*
4 *Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.*
5 *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*
6 *Ideò tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate & impietate sua.*
7 *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.*
8 *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.*
9 *Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.*
10 *Ideò conuertetur populus meus hîc: & dies pleni inuenientur in eis.*
11 *Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?*
12 *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias.*
13 *Et dixi, Ergo sine causa iustificaui*

NOVA.

PSALMVS Asaph. [a] Veruntamē bonus Israëli Deus, a vel Verè
iis qui mundo sunt corde.
2 Et ego, pene declinauerunt pedes
mei: pene effusi sunt gressus mei.
3 Quia zelaui [b] super insanos, pa- b in
cem peccatorum [c] videns. c videbam.
4 Quia non (sunt) ligamenta morti
eorum, & firma (est) fortitudo eorū.
5 In labore hominum non sunt, &
cum hominibus non flagellantur.
6 Ideo vt torques cingit eos superbia:
operit ornamentū violētiæ illos.
7 Exit præ adipe oculus eorum: transierunt
cogitationes cordis.
8 Dissoluunt, & loquuntur malitiosè
rapinam: de Excelso loquuntur.
9 Ponunt in cælum os suum, & lingua
eorum ambulat in terra.
10 Ideo reuertitur populus eius huc,
& aquę (calicis) pleni exprimūtur eis.
11 Et dicunt, Quomodo scit Deus, &
est scientia in Excelso?
12 Ecce isti peccatores, & pacifici seculi
multiplicant [d] diuitias. d vel vere.
13 Profectò [e] sine causa mundaui cor e in vanū

meum, & laui in innocentia manus
meas.
f Nam 14 [f] Et fui flagellatus omni die, &
caſtigatio mea in matutinis.
15 Si, dixi, narrabo ſic: ecce (in)ge-
nerationem filiorum tuorum præua-
ricatus ſum.
16 Itaque cogito vt cognoſcam hoc:
g heb. in oculis meis. (ſed) labor eſt [g] ante me.
17 Donec intrem in Sanctuaria Dei:
intelligam in nouiſſimo eorum.
18 Verè in lubricis ponis eis: deijcis
eos in deſolationes.
19 Quomodò ſunt in deſolationem
ſubitò: deficiunt, conſumuntur à ter-
roribus!
20 Velut ſomnium ſurgentium, Do-
mine, in ciuitate imaginem illorum
ſpernis.
21 Profectò exacerbatur cor meum,
& (in) renibus meis pungor.
22 Et ego brutus, & neſcio: iumenta
factus ſum apud te.
23 Et ego ſemper tecum: tenuiſti
manum dexteram meam.
24 In conſilio tuo deduces me, &
poſtea (ad) gloriam ſuſcipies me.
25 Quis mihi (eſt) in cælo? & te-
cum nihil volo in terra.
26 Defecit caro mea & cor meum:
h vel robur [h] Deus cordis mei, & pars mea Deus
in æternum.
27 Quia ecce, qui elongant ſe à te,
i heb. omnē fornicantem peribunt: perdidiſti [i] omnes qui for-
nicantur abs te.
l appropinquare 28 Mihi autem [l] adhærere Deo bo-
num (eſt:) poſui in Domino Deo
ſpem meam: vt enarrem omnia opera
tua.

cor meum, & laui inter innocentes ma-
nus meas.
14 *Et fui flagellatus tota die, & caſti-*
gatio mea in matutinis.
15 *Si dicebam, Narrabo ſic: ecce natio-*
nem filiorum tuorum reprobaui.
16 *Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc:*
labor eſt ante me:
17 *Donec intrem in Sanctuarium Dei:*
& intelligam in nouiſſimis eorum.
18 *Verumtamen propter dolos poſuiſti*
eis: deieciſti eos dum alleuarentur.
19 *Quomodò facti ſunt in deſolationem,*
ſubitò defecerunt: perierunt propter ini-
quitatem ſuam.
20 *Velut ſomnium ſurgentium Domi-*
ne, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad
nihilum rediges.
21 *Quia inflammatum eſt cor meum,*
& renes mei commutati ſunt: & ego ad
nihilum redactus ſum, & neſciui.
22 *Vt iumentum factus ſum apud te:*
& ego ſemper tecum.
23 *Tenuiſti manum dexteram meam,*
& in voluntate tua deduxiſti me: &
cum gloria ſuſcepiſti me.
24 *Quid enim mihi eſt in cælo? & à te*
quid volui ſuper terram?
25 *Defecit caro mea, & cor meum: Deus*
cordis mei, & pars mea Deus in æter-
num.
26 *Quia ecce, qui elongant ſe à te, peri-*
bunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur
abs te.
27 *Mihi autem adhærere Deo bo-*
num eſt: ponere in Domino Deo ſpem
meam:
28 *Vt annuntiem omnes prædicationes*
tuas, in portis filiæ Sion.

COMMENTARIVS.

Argumētum. ASAPH *huius Pſalmi autor, vt poſtea oſtendetur, ſceleratorum hominum felicitatem, contrà piorum miſerias conſiderans, quanquam vir eſſet ſumma ſapientia inſtructus, interdum non parum animo turbatus eſt. Ea res occaſionem dedit huic carmini, in quo, poſtquam ſcilicet omnem dubitationem de Dei prouidentia, quam illa cogitatio, & carnis infirmitas ſuadebat, excuſſiſſet, ſic ex abrupto ait, Veruntamen, quæcumque tandem in contrarium partem adferri poſsint, certum eſt & indubitatum Deum bonos amare. Equidem, inquit poſtea, quod ad me etiam attinet, ſateor parum abfuiſſe, quin vacillarim, imò præceps ruerim in errorem. Vrebat me ſiquidem, & vehementer offendebat iſta, quæ vulgò*

cernitur, sceleratorum hominum perpetua felicitas. Illi namque vel in ipso mortis articulo adhuc vigent, integris sunt viribus, ita vt absque morbo & dolore placidè expirent: toto autem vitæ tempore quasi mortalitatis legibus soluti communem hominum sortem non experiuntur. Quò fit, vt prosperis rebus elati alios omnes præ se contemnant, ideòque etiam securè eorum bonis abutantur. Quid mirum autem quòd sic superbiant & ferociant, qui in omnibus delicijs & sagina viuunt, copiâ & luxu vota superante? Quamobrem videas illos cæteris hominibus infra se, vt ipsi quidem putant, longè positis metum & terrorem incutere, nihil aliud quàm rapinam & violentiam superbè crepantes ac minitantes: imò & de Excelso blasphemo ore pronuntiantes, neque superis neque inferis maledicendo parcentes: & ista omnia impunè. Hinc ergò fit, vt pij sæpe grauiter offendantur, & dicant, Qui fieri potest, vt numen sit aliquod, cui res istæ curæ sint? Namque impij illi omnibus bonis soli circumfluunt, soli tranquillam & beatam vitam agunt. Certè ego etiam, fateor, quum video nefarios homines, omnibúsque vitijs contaminatos adeo liberaliter & clementer à Deo tractari, ita concuti me sentio interdum, vt prima fronte mihi videar frustra innocentiæ & morum integritati studuisse, quandoquidem perpetuis vexer miserijs, nullúsque exoriatur dies, qui non aliquod mihi importet malum. Verùm ego rem diligentiùs expendens sic statuo: Si pergam ita sentire ac loqui, magnâ profectò iniuriâ, ô Deus mi, pios homines afficio, quos tu non secus ac charissimos filios diligis. Itaque mihi faciendum putaui vt huius rei caussam inuestigarem, sed frustra, donec Sanctuaria Dei ingressus ex Doctorum ore didici non ad hoc nasci hominem, vt caducis huius mortalis vitæ bonis tantùm fruatur, sed vt æternis, ideòque quàm miserrimos censendos improbos, qui in sua impietate morientes his æternùm priuantur. Nunc igitur Dei verbo edoctus de impiorum in hac vita statu sic pronuntio; Verè tu, ô Deus, dum impios ad summum opum & honorum fastigium euehis, in excelso, sed lubrico loco mihi videris illos collocare, in quo diu insistere non valeant, quin ruant in æternum exitium: tu illos blanditijs veluti allicis, vt tandem miseros in præcipitia deijcias. Et quàm multi paulò momento ex illo vmbratilis & imaginariæ fœlicitatis fastigio deturbati, & subitis horroribus perculsi, instar inanis somnij prorsus euanescere ex oculis suorum ciuium, quos aliquandiu admirabundos magnitudine potentiæ tenuerunt, quotidie cernuntur? Profectò sceleratorum hominum fœlicitatem quum adspicio, sentio commoueri me interdum vehementiùs, acriùsque pungi, nec magis, quàm brutum animal, intelligere. Nihilominus tamen nunquam à te defeci, qui mihi aliquo lapsuro dexteram semper porrexisti. Tu me igitur deinceps tuo consilio rege, sicuti fecisti hactenus, tandémque post mortem tuæ gloriæ fac participem. Quem enim cùm in terris, tum in cœlis consulam nisi te? Quem suspirem nisi te, Deus meus? Tui desiderio totus animo & corpore contabesco: tu Deus quippe, ac robur cordis mei: tu pars atque hæreditas mea æterna, Deus meus. Pereant funditus necesse est quotquot, te relicto, falsa adorant numina, alióque se conferunt. Itaque sic statuo, nihil mihi esse melius, quàm tibi vni adhærere, in te solo spes meas omnes collocare: quò scilicet votorum factus compos admirabilia bonitatis & prouidentiæ tuæ facinora celebrare æternùm possim.

1.' *Psalmus Asaph.* Huius & decem sequentium Psalmorum ex Hebræorum, & D. Hieron. sententia autor est Asaph. Sunt qui illos Dauidi tribuant, qui tamen Asapho decantandos tradiderit. Genus profectò dicendi obscurius & sublimius arguit alium autorem, quàm Dauidem, cuius oratio planior esse solet. Asaph quis fuerit, docebit historia 1. Paral. 6.39. vbi inter eos, quos Dauid musicæ præfecit, recensetur. Genebrardus eius spiritum hoc habuisse peculiare ait, vt de rebus Ecclesiæ tristibus meditaretur. Vnde hic tertius liber, inquit, continet ferè perpetuas querimonias.

Veruntamen bonus Israëli Deus, &c. Sic ex abrupto exorditur. Postquam videlicet multa secum agitasset, quæ Dei prouidentiam viderentur labefactare, excussâ tandem omni dubitatione, *Veruntamen*, ait, *bonus Israëli Deus*, &c. quasi diceret, Etsi

A piis hominibus tot res aduersæ, tot mala interdum accidunt, vt à Deo negligi videri possint, nec magis Deo esse curæ, imò minus fortasse quàm impij, quibus plerumque nihil ad felicitatem deest, nihilominus sic statuendum profectò, optimè affectum esse erga pios homines Deum, qui boni operis præmium in alteram vitam differt: qui, si quæ mala piis immittit, eorum vtilitati cōsulit, perque ea ad æterna & sempiterna bona studet perducere. *Id enim quod in præ-*

B *senti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt*, vt scribit Apostolus 2. ad Corinth. 4. Hoc sensu acceperunt Rasi & Kimhi. Addo hoc præterea. Est viris sanctis familiaris

hæc exordij ratio, quum liberiùs agere, atque, vt ita dicam, expostulare cum Deo volunt, vt priùs à Deo remoueant omnem iniustitiæ aut inconsiderantiæ suspicionem. Asaph igitur, quem huius Psalmi autorem diximus, querelam de impiorum prosperitate informaturus, ne tam incusare quid faciat Deus, quàm ignorare quid ipse velit, videatur, hoc exordium præmittit, *Veruntamen*, seu *Profectò* (vtrumque enim significat particula אך *ach*, & posteriore modo accipi posse hoc loco docet Kimhi) *bonus est Israëli Deus*, &c. *Israëli* seu *Israëlitis*, non omnibus, sed solùm veris, in quibus dolus non est: quò pertinet alterum membrum, *ijs qui mundo sunt corde*, quasi dicat, non omnibus Israëlitis quidem, sed ijs duntaxat, qui intus & animo, adeóque foris & ratione externarum actionum etiam mundi sunt. Ieremias eximius Dei propheta cap. 12. similem querelam instituens sic incipit, *Iustus es, Domine, si disputem tecum: veruntamen iudicia loquar tecum*, &c. Habacuc suę Prophetię cap. 1. v. 13. & 14. sic ait, *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris: quare non respicis super iniqua agentes, (&) taces deuorante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris: quasi reptile non habens principem.*

2. *Et ego, pene declinauerunt* &c. Magnum habet pondus quod ait, *Et ego*, quasi hoc velit: Ego etiam qui alioquin toties cùm in aliis, tum in meipso Numinis prouidentiam expertus sum, de illa pene dubitaui, imò nullam dari, neque esse iudicium, neque iudicem (sic loquuntur Hebræi) pene statui, quum scilicet quotidie cernerem omnia improbis ac sceleratis ferè ad nutum contingere, quò spectat posterius membrum mox sequentis versus, *pacem peccatorum videns.* Nota. Crescit oratio in hoc versu. Nam plus est *pene effundi gressus*, quàm *pene declinare pedes*: illud enim est euersis pedibus pene ruere, & quidem è præcipitio, præcipitium enim notare videtur *effundendi* verbum; hoc verò tantùm est pene titubare ac vacillare. Nemo est profectò tam sapiens, qui interdum non vacillet ac turbetur, dum videt malis bene, bonis verò malè esse in hac vita, nec quid sit bonum, quid verò malum satis diiudicat, & fœlicitatem putat quæ non est fœlicitas, & contrà, carnem scilicet consulens, nõ spiritum. Idcirco Habacuc cap. 1. vers. 4. dicit, *Propter hoc debilitatur Lex, (& dicunt,) Non egredietur in æternum iudicium; quia impius præualet aduersùs* (ad verb. *circundat*) *iustum: propterea (aiunt,) Egredietur iudicium peruersum.*

A 3. *Quia zelaui*, seu, *æmulatus sum* &c. Ratio præcedentis versus. Parum abfuit, inquit, quin de Prouidentia dubitarim. Nam improbos ex præsenti fœlicitate æstimans, beatos iudicaui, adeóque illorum me esse similem optaui, saltem quod ad opes, cæteráque huius vitæ bona pertinet. Summa, Quia malè me habet improborũ fœlicitas. Per *insanos* intelligit impios, quippe qui stultitiam & insaniam suam produnt, dum, spreto Deo, falsa sequuntur bona, cupiditatibus indulgentes, iisque tantùm studentes, B quæ voluptatem aliquam adferre possunt: etsi istos vsus & vita communis prudentes & sapientes appellare solet. Græcus & Lat. ad sensum verterunt *iniquos.*

4. *Quia non (sunt) ligamenta morti eorum*, &c. Sequitur deinceps longa posterioris membri præcedentis versus expolitio: explicatúrque prolixè improborum prosperitas, simul & illorum peruersa viuendi ratio.

Quia non (sunt) ligamenta &c. Sensus, Cerno & experior quotidie improbis bene C esse. Nam illi vsque adeo, inquit, fœlices sunt toto vitæ tempore, vt etiam placidè absque dolore moriantur, & ad punctum mortis vsque firmis sint viribus. Singula iam consideremus. *Non (sunt) ligamenta morti eorum*, id est, facilè, & in puncto temporis extinguuntur, breui momento expirant. Qui diu luctatur cum mortis doloribus, is vinculis quibusdam teneri videtur, quominus eat ad mortem. Ergò *non sunt ligamenta morti eorum*, nihil aliud est, quàm nulli D cruciatus, ac morbi morti eorum interueniunt, mors illorum nullis retardatur morbis. Hoc pacto accepit Aquila, qui vertit, Οὐκ εἰσὶν δυσπάθειαι τῷ θανάτῳ αὐτῶν. Hanc interpretationem iuuat illud, quod de impiis Iob dicit cap. 21. 13. *Ducunt (aliis Finiunt) in bonis dies suos, & in puncto (ad) sepulchrum descendunt.* Hoc sensu prius huius versiculi membrum accepit Kimhi. Ezra allatis aliorum interpretationibus, tandem sic exponit ipse, Etiam dum illi moriuntur, absque morbis, & dolore vllo mo- E riuntur, quasi eorum anima non esset corpori alligata. Placet Genebrardus, qui hoc, *non (sunt) constrictiones* siue *vincula morti eorum*, putat esse periphrasim extremæ senectutis poëticam: quasi dicatur, perueniũt ad extremam senectutem, quo tempore, vt fructus valde maturus ex arbore, sponte decidit anima è corporis vinculo. Recidit tamen hæc interpretatio in superiores. Græcus vertit *non est* ἀνάνευσις, id est, repulsa, *in morte eorum.* Geneb. ait fortassis Septuaginta vertisse ἀνάδεσις, *religatio, constrictio.* Latinus interpetatus est, *non est respectus*

(hîc legi fortasse posse *despectus* ex græca voce putat Geneb.) *morti eorum*, id est, mortem non considerant, neque respiciunt: non afficiuntur timore mortis: tam sani sunt ac vegeti, vt de morte nunquam cogitent. Hoc modo accepit Chald. qui interpretatus est, *non ipsi terrentur, & dolore afficiuntur ob diem mortis suæ*. Hoc modo quidam ex veteribus Hebræorum, qui, vt obseruat Rasi, explicant חַרְצֻבּוֹת *charsubboth*, quod cum aliis exposuimus *ligamenta*, explicant, inquam, quasi sit notaricum, quod dicitur, seu compendium scribendi, pro, חָרְדִין וַעֲצִבִין *charedhin vaatsebin*, & sensus sit, non terrentur nec dolore afficiuntur ob diem mortis. Sed hoc vltimum est allegoricum prorsus, sicuti & illud, quod est in Deras, & referunt Kimhi, & Rasi, nimirum prædictam vocem esse compositam ex מְאַחֵר *meacher*, quod significat *retardans*, & צִבְיוֹנוֹת *tsiuionoth*; id est, *desideria* seu *cupiditates*: quasi sensus sit, *non retardat* Deus *desideria ipsorum vsque ad mortem eorum*, sed quicquid optant, illis concedit: quod quidem hac explicatur similitudine: Quemadmodum Medicus deploratum morbum agnoscens ægrotanti omnium ciborum vsum permittit: sic impiis, quorum est desperata salus, omnia, quæ cupiditatem explere possunt, concedit Deus. Ad istum fere modum legere est in Deras. Melius est profectò prædictam vocem accipere in ea significatione, quam habet Es. 58. 6. vbi pro *colligationibus* seu *vinculis* à Græco etiam & Lat. exponitur. *Et firma (est) fortitudo eorum*. Sensus, quin ad punctum mortis vsque bellè ac bene se habent, firmæ sunt illorum vires. Sunt qui, vt referunt Ezra, & Kimhi, interpretentur, *& firmi sunt*, ad verb. *firmus est*, eorum scilicet quilibet, *(sicut) palatium*. Omitto breuitatis gratiâ alias expositiones.

5. *In Labore hominum* &c. Sensus, Cùm laboriosa sit atque ærumnosa mortalium vita, illi tamen nihil mali experiuntur, aut si interdum, fieri enim aliter non potest, sensus aliquis communium malorum ad ipsos perueniat, habent prompta remedia, diuitias scilicet, quibus illa mala facilè leniant, atque etiam euitent: imò quum cæteros homines Deus castigat, ijs parcit, atque indulget, quod significat posterius membrum, *& cum hominibus non flagellantur*, morbis videlicet, bellis, aliisque calamitatibus, quibus, tanquam flagellis, Deus hominum genus castigare solet. Vnde hoc: nisi quia Deus pro vernulis improbos habet, pro filiis probos: ideòque hos tristiori disciplina continet, illorum sæpe tolerat licentiam. Kimhi sic fermè habet ad hunc versum: *In labore hominis* (ærumnosi propriè, nam in Fonte est אֱנוֹשׁ *enosch*) *non sunt*, id est, in labore reliquorum hominum, quorum vita opera est: non ex iis sunt qui coguntur labore victum quæritare, sed victum & cætera vitæ commoda absque labore assequuntur: quæque clades & morbi cæteris hominibus contingunt, illos haud attingunt, nec cum reliquis mortalium ipsi flagellantur. Sic pene ille.

Seneca.

6. *Ideo vt torques cingit eos superbia*. Figurata loquutio, quâ hoc vult significare, impiorum illorum colla superbiâ, quasi aureo torque, circundari. *Operit ornamentum violentiæ illos*. Alia figurata loquutio, quâ hoc vult, impios illos violentiâ & rapinâ, sic tanquam veste, indui, hoc est, non sæpius veste vti, quàm violentia, hacque quasi pulchra aliqua veste, palàm gloriari & superbire. Hoc versu igitur significat Asaph impios rebus prosperis, & ad nutũ fluentibus ita efferri & insolescere, vt omnes alios homines præ se contemnant, ideóque eorum bonis & fortunis non vereantur palàm vim adferre, suum fastum, ac tyrannidem in publica luce non aliter ostentantes, quàm aliquis aureum torquem, & magnificam vestem.

7. *Exit præ adipe oculus eorũ*, hoc est, iuxta Rasi & alios, Oculi eorũ præ adipe turgent aut prominent; cõtra quàm macilẽti oculos habent depressos. Kimhi sic ferè explicat, Præ nimio adipe quasi exiisse videntur ipsorum oculi, iámque non esse: ita enim toti densa pinguitudine operti sunt. Sunt, in quibus R. Moses, qui *oculum* hoc loco synecdochicõs pro tota facie, aspectu, seu colore accipiant, quasi diceretur, Præ pinguedine eorum facies, & vultus splẽdescit, nitet, proditque veluti, & in spectantium oculos incurrit: viuidus est eorum aspectus & color. Sic erit vertendum, *Prodit præ adipe vultus eorum*. Chaldæus interpretatus est, *Immutata est præ adipe facies eorum*. *Transeunt cogitationes cordis*, hoc est, secundùm Rasi & Kimhi, multò plura assequuntur, quàm cogitauerint, aut cupierint: supra spem ac præter expectationem illis omnia contingunt. Sensus esse potest, plura nanciscuntur quàm humana mens & cupiditas potuerit cogitare aut sperare. Sic ex Ezra, Græc. & Lat. transtulerunt hunc versum, *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum: (iniquitas eorum* ex עֲוֹנֵימוֹ *anonemo*, pro עֵינֵימוֹ *enemo) transierunt in affectum cordis*, haud incommodo sanè sensu, ex nimiâ abundantiâ & saturitate fit, vt iniquè agant explentes cordis desideria.

8. *Dissoluunt* seu *Tabescere faciunt*, pio-

rum ſcilicet animos, ſæuis & ſuperbis ſuis A illud & lingua, quam in cælum ponunt, eſt dictis. *Et loquuntur malitioſè rapinam*, id eſt, ex Raſi, & aliis, palàm loquuntur de opprimendis tenuioribus, quæ ſumma eſt malitia. Ex Kimhi & aliis ſic hoc exponendum, eò malitiæ atque impudentiæ deuenerunt, vt non vereantur ampliùs ſuas rapinas iactitare; tantum abeſt vt occultare ſtudeant: imò etiam *de excelſo loquuntur*, negantes aliquem ſe eſſe ſuperiorem, qui poſſit punire, & in ſcelera animaduertere. Raſi, Ezra & alij poſterius membrum eodem modo accipiunt, quo Kimhi. B Ac Raſi quidem exempli gratiâ nominat Pharaonem, Sennacherib & Nabuchodonoſor: Pharaonem, cuius arrogans illud dictum legitur Exod. 5. 2. *Quis (eſt) Dominus vt audiam vocem eius*, &c. Sennacherib, cuius illud 2. Reg. 18. 35. *Quinam illi ſunt in vniuerſis dijs terrarum*, &c. Nabuchodonoſor, cuius illud Eſa. 14. 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*. Poſterius membrum Latinus aliter diſtinxit, & vertit, *iniquitatem in* (Heb. *de*) *excelſo lo-* C *quuti ſunt*, non incommodo ſenſu, in ſublimi & alto dignitatum faſtigio collocati nihil aliud quàm rapinam loquuntur: vel, quod eòdem recidit, è ſublimi reliquos infra ſe deſpicientes rapinam loquuntur. Chaldæus ab hac ſententia non longè abit, qui interpretatus eſt totum hunc verſum ad iſtum modum, *Diſſoluuntur præ pinguedine, & loquuntur vt malè faciant, & ad oppreſſionem de excelſo cordis ſui loquuntur.* Græcus vertit ἀδικίαν εἰς τὸ ὕψος, id eſt, in altum, & ſuperbè, ἐλάλησαν.

9. *Poſuerunt in cælum os ſuum*, &c. Simplicior ſententia huius verſus eſt hæc, D Neque ſuperis, neque inferis maledicendo parcunt, & id quidem impunè. Sed explicemus latiùs. Illi impunè aduerſus Deum blaterant, negantes eius prouidentiam, aduerſùs Angelos quoque, dum vel nullos eſſe dicunt, vel nihil ad eos attinere, quæ in terris geruntur: vno verbo, cælites omnes irrident. Quòd ſi tantum in cœlum audent, quid non in homines, pios præſertim? Hoc ſignificat, *& lingua eorum ambulat in terrâ*, hoc eſt, nemini mortalium maledicendo parcunt, omnes conuitiis laceſ- E ſunt, eorúmque venenata lingua per vniuerſam terram, quaſi dira peſtis, graſſatur. *Ambulat* emphaticè, quaſi dicatur, nunquam quieſcit, ſed in perpetuo eſt motu. Verbum detractoribus aptum, qui perpetuò huc & illuc obambulant, cùm explorandi, tum deferendi gratia. De vi huius vocabuli vide ad verſ. 1. pſ. 1. & 2. pſ. 15. Non deſunt ex Hebræis, qui poſterius membrum huius verſus ſic explicant, os autem de terra & verſatur in terra.

10. *Ideo reuertitur populus eius huc.* Senſus, Propterea quod *populus eius*, Dei ſcilicet, (hoc eſt, homines pij, qui peculiariter Dei ſunt) cernit illos iſtud omne ferre impunè, quin nihil non illis ſuccedere, *ideo reuertitur*, hoc eſt, iterum atq; iterum ac ſæpe redit, *huc*, id eſt, in hanc offenſionem, quæ naſcitur ex proſperitate impiorum: vel, quod eòdem redit, *reuertitur huc*, vt dicat, ſcilicet id quod incipit in ſequente verſu, & quærat cur malis bene, bonis verò malè ſit in hac vita. *Reuertitur huc*. Gallicè *il en reuient touſiours là*. *Et aquæ pleni* ſup. *calicis*: hic enim adiectiuum includit ipſum ſubſtantiuum, vt aliàs, putà Cant. 4. 2. *greges tonſarum* ſub. ouium. Omitto alia exempla. *Et aquæ* amaræ (*calicis*) *pleni*, hoc eſt, pleno calice, *exprimuntur eis*, id eſt, intra illorum os. Figurata loquutio, quâ vult ſignificare ex ea re, quòd impij nimirum ſic floreant, & peccent impunè, grauiter offendi piorum animos, iſtudque valde amarum illis videri, non ſecus ac ſi cuipiam aquam ſucci amari intra os exprimeres. Galli dicerent, *cela leur eſt vn breuuage bien amer*. Ita ex Kimhi ferè hunc verſum exponimus. Raſi priorem partem ſic ferè interpretatur, Propterea quòd eius populus videt impiis omnia optata contingere, conuertitur ad hæc illorum ſtudia & mores. Hoc modo ſi accipiat, aliter exponenda eſt pars poſterior, hunc in modum, & (pro *quia*, vt aliàs) *aquæ* (*calicis*) *pleni*, id eſt, calamitates & miſeriæ omnis generis, *exprimuntur eis*, id eſt, quotidie illis obueniunt. Græcus & Lat. paulò aliter legerunt Hebræa, quàm nos legamus, nimirum עמי *ammi*, *populus meus*, pro עמו *ammo*, necnon ימי *vime*, *& dies*, pro ומי *vme*, *& aquæ*, & ימצאו *ijmmatſeu*, *inuenientur*, pro ימצו *immatſu exprimentur*.

11. *Et dicunt, Quomodo ſcit Deus*, &c. Hæc ſunt piorum hominum verba, qui impiorũ fœlicitatem quotidie contemplantes ſecum ad iſtum modũ diſputant, ac veluti luctãtur, Qui dici poteſt Deus cognoſcere ea, quę ab hominibus in terris gerũtur, & eſſe Deus bonus, verax & fidelis, ſi bonis malè, malis verò benè eſt? Si cum Raſi priorem præcedentis verſus partem vis accipere, dic hæc eſſe verba eorum, quibus cùm eſſet propoſitum Deum rectè colere, quique cum initia pietatis haberent, cœperunt paulatim deficere, offenſi impiorum proſperitate, & impunitate, ſuarúmque ipſi miſeriarum pertæſi. *Et* (repete *quomodo*) *eſt ſcientia in Excelſo*, hoc eſt, apud Excelſum ſeu Altiſſimum? Idem ſcilicet repetitur. Potes *in excelſo* interpretari in cælo, eodem ſenſu.

12. *Ecce isti* (*isti* emphaticè) *peccatores* seu impij, &c. Ecce, aiunt, sceleratos homines, quos solos fortunatos dicere possis, videre est, vt quotidie augeant magis ac magis suas copias, atque opes. Ieremias initio capitis 12. impiorum prosperitate offensus similia his dicebat, *Iustus es Domine*, inquiebat, *si disputem tecum, veruntamen iudicia loquar tecum, Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui praeuaricantur, & iniquè agunt*, heb. *tranquilli sunt, omnes praeuaricantes praeuaricationem? Plantasti eos, etiam radicem miserunt, profecerunt,* B *etiam fecerunt fructum: propè* (*es*) *tu ori eorum*, (si quid te rogent scilicet) *& longè à renibus eorum*. Iob quoque cap. 21. similem, & longam quidem, de impiorum felicitate instituit querelam, quae ex eo loco peti potest. Explicentur nunc verba. *Pacifici seculi.* Quos *peccatores* dixerat, eosdem nominat *pacificos seculi*, id est, mundi, iuxta Chald. Rasi, & alios Hebraeorum, volens significare solos illos tranquillè agere in hac vita: quanquam vocabulo *seculi* alij notari volunt stabilem ac diuturnam foelicitatem. C *Multiplicant.* Graecus & Lat. vertere *obtinuerunt*: videntur quippe legisse השיגו *hissighu*, id est, *apprehenderunt, assequuti sunt*, pro השגו *hisgu*, vel duntaxat sensum secuti. *Diuitias.* Vocem חיל *chaijl*, Rasi pro viribus & opibus simul interpretatur; Ezra pro diuitiis tantum. Nihil refert ad summam.

13. *Profectò sine causa* seu *in vanum mundaui* &c. Certè, inquit Asaph, ita me etiam interdum prima fronte perturbat & concutit improborum hominum D felicitas, vt sic dicam, Ergò frustra animum & pectus sceleris purum exhibui: frustra manus ab omni iniuria puras seruaui, qui perpetuò miser sum, cùm impiis omnia ad felicitatem superfluant: hucque pertinet sequens versiculus. Porrò in priore parte huius versus de interna, in posteriore verò de externa munditia loquitur. Discamus igitur incipere à munditie & iustitia animi, deinde verò iustitiam foris & apud homines profiteri.

14. *Et fui flagellatus omni die*, &c. Sen- E sus, Nullus quippe praeterit dies, quin plagas feram vel ab ipsis improbis: nullus oritur dies, quin mihi aliquod importet malum: & statim atque nouus sol incipit illucescere, noua me adoritur calamitas. *Castigatio mea.* Vide quid vir pius, etsi animo turbatus ac vehementer concussus, de suis malis atque aerumnis sentit, nimirum suorum peccatorum poenas esse. *In matutinis*, id est, singulis matutinis. Potes interpretari maturè, vt dicat, si quid deliqui, seuerè ca-

A stigor, & quidem maturè, non autem impij. Caeterum docet hic versus habere Deum patrium erga pios viros animum, & illos fortiter amare, non habere in deliciis, sed obiurgare, castigare, nec pati segnitie torpescere, verùm iubere excitari ad studia obeunda maturè, & sudorem illis, interdum & lachrymas excutere: non quemadmodum matres, quae liberos perpetuò fouent in sinu, continent in vmbra, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare volunt. Seneca.

15. *Si, dixi, narrabo sic*, hoc est, Verùm quum rem diligentiùs expendo, dico apud me & puto, si sic sentio, & ratiocinor, (*in generationem filiorum tuorum praeuaricatus sum*, id est, pios homines, quos sic tanquam charissima pignora foues ac diligis, (hic est subita ad Deum apostrophe) magna certè iniuria afficio, dum scilicet affirmo studium pietatis esse inutile. Magna, inquam, iniuria illos afficio, quibus alioquin à me debetur honor, quosque teneor plurimi facere: hanc enim vim videtur habere *praeuaricandi* verbum. Vel *praeuaricatus sum*, seu *perfidiosus sum*, id est, prodità piorum caussà, quam teneor defendere, impiorum caussam adiuuo, si videlicet sic sentire pergo. *Filiorum tuorum.* Filios Dei pios nominat, & hac appellatione vir pius animo suo blanditur, curamque & dolorem lenit. Prius membrum potes sic legere, & magis fortasse est secundùm accentus, & eodem redit sensus, *Si dixerim, Narrabo sic*, hoc est, Si statui ita sentire & loqui. Reprehendit igitur, & corrigit id, quod in duobus mox antecedentibus versiculis subito quodam humanae mentis impetu temere effutierat. Si priore modo legis, erit hysteron proteron, pro, *Dixi, Si &c.* vel verbum, *dixi*, per parenthesin erit legendum. Multa exempla eiusmodi figurae, quae Graecis hysteron proteron dicitur, in sacris litteris reperiuntur, putà Amos 5. 16. *& vocabunt agricolam ad luctum & ad planctum eos* (ad verb. *& planctum ad eos*) *qui sciunt plangere.* Si hoc non satis est, ecce tibi ex Ezech. 39. 11. *locum ibi sepulchri*, pro, locum sepulchri ibi, quod facilè iudicabunt, qui Hebraicè sciunt, est enim מקום *mekom*, in regimine. Sed hic nimis moramur.

16. *Itaque cogito vt cognoscam hoc:* &c. Itaque existimaui mihi esse faciendum, vt omni studio coner huius rei rationem aliquam inuestigare, & secretum diuini consilij arcanum perscrutari, sed frustra, nihilque proficio, & inanis est omnis labor. Haec enim est ex illis rebus, quas *quantò plus laborauerit homo ad quaerendum, tantò*

minus inueniet, & etiam ſi dixerit ſapiens ſe velle cognoſcere, non poterit reperire, ſicut Eccleſiaſtes ait cap. 8. verſu vltimo. Hoc illud eſt, quod ſola fides, & Dei verbum docere poſſit: quò ſpectat ſequens verſus.

17. *Donec intrem in Sanctuaria Dei*, vbi ſunt Sacerdotes, & Doctores, qui arcanum hoc mihi reuelent, & doceant hominem in mundo non eſſe collocatum, vt in eo deliciis fruatur, imperio, & diuitiis potiatur, ſed tantùm vt Deum colat, ac bene viuat: ideòque beatos eſſe iudicandos, qui piè vixerunt, & vitam bono fine clauſerunt, contrà miſerrimos, quorum tota vita fuit ſcelerata in extremo etiam actu: quò pertinet poſterius membrum, *intelligam in nouiſſimo eorum*, id eſt, diſcam ibi, in Sanctuariis tuis, quis ſit tandem impiorum, qui in ſua impietate moriuntur, exitus. Cum autem ait *Sanctuaria*, in numero multitudinis, mihi videtur velle notare & tẽplum, & ſcholam, vbi ſacræ conciones de verbo Dei haberentur: vel dixit in plurali *Sanctuaria*, ad maiorem loci ſanctitatem exprimendã, vt & verſu 36. Pſ. 68. vel ob tres partes, ex quibus conſtabat Sanctuarium, videlicet אולם *vlam*, id eſt, *porticum*, היכל *hechal*, id eſt, *palatium*, ſeu *templum*, & דביר *deuir*, id eſt, *oraculum*. Kimhi per *Sanctuaria Dei* intelligi vult mundum Angelorum & ſpirituum, hoc eſt, alterum mundum, vbi vltima eſt merces & certum præmium, ſiquidem omnia huius mundi bona incerta ſint & fluxa, & in altero mundo iuſti tandem ab impiis ſint diſtinguendi. Hic ergò hũc verſum ſic ferè interpretatur, Perſeruatus ſum animo meo, vt hoc cognoſcerẽ, & quidem magno cum labore: verùm non priùs extricare me ex iſta difficultate potui, quàm ingreſſus ſum cogitatione in Sanctuaria Dei, addo, & intellexi nos eſſe conditos magis ad cæleſtẽ, quàm ad hãc terrenã vitam. *Nouiſſimo*. Nouiſſimum hoc loco pro mercede accipiẽdum, vt aliàs. Lyranus per *Sanctuarium Dei*, intellectum ſacræ Scripturæ diuinitus reuelatæ vult intelligi, quæ vocetur Sanctuarium, eò quòd Deus in illa loquitur, ſicut in Sanctuario diuinitus reſponſa dabantur.

18. *Verè in lubricis ponis eis*, quicquid boni ſcilicet illis accidit, ſiquidem ſubitò ruituri ſunt. Alij vertũt *ponis eos*, eodẽ ſenſu. Explicat quis & quàm ſubitus ſit impiorum, qui in hac vita florent, exitus. Tu, inquit, ô Deus, dum impios ad ſummum opum & honorum faſtigium euehis, illos profectò in ſublimi, ſed lubrico aliquo loco videris collocare, vnde mox in præcipitia ruant ac deturbentur: vel quod eòdem redit, dum

A impiis opes, honores, cæteraque eiuſmodi largiris, illos profectò in lubrica aliqua via videris conſtituere, in qua diu inſiſtere non poſſint, quin ruant ac prolabantur: nam haud longa eſt, etſi longa, diuitiarum poſſeſſio, & *citò improborum læta ad perniciem cadunt*, vt quidam dicebat. Huc & pertinent duo ſequentes verſus. Addam, & quidem ex Kimhi ferè, Sicuti qui lubrica via, quæ plerumque oculos fallit, incedir, non poteſt diu inſiſtere, quin cadat: ſic impii, qui per huius mundi bona, quæ

B falſa boni ſpecie mortalium mentes capiunt, progrediuntur, facillimè & citò labuntur, nec ſtare poſſunt diu, quin ruant atque euertantur prorſus. Raſi & Kabuenaki ad hunc & præcedentem verſum ſic ferè habent, Donec ingreſſus ſum in Sanctuaria Dei, quæ ſunt Hieroſolymis, & vidi quid acciderit Sennacheribo, tuncque intellexi quis ſit impiorum exitus, ipſos nimirum perire tandem, & dixi, Profectò quicquid boni impiis accidit, inſtar eſt lubricæ & fallacis viæ, quam Deus illis ſternat: quæ cauſa eſt cur nunquam de

C pœnitentia cogitent, ſed pereant. *Profectò in lubricis ponis eis* omne bonum, quod illis accidit, quoniam ecce tandem *deiicis eos in deſolationes*. Ezra ad hunc verſum ſic ferme habet, Impios in hac vita veluti blanditiis pellicis, vt tandem eos in exitium præcipites. Sic erit vertendum, *Profectò in blanditiis ponis eos*, vel certè *ponis eis*: &c. Hunc ſenſum ſequutus videtur Latinus, quum vertit, *propter dolos poſuiſti eis*: etſi Græcus habet, διὰ τὰς δολιότητας αὐτῶν

D ἔθου αὐτοῖς κακά. Addit Ezra eſſe, qui vocem משואות *maſcſchuoth*, quam vertimus *deſolationes*, à verbo השיא *hiſcſchi*, quod eſt *decepit, ſeduxit*, deriuent, & interpretentur *deceptiones*. Ac ſic, inquit, idem bis dicitur in vtroque membro. Græcus & Lat. verterunt *dum alleuarentur*, à נשא *naſa*, hoc eſt, *eleuauit*, per ſin ſiniſtrum. In priore membro variant Græcus & Lat. Cæterùm animaduertendum eſt Aſaphum alloqui Deum in hoc verſu, ac Deo dicere *ponis, deiicis*, vt oſtendat non caſu, ſed diuinitus impios extolli, ac mox rurſum deiici ac deprimi.

E 19 *Quomodò ſunt in deſolationem ſubitò*: &c. Hoc & ſequente verſu notare aliquos vult fortaſſe, qui, cùm in magna fortuna, ampliſſimiſque honoribus fuiſſent, ſubitò eſſent euerſi. Ac ſic verba per præt. tempus potiùs erunt exprimenda. *Conſumuntur à terroribus*, ſubitis ſcilicet: vox enim Hebraica בלהה *ballaha*, ſubitum terrorem ſeu horrorem propriè ſignificat. Repentinos terrores diuinitus immiſſos intelligit. Pro *à terroribus*, Raſi à *Dæmonibus* interpre-

tatur. Vehementer placet versio D. Hieronymi, *consumpti sunt quasi non sint*: desumpsit nimirum prædictę vocis significationem ex particula בַּל *bal*, id est, *non*, & forsan הָיָה *haia*, id est, *fuit*. Sic Es. 17.14. vbi legitur, *In tempore vesperæ, & ecce* בַּלָּהָה *vallaa*, id est, *turbatio* seu *terror*, Chald. interpretatus est, *& ecce quasi non fuisset*: quam quidem interpretationem probat id, quod mox sequitur, *antequam sit mane, non subsistet*. Sic Ezech. 26. 21. vbi בַּלָּהוֹת *ballahoth*, id est, *Terrores ponam te, & non eris: & requisita non inuenieris vltrà in sempiternum*, idem Chald. interpretatus est, *Quasi non fuisses, ponam te*. Græcus Ἀπώλειαί σε δώσω: Lat. *Innihilum redigam te*.

20. *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate* &c. Sensus, Totam impiorum felicitatem, quæ profectò nihil aliud est nisi vmbra quædam & imago vana, ita contemptibilem reddis, quando visum est, vt nihilo plus sit quàm somnium, non quodcumque, somnium enim, dum durat, aliquid esse videtur, sed hominis experrecti. Optimè confertur impiorum felicitas cum somnio. Nam vt somnium tantùm delectat dormientem, sic vana illa felicitas eos solùm aliqua voluptate afficere potest, quorum mentes deliciis, velut somno, sopitæ sunt. *Sicut somniat esuriens, & ecce comedit: quum autem fuerit expergefactus, vacua (est) anima eius: & sicut somniat sitiens, & ecce bibit, & postquam fuerit expergefactus, & ecce sitit, & anima eius appetit*: ita impiorum felicitas nihil habet solidi, sed velut somnium auolat, & non inuenitur, & transit sicut visio nocturna. Huius versus hæc sententia esse fortasse potest, Facis vel vt illius oris, quod tanta cum reuerentia ab omnibus antea suspiciebatur, imago & recordatio vilescat, nec alio loco habeatur, quàm manè somnium. *Surgentium*, ad verb. *ab expergiscendo*, hoc est, quum expergiscitur quis è somno. *In ciuitate* ea, in qua antea opibus & dignitate floruerunt: inspectantibus ciuibus. *Imaginem illorum*, hoc est, imaginariam eorum felicitatem: vel oris illorum effigiem & figuram. Priore modo vocabulum *imaginis* accipitur ps. 39. 7. *Verè in imagine ambulat homo*. *Spernis*, id est, contemptibilem reddis. Hic in Vulg. *ad nihilum rediges*. Vide ad vers. 4. ps. 15. & 8. ps. 58. Ioseph Kimhi vocem בְּעִיר *bair*, quam cum Rasi, Ezra, & aliis Hebræorum, necnon Græco & Lat. accepimus, vt sonat, pro *in ciuitate*, putauit esse gerundium, pro בְּהָעִיר *beair*, id est, *in suscitando*, hoc sensu, *in suscitando* mortuos, *imaginem* impiorum, & figuram eorum *spernes*, iuxta illud Dan. 12. 2. *Et multi de iis qui dor-*

Es. 29. 8.

Iob. 20. 8.

A *miunt (in) terræ puluere*, (heb. *terra pulueris*,) *euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobria, (&) in contemptum sempiternum*. In hoc autem sensu accipienda, vt monet Kimhi, *imago* vel pro corpore: vel pro spiritu, vt Gen. 1. 26. quum dicitur, *Et ait Deus, Faciamus hominem ad imaginem secundùm similitudinem nostram*: vel pro vtroque simul.

21. *Profectò exacerbatur cor meum*, &c. Repetit superiorem offensionem & animi B indignationem. Fateor, inquit, profectò excandescere me interdum, atque intus pungi, quum felicitatem impiorum aspicio: sed agnosco singulari tuo beneficio factum, vt nihilominus à te nunquam defecerim; quò spectat versus 23. *Profectò*. כִּי *ci*, hoc quoque loco videtur dubio procul esse particula asseuerandi. *Exacerbatur*, seu *efferuescit*. Verbum hebraicum יִתְחַמֵּץ *ijthchammets*, propriè est *fermenti instar efferuescere*, seu *intumescere*, vel etiam *quasi acri aceto* C *perfundi*, à nomine חָמֵץ *chomets*, quod *acetum* significat. Huc pertinet illud Plauti *in fermento esse* seu *iacere*, necnon *habere acetum in pectore*. *Pungor*, & quasi acuto gladio aut sagitta confodi me sentio. Græcus & Lat. habent *commutati sunt*: iudicarunt quippe אֶשְׁתּוֹנָן *eschtonan*, esse à rad. שָׁנָה *schana*, *quæ mutari* significat.

22. *Et ego brutus*, id est, homo expers rationis, qualia sunt bruta animantia: quò pertinet & sequens membrum, *iumenta facta sum apud te*: siquidem, vt brutum animal, ignorare videor præmium sit pietati, D necne.

23. *Et ego semper tecum*: id est, Nihilominus tamen nunquam à te deficio, idque tua ope, qui lapsuro mihi dextram porrexisti, quod significat posterius membrum, *tenuisti manum dexteram meam*.

24. *In consilio tuo deduces me*, &c. Sensus, Sicuti hactenus impediuisti ne aberrarem, sic deinceps me tuo consilio rege, tandemque post mortem in æternam gloriam suscipe.

25. *Quis mihi (est) in cælo*: &c. Ratio- E nem præcedentis versus hic versus continet. Cur, inquit, alio, quàm tuo, optem regi consilio: & cuius gloriæ ac fœlicitatis, nisi eius, quæ tua est, & tecum possidetur, cupiam me fieri participem? Quis enim mihi placeat in cœlo præter te? Colant alij solem, aut aliam quampiam è stellis: mihi certè nihil est in cælis, quod adorem, præter te: nullam rem cùm in cælis, tum in terris tecum agnosco, ac veneror. Colant alij aquas, alij aerem, terram alij: tu solus vnus es mihi Deus. Græcus & Lat. paulò aliter, sed eodem sensu, hunc versum expresse-

runt, additâ quoque præter Fontem ratio- A nali particulâ, *enim.*

26 *Defecit caro mea*, hoc eſt, corpus, *&* *cor meum*, hoc eſt, anima, præ tui deſiderio. כָּלָה *cala*, hic ſignificat *deficere & conſumi deſiderio*, ſeu *expectando deficere.* Sic pſ.84. 3. *Concupiſcit, & etiam deficit anima mea in (ad) atria Domini.* Pſ.119.81. *Defecit in (ad) ſalutare tuum anima mea. Deus cordis mei.* צוּר *tſur*, *petram* propriè ſignificat, & hinc Deum, in quo ſcilicet aduerſus omnes iniurias tuti conſiſtimus. Poteſt & ſignificare B *robur* in genere. Verte ergò, ſi vis, *robur cordis mei.* Ezra interpretatur *robur cordis mei*, id eſt, deſiderij mei, ex Num.15.39. *& non aſpicietis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini.* Atque, inquit, *robur cordis mei*, nihil aliud eſt, quàm adhęſio firma & fixa, quę perpetuò maneat, nec diſſoluatur: quò ſpectat mox ſequens verſus. Sunt qui accipiant, *Deficit*, vt ſonat, ac ſic hunc verſum interpretentur, Si corpus & cor meum interdum deficiunt, id D eſt, quæcumque me anguſtiæ corporis aut animæ vrant, tu meo animo es robur, dũ te æternam mihi hæreditatem fore ſpero. Verum prior expoſitio meliùs, meo iudicio, quadrat cum iis, quæ præcedunt.

27. *Quia ecce, qui elongant ſe à te,* &c. En ratio cur tantopere Dei deſiderio flagret, A eum ſolum amet, & ſuſpiciat. *Qui elongant ſe à te.* Bene Hugo Card. Non dicit, *Qui elongant te à ſe*, cùm ſemper ipſe propè ſit per gratiam vel per iuſtitiam. *Omnes qui fornicantur abs te.* Idem eſt atque *qui elongant ſe à te.* Nam *fornicari à Deo*, eſt, relicto Deo, cui ſoli tanquam marito amor & fides debeatur, aliud amare, ad aliud ſe conferre. Paſſim obuia eſt hæc loquendi formula: & ſolet Scriptura paſſim defectores & apoſtatas conferre mulieri adulteræ. B Oſeas ſuppeditabit exempla. Chald. hoc interpretatus eſt, *omnes qui aberrant à timore tuo.*

28. *Mihi autem adhærere* ſeu *appropinquare Deo bonum (eſt;)* vel verbo propiùs, *Et ego*, hoc eſt, Quod ad me attinet, *acceſſus ad Deum mihi bonum*, hoc eſt, res bona, *(eſt;)* &c. Senſus, Igitur ſic ſentio, nihil melius eſſe mihi quàm tibi adhęrere, nunquam à te diſcedere, ſpes omnes meas in te collocare: quò ſcilicet tuâ, qui nunquam in te D ſperantium vota fruſtraris, benignitate ſeruatus, boniſque auctus, admirabilia bonitatis & prouidentiæ tuæ facinora celebrare poſſim. In Græco & Lat. Legitur *in portis filiæ Sion*, id quod in Fonte non reperitur, ſed mutuò ſumptum videtur ex verſu 15. pſ. 9. vbi ſic eſt, *Vt annuntiem* ſeu *enarrem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.*

PSALMVS

LXXIV. Heb. LXXIII.

VERSIO

NOVA.

DIDACTICON Aſaph.
Vt quid Deus repuliſti in
æternum: [a] iratus eſt [b] fu-
rortuus contra oues paſcuæ tuæ?
2 Memor eſto congregationis tuæ;
acquiſiuiſti ab antiquo; redemiſti
virgam hæreditatis tuæ: [c] môtis Sion,
(in) quo habitaſti in eo.
3 Leua pedes tuos ad deſolationes
perpetuas: omnia malignatus eſt inimicus in Sancto.
4 Rugierunt qui oderunt te in medio templi tui: poſuerunt ſigna ſua ſigna.
5 [d] Notum eſt, ſicut adducit quis ſu-

a Prop. fumat
b vel na- ſus
c vel montem iſtum, (in quo)
d vel cô- gnitum eſt.

VETVS.

INTELLECTVS *Aſaph.*
Vt quid Deus repuliſti in
finem: iratus eſt furor tuus ſu-
per oues paſcuæ tuæ?
2 *Memor eſto congregationis tuæ:*
quam poſſediſti ab initio.
3 *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ:*
mons Sion in quo habitaſti in eo.
4 *Leua manus tuas in ſuperbias eorum*
in finem: quanta malignatus eſt inimi-
cus in ſancto?
5 *Et gloriati ſunt qui oderunt te: in*
medio ſolennitatis tuæ.
6 *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna: & non*

cognouerunt sicut in exitu super summum.
7 *Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi & ascia deiecerunt eam.*
8 *Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.*
9 *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.*
10 *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: & nos non cognoscet amplius.*
11 *Vsquequo Deus improperabit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem?*
12 *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam: de medio sinu tuo in finem?*
13 *Deus autem rex noster ante secula: operatus est salutem in medio terræ.*
14 *Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.*
15 *Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.*
16 *Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.*
17 *Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem.*
18 *Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.*
19 *Memor esto huius, inimicus improperauit Domino: & populus insipiens incitauit nomen tuum.*
20 *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*
21 *Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum.*
22 *Ne auertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.*
23 *Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die.*

pernè in perplexitatem arboris secures:
6 [e] Ita nunc cælaturas eius simul se- e vel &
curi & malleis [f] deiecerunt. f contude-
7 Incenderunt igni Sanctuarium runt.
tuum: in terram polluerunt Tabernaculum nominis tui.
8 Dixerunt in corde suo, Depopulemur eos simul: incenderunt omnia tabernacula Dei in terra.
9 Signa nostra non vidimus; [g] iam g non (est)
non (est) Propheta: & non (est) no- amplius.
biscum qui cognoscat vsquequo.
10 Vsquequo, Deus, probris afficiet inimicus, blasphemabit aduersarius nomen tuum in seculum?
11 Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam? de medio sinu tuo exere.
12 Deus autem rex meus [h] ante se- h ad verb.
cula: operans salutes in medio ter- ab initio.
ræ.
13 Tu disrupisti in virtute tua mare: contriuisti capita draconum in aquis.
14 Tu confregisti capita [i] draco- i vel ce-
nis: dedisti eum escam [l] populis Æ- narebant l ad verb.
thiopum. populo, desertis inco-
15 Tu dirupisti fontes & torrentes: lis.
tu siccasti fluuios fortes.
16 Tuus est dies, etiam tua est nox:
tu [m] fabricatus es lumen, & solem. m Heb.
17 Tu statuisti omnes terminos ter- praparasti.
ræ: æstatem & hyemẽ tu plasmasti ea.
18 Memor esto huius, inimicus improperauit Domino, & populus insipiens blasphemauit nomen tuum.
19 Ne tradas [n] bestiis animã turturis n vel con-
tuæ: [o] animas pauperum tuorum ne gregationẽ o vel con-
obliuiscaris in [p] finem. gregationẽ p perpe-
20 Respice [q] in testamentum: quia tuum. q ad fœdus.
repleta sunt loca tenebrosa terrę [r] do- r habitacu-
mibus iniquitatis. lis seu tuguriis.
21 Ne reuertatur afflictus factus confusus: miser, & inops laudent nomen tuum.
22 Exurge Deus, iudica causam tuã: s ad verb.
memor esto [s] improperiorum tuo- improperij tui ab insi-
rum, eorum quę ab insipiente sunt piente tota vel potius
tota die. omni die.

t Heb. vocem u Heb. insurgentium ante

23 Ne obliuiscaris [t] voces inimicorum tuorum: strepitus [u] eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

24 *Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. ARBITROR *hunc Psalmum in captiuitate Babylonica esse compositum, fortasse & qui præcedit. Ergò Asaphus huius Psalmi author non idem est qui fuit tempore Dauidis, sed alius quispiam ex illius posteris, qui coràm spectator fuerit furoris & crudelitatis Babyloniorum: ita clarè & manifestè de ijs loquitur. Existimant tamen nonnulli, à quorum sententia non omnino absum, Asaphum, qui fuerit tempore Dauidis, Templi incendium, & vrbis sanctæ euersionem per Nabuchodonosorem diuino instinctu præuidentem, captiuis apud Chaldæos futuris tanto antè spatio hanc precationem dictasse. Iuuat hanc opinionem, quòd Psalmus 79. qui est eiusdem prorsus argumenti cum hoc, à Chaldæo tribuitur Asapho, qui illum prophetico afflatus spiritu scripserit. Vide ad arg. istius Psalmi. Vtut res habet, author Psalmi primo loco queritur, & quasi familiariter cum Deo expostulat de mora auxilij, & magnitudine calamitatum. Querelæ subijcit petitionem, quæ est propositio Psalmi, vt mox Deus opem ferat. Quod vt obtineat, Deo obijcit primùm vetus illud in maioribus ex Ægypto educendis beneficium, & peculiare in monte Sion domicilium: deinde rabiem & impietatem hostium, qui Templo nihil pepercerint, sed horrendo cum rugitu illuc ingressi, refixis pietatis insignibus, sua signa ibi fixerint, statimque sic tanquam lignatores in syluis arbores amputant, aureas cælaturas, & laquearia certatim contriuerint, Sanctuarium ipsum ac Templum partim concremarint, partim quicquid incendio superesset, summa impietate diruerint, & Templi excidio haud contenti, siquidem vastare omnia decreuissent, vniuersas etiam Synagogas incenderint. Inde ad alteram partem transit, in qua apud Deum conqueritur desiisse oracula, & nullum esse Prophetam, qui finem malorum prænuntiet, adeòque soletur. Dein, vt initio, cum Deo expostulat, quòd suum nomen nimis diu patiatur ab hostibus prostitui, dum vulgò dicunt, suos non posse seruare. Mox, Tene, inquit, auxiliarem tuam dexteram à nobis perpetuò subtrahere? Quin illam citò tuo è sinu profer, qui iam olim Rex noster es, totiesque nos in omnium oculis seruasti. Tu olim, quâ polles virtute, maiorũ nostrorum causâ rubrum mare peruium fecisti: tu Pharaonem Regem Ægypti, aliósque regni proceres mediis in aquis obtriuisti: tu illorum cadauera ad littora maris eiecta vulturibus & feris illorum desertorum incolis deuoranda obiecisti: bis tu è diruptis duris silicibus largos aquarum fontes ac torrentes eduxisti: econtrà, te iubente, Iordanis, qui tum auctus aquis fluebat, alueus repentè exaruit siccum iter præbens. Quidni enim contraria possis, qui diem ac noctem, lunam & solem, tot diuersas plagas, æstatis ac hyemis vices digessisti? Tu igitur, qui istorum omnium autor es, vindica nunc tuum nomen à conuitijs insanæ gentis. Ah, ne miserã animulam gemebundæ turturis tuæ truculentis istis belluis prodito: ah, quæso, ne nos miseros atq; afflictos perpetuùm deserito, tanquã nostri prorsum oblitus. Quin memor fœderis cum maioribus nostris initi exhibe te nobis Deum, ferque opem: tota hæc siquidem terra in qua exules degimus, nihil aliud habet quàm latronum & grassatorum lustra. Ne, quæso, miser iste populus, qui ad implorandum opem tuam venit, repulsam ferat: imò fac, tuo fauore, ac benignitate incitatus tuum nomen extollere & prædicare nunquam desinat. Surge Deus, & causam tuam age, neque stultissimorum mortalium quotidiana aduersum te conuitia obliuiscere: ne obliuiscere, inquam, blasphemas aduersariorum tuorum voces: sed illorum ferociam & superbiam compesce, quæ quotidie magis ac magis impunitate inualescit.*

1. *Didacticon.* Vide ad versum 1. Ps. 32. *Vt quid Deus repulisti nos:* &c. Vide quàm familiariter patiatur Deus Israëliticum populum, qui hic loquens inducitur, secum agere. Nec existimandum est talibus illum offendi vocibus: est enim vis, sicuti ait alicubi Tertullianus, quæ Deo grata est, & quam vult sibi in precibus adhiberi. *Fumat furor* vel *nasus tuus.* Hoc dictum humano more. Nam qui irascuntur vehementiùs, quodam quasi igne intus exardescunt, ideóque fumum efflant è naribus.

2. *Memor esto congregationis tuæ.* Propositio totius Psalmi. *Memor esto*, id est, Ostende opere te memorem esse. *Congregationis tuæ*, id est, tuæ Ecclesiæ, quæ nunc misera in squalore iacet. *Acquisiuisti ab antiquo* tuam istam congregationem: nisi velis construere cum *virgam hæreditatis*

tua

tuæ. Sensus porrò hic est, *Memor esto* &c. tu qui olim ex Ægypto maiores nostros, qui illic tanquam mancipia ære empta miserè seruiebant, quasi pretio liberasti, ac recepisti, tuósque peculiari iure tunc fecisti. Sic in Cantico, quod cecinerunt Moses & filij Israël è mari rubro egressi, *donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus iste, (quem) acquisiuisti*. Exod. 15.16. Eodem pertinet quod sequitur, *redemisti virgam hæreditatis tuæ*: hoc est, tuam hæreditatem perticis & mensoriis baculis siue virgis, aut funiculis, vt in Palæstina fieri solebat, veluti diuisam. In Cantico laudato, versu 13. habetur, *Duces in misericordia tua populum hunc (quem) redemisti*. Huius loci est illud Deut. 9. 26. *Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quam eduxisti de Ægypto in manu forti*. Sunt qui vertant *tribum hæreditatis tuæ*, id est, tribus, quas quasi pro hæreditate selegeras. Sunt qui *sceptrum hæreditatis tuæ*, vt sensus sit, regnum tuum hæreditarium asseruisti. Vox שבט *scheuet*, *virgam* primò significat, & inde *sceptrum*, (quæ vox ab Hebræa nata est) & *tribum*, quæ videlicet ex vno patre, tanquam baculus ex vna arbore, originem ducit. *Montis Sion*, sup. *memor esto*: vt sensus sit, recordare te in mõte Sion, in Tẽplo scilicet, habitasse. (*In*) *quo*. Verti posset, *istius (in quo)*. *In eo*. Redundat latinè. Potes vertere *montẽ Sion istum, (in quo) habitasti in eo*, referendo ad proximum verbum *redemisti*. Lat. vertit *mons Sion in quo* &c. quod videtur pendere à verbo *recordare*, ad istum modum, recordare quòd mons Sion est, quem tamdiu incolere dignatus es. In Græco, ὄρος Σιὼν, ambiguum est sitne nominandi an accusandi casus.

3. *Leua pedes tuos ad* (seu *propter*, ex Ezra) *desolationes perpetuas*, hoc est, Assurgito in pedes ad hostium perpetuam ruinam: vel, si vertis *propter*, ob ruinas tuæ hæreditatis perpetuò duraturas, ac nunquam reparandas, nisi succurras. *Omnia malignatus est* (seu ex Hieron. *mala egit*) *inimicus in Sancto*, seu *Sanctuario*. Si vertis *propter* in priore membro, sic redde hîc, *omnia (quæ) malefecit* &c. hoc sensu *Leua pedes tuos propter* &c. & *omnia (quæ)* &c. Sic accipit Ezra. *Malignatus est*. Felix ex Chaldaica radice רעע *rea*, vertit *contriuit*. R. Moses Sacerdos & Kimhi existimant למשאות *lemaschschuoth*, quod interpretati sumus *ad desolationes*, esse nomen pro infinitiuo להשאות *lehaschoth*, id est, *ad desolandum*. Profert Kimhi ex. gr. ex Ezechiel. 17. 9. למשאות *lemasseoth*, quod est pro להשיא *lehasi*, id est, *ad tollendum*. Sic igitur vterque hunc versum interpretatur, *Leua pedes* (Kimhi obseruat esse qui exponant *malleos*) *tuos ad desolandum in perpetuum omnem inimicum, (qui) malefecit in Sanctuario*. Volunt enim in posteriore membro esse transpositionem verborum, nimirum, *omnem (qui) malefecit inimicum in Sanctuario*, similem illi Oseæ 14.3. *Omnem aufer iniquitatem*. Intelligunt, qui hebraicè sciunt. Ex Rasi vertendum & exponendum, *Leua percussiones tuas*, seu *terrores tuos ad ruinas perpetuas*, hoc est, vt sint inimicis tuis in ruinas perpetuas, (*propter*) *omne (quod) malefecit inimicus in Sanctuario*. Chaldæus nostræ interpretationi fauet, qui vertit, *Leua gressus tuos ad deprimendas nationes in secula, quoniam in omni virtute sua malefecit inimicus in Sancto*.

4. *Rugierunt qui oderunt te* &c. Hoc & quatuor sequentibus versibus exaggerat querelam de rabie hostium, quæ est in præcedente versu. *Rugierunt* leonum instar. Kimhi huc refert illud Thren. 2. 7. *vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni*, id est, vt populus præ gaudio clamare solet in solemnitate. *Templi*: ad verb. *loci conuentus*. In templum enim conueniebant Israëlitæ ad solemnitates celebrandas. *Posuerunt signa sua, signa*. Sensus est ex Rasi, Quum viderunt se voti compotes factos, & ipsum Templum in sua esse potestate, tum demum statuerunt *signa sua*, hoc est, oracula & diuinationes, vera esse signa. De diuinatione & oraculo reddito ipsi Nabuchodonosori, vide Ezech. 21. 21. & sequente. Alij exponunt, erexerunt ibi vexilla & trophæa monumenta victoriæ. Alij sic, euerfis ibi pietatis insignibus, sua intulerunt signa sacrilega, & prophana. Sic *ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*, 1. Machab. 1. 57. Accipere, quemadmodum Rasi, propter versum nonum, qui huic oppositus videtur.

5. *Notum est, sicut adducit quis* (ad verb. *adducens*) *superne* &c. Explicent alij, quomodò voluerint, hunc versum, qui sanè obscurus admodum mihi videtur, ego profectò explico, & coniungo cum sequente ad istum modum, Notum est, & palàm fit, velut lignatores altè sublatas secures in densas syluas mittunt: vel, non secus ac quis luxuriantes fortè adeòque perplexos arboris ramos eleuata atque impacta securi amputat: *ita nunc cælaturas eius* &c. Si priore modo accipis, per *perplexitatem arboris* syluas densas, vbi arbores perplexæ, & in semet aliter atque aliter implicitæ & conuolutæ sunt, intellige: si verò posteriore mo-

do, frondes & ramos arboris perplexos. Potest verti hic versus, *Contritum est, sicut adducit quis supernè in perplexitatem arboris secures*, hoc sensu, Excisum templum est, haud secus quàm à lignatore syluarum arbores securi disijciuntur. Chald. interpretatus est, *Contundit malleo, sicut vir qui attollit manum suam in perplexitatem arborum, vt incidat securibus.*

6 *Ita*, ad verb. *Et*, quod hîc, vt sæpe in Prouerbiis, particula est similitudinis. Si tamen posteriore modo vertis præcedentem versum, *Et* accipiendum, vt sonat, pro coniunctione copulatiua. *Nunc*. Non quòd res tunc gereretur, ex contextu enim apparet fuisse eo tempore Iudæos in captiuitate, & quidem iamdiu, sed quòd tam recens esset dolor, vt etiam res adhuc geri videretur. *Cælaturas*, vel *sculpturas*. Græcus & Lat. verterunt *ianuas*: legerunt enim פְּתָחֶיהָ *pethachim*, pro פִּתּוּחֶיהָ *pittuchim*. Per *cælaturas* intelligit synecdochicῶs totum ædificium eleganter atque arte cælatum & exculptū. *Eius* Tēpli. *Simul*. Refer ad *cælaturas*, q. d. omnes ad vnum, nulla excepta. Vide simile ad vers. 15. ps. 33. & mox versu 8. Refer, si vis, ad hostes, qui omnes simul & certatim vastando Templo incumberent. Insigne in hoc versu feritatis & crudelitatis exemplū. Chaldæi enim Templo, si non merito sanctitatis, certè propter artem & elegantem structuram, nisi prorsus fuissent rabiosi, parcere debuerant. Similem nos superiore seculo in aliquot vrbibus Galliæ hæreticorum in vastandis Tēplis rabiē vidimus. Atti saltem si pepercissent, tot ornamentis, quæ vrbes decorabāt, tot turribus, quæ aduētantes sua altitudine terrebant, Gallia nunc non careret. Aurelia charissima patria, cum sensu doloris dico, sua decora, quibus nunc miserè spoliata est, aduenis ostentaret.

7 *Incenderunt igni Sanctuarium tuum*. In Fonte magis est emphaticè, *Miserunt in ignem Sanctuarium tuum*, quo genere loquendi significatur Templum ita exarsisse, totumque in cineres abiisse, quasi in medium ignem iniectum fuisset, non verò tantùm ipsi iniectus ignis. Similis est loquutio Iud. 1. 8. *& ciuitatem miserunt in ignem*. Balaam, Kimhi, & alij censent hîc esse transpositionem, pro, *Miserunt ignem in Sanctuarium tuum*. Verùm Ezra priore modo ait debere accipi. *In terram polluerunt*, id est, in terram deiecerunt, quæ maxima est loci sacri profanatio, id quod ignis absumere non potuit.

8 *Depopulemur*, vel *Opprimamus*, aut ex Kimhi, *Occidamus*, *eos*. Heb. est נִינָם *ninā*, quod est fut. Kal, à verbo יָנָה *iana*, pro

A נִינֶה אוֹתָם *nine otham*, simile τῷ וַנִּירָם *vanniram*, id est, *Et sagittis confecimus eos*, Num. 21. 30. Sic putant Marinus, Ezra, Kimhi. Probat Ezra יָנָה *iana*, esse vsitatum in Kal, ex Ier. 46. 16. Chald. tamen prædictā voce interpretatus est *filij eorū*: Hieron. *posteri eorum*: Græcus ἡ συγγένεια αὐτῶν: Lat. *cognatio eorum*. Rasi exposuit *dominatores eorum*. *Eos simul*, id est, eos omnes ad vnum, omnes omnino, vt supra. *Incenderunt*. In Græco δεῦτε καὶ καταπαύσωμεν: in Vulg. *quiescere faciamus*. B. Hieron. qui
B ipse ex Hebræo vertit *incenderunt*, affirmat, vt ex epistola ad Suniam & Fretellam videre est, textum non habere καταπαύσωμεν, vt quidam putant, sed κατακαύσωμεν, id est, *incendamus*. Ac sic Septuaginta iuxta hexaplorum veritatem transtulisse ait esse perspicuum. Aquilam & Sym. obseruat vertisse *incenderunt*. Ipse ex Græco dicit se transtulisse, *heus & quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*: sicque psallendū. Et tamen, inquit, sciendum, quid hebraica veritas habeat. Hoc enim, quod Septua-
C ginta interpretes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum est; & illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. *Omnia tabernacula* (ad verb. *omnes conuentus*) *Dei*, id est, omnes scholas & synagogas, quæ passim in vrbibus erant constitutæ. Aquila vertit πάσας συναγωγάς. *In terra*. Hodie in Græco ἀπὸ τῆς γῆς, fortasse pro ἐπὶ τῆς γῆς, vt putat Agellius Episcopus Acernensis in commentario in hunc psalmum: quo modo Aquila & Sym. verterunt. Adde Theod. vertisse
D ἐν τῇ γῇ. De euersione Templi per Nabuchodonosorem legere potes 2. Reg. 25. & 2. Paral. 36.

9 *Signa nostra non vidimus*. Hoc dicitur πρὸς τὸ *posuerunt signa sua, signa*. Atque horum verborum sensus est, Iam diu nulla nobis sunt reddita oracula, nullæ auditæ Prophetiæ, quæ res futuras significent: quò pertinet id quod sequitur, *iam non (est) Propheta*: &c. *Signa nostra*, id est, signa apud nos olim vsitata. Potest esse sensus, *Signa nostra*, hoc est, Prophetarum oracula, quæ
E salutem & liberationem ex hac captiuitate pollicebantur, *non vidimus*, hoc est, nondum experti sumus, aut vera esse comprobauimus: neque nunc Propheta vllus adest, qui vt in publicis calamitatibus fieri solebat, futuram salutem prænuntiet, nosque adeo soletur: *& non (est) nobiscum qui cognoscat vsquequo*, ac dicere queat, quousque in his erimus malis. Posset fortasse *vsquequo* cum sequente versu sic coniungi, *vsquequo*: *Vsquequo*, inquam, *Deus, improperabit* &c. Sic repetitio istius parti-

culę habebit emphasim. Quæret aliquis cur queratur in hoc versu nullos ampliùs esse Prophetas, cùm Ezechiel, Daniel, tandemque Aggæus, & Zacharias in captiuitate Babylonica fuerint, & vaticinati sint. Responderi potest tunc fortasse, quum edidit Asaph hunc Psalmum, ad tempus iussos Prophetas silere: quod se facturum apud Amos cap. 8.11. interminatus fuerat Deus, his verbis, *Ecce dies veniunt, & emittā famē in terram: non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verba Domini.* Et mox sequente versu, *Et vagabuntur à Mari vsque ad Mare, & ab Aquilone vsque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.*

10. *Probris afficiet* sup. ex posteriore membro *nomen tuum. Blasphemabit*, dicēs videlicet non posse te nos seruare, aut eripere ex hac captiuitate. *Nomen tuum.* Vide Vatis pietatem ac zelum, quem non malum, quod patitur, sed magis diuini nominis iniuria afficit. Impij, quoties vident pios in calamitatibus negligi, contumeliosas voces in Deum iaciunt, quasi ille non possit suos seruare. Insigne exemplum est Rabsacę, 2. Reg. 18. 32. *& nolite audire Ezechiam, quia nos decipit, dicens, Dominus liberabit nos.* Et sequentibus versib. *Nunquid liberando liberauerunt dij Gentium vnusquisque terram suam de manu Regis Assyriorum? Vbi est Deus Emath & Arphad?* &c. *Quinam illi sunt in vniuersis dijs terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, vt possit eruere Dominus Ierusalem de manu mea?*

11. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam?* id est, Quare subducis, ac retrahis à nobis tuum auxilium? Similis est loquendi modus Thren. 2.3. *Confregit in ira furoris omne cornu Israël; auertit retrorsum dexteram tuam à facie inimici*, hoc est, negauit auxilium, quum ventum esset in hostes. *De medio sinu tuo exere*, seu *probibe*, manum & dexteram scilicet, id est, educ eam ad nos liberādos, hostésque vlciscendos. Hoc more humano dictum: homines siquidem desides & otiosi manus in sinu solent occultare: quo sensu Prou. 19.24. scribitur, *Abscōdit piger manum suam in sinu: etiam ad os suum non applicat eam.* Similem sententiam vide Prou. 26. 15. Rasi כַּלֵּה *challe*, exponit *profer*, *educ*. Bene, vt videre est, ad sensum. Kimhi interpretatur *consume*: necnon etiam *probibe*, quod verbi ex illo hunc habet sensum, ne reduc posthac vnquam manum in sinum, dum pœnas sumpseris de hostibus.

12 *Deus autem rex meus* &c. Sic connecte, Quomodo nunc nos deseris, aliorúmque arbitrio regendos permittis, cùm tot antè seculis rex sis noster, totiesque nos palàm spectātibus omnibus seruaueris. *Rex meus.* Græcus & Lat. legerunt ad sensum, *noster. Salutes* plures, emphaticè. *In medio terræ*, hoc est, in medio omnium, cunctisque palàm inspectantibus. Theodoretus explicat, ἐν μέσῳ τῆς γῆς, ἀντὶ τοῦ πάντων ὁρώντων.

13 *Tu disrupisti in virtute tua mare rubrum*, vt per ipsum sicco pede possemus iter facere. Vide Exo. 14. vbi scissæ scribuntur aquæ maris, & ita in latera coaceruatæ, vt vtrimque Israëlitis muri speciem præbuerint. *Contriuisti capita draconum* seu *cetorū*, &c. Pharaonem eiúsque principes à truculentiâ & sæuitiâ, quam exercuerunt in Israëlitas, dracones seu cetos nominat. Pharao (hoc fuit Ægyptiorum Regum commune nomen) Rex Ægypti, *draco* seu *cetus magnus, cubans in medio fluminum suorum* appellatur Ezech. 29.3. Quidam diuinat Ægyptios dracones appellari, quòd in vexillis habuerint dracones. *Contriuisti capita* &c. tum, quum in medio mari rubro *respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis contriuit exercitum Ægyptiorum, & subuertit rotas curruum eius, & deduxit illum grauiter*, vt scribitur Exo. 14. 11. 24. & 25.

14 *Draconis*, in Fonte *leuiathan*. Per leuiathan, quæ vox ingentem belluam significat, Rasi, Kimhi, & alij ipsum Pharaonem intelligunt. Verùm si esset ita, cur diceret in num. multitudinis *capita*, non caput? Respondebit Kimhi per *capita* intelligendos duces & principes, ita vt *capita leuiathan* idem sit quod principes Pharaonis. Ego existimo potiùs, aut cum R. Mose Leuiathan omnibus maioribus marinis piscibus nomen esse commune, aut cum Ezra, nomen esse magni cuiusdam piscis, deesséque hoc loco *omnis*, quasi diceretur, capita omnis leuiathan. Intelligo autem per leuiathan & Pharaonem, & omnes eius principes: atque idcirco *capita* dicit in num. plur. Idem igitur priore mēbro huius versus significatur quod posteriore præcedentis. Chaldæus interpretatus est *capita fortium Pharaonis*. *Dedisti eum* draconem seu leuiathan *in escam* &c. Sensus, Pharaonem eiúsque principes populis desertorum ad littora maris rubri incolis in prædam dedisti, postquam scilicet submersa eorum cadauera æstus maris in ripam expulisset, sicuti narratur Exo. 14. 30. *Populis Æthiopum.* Ad verb. *populo, Æthiopibus*, vel potiùs *deserti*, seu *desertorum incolis*, (est enim vocis צִיִּים *tsiim*, significatio generalior, sicut annotatum est ad vers. 9. psal. 72.) hoc est, populo, scilicet deserti incolis. R.

Moses hoc docet esse simile זה Gen.32.18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב *leaudecha liaacou*, id est, *serui tui*, nimirum *Iacob*, & prædicta voce nautas vult intelligi. Ex Kimhi vertendum & exponendum esset, *populo ad deserta* sup. proficiscenti, hoc est, Israëlitis, qui relictâ Ægypto semper in desertis seu solitudinibus fuerunt. Porrò Israëlitis in escam datos Ægyptios quum ait, intelligit Israëlitas appulsa ad littus Ægyptiorum corpora spoliasse. Theodoretus propriè Æthiopas accipit: Finitimi, inquit, erant Ægyptiis Æthiopes: itaque bellum erat inter illos assiduum. Sed cùm Ægyptij cum toto exercitu mersi essent, expugnatu faciles in posterum Ægyptij Æthiopibus facti sunt. Circumloquẽdo igitur dicit, expugnabiles eos Æthiopibus reddidisti. Sunt, non ex Hebræis tamen, quod sciam, qui *populo, deserti incolis*, interpretentur, feris vel auibus deserti, & significari putent posteriore hoc membro, corpora Ægyptiorum ad ripam eiecta prædam & pastum fuisse bestiarum, & auium. Nil obstat huic expositioni vox *populus*. Nam Prou.30.25. formicæ dicuntur *populus infirmus*, & ibidẽ vers. seq. cuniculi *plebs inualida*. Ioel.1.6. de locustis legitur, *Gens enim ascẽdit super terrã meã, fortis*, &c.

15 *Tu dirupisti fontes & torrentes*, heb. *fontem & torrentem*, ex petra, primò in Horeb, Exo.17. secundò in Cades, *Num.20.* quũ aquæ penuria vrgeret. Obseruat Kimhi *dirupisti fontem & torrentem*, nihil aliud esse, quàm dirupisti petram, ita vt ex ea fons & torrens eruperit, metonymicῶs. Non enim, inquit, dirumpitur fons, sed petra. Simile ait esse illud Es.44.19. *coxi super carbones eius panem*. Necnon 47.2. *mole farinam*. Nam neque, inquit, coquitur panis, neque molitur farina, sed farina subacta coquitur, & fit panis, & triticum molitur, & fit farina. Sic dirumpitur petra, & fit fons: ac sic dicitur ps.78.15. *Rupit petras in eremo*. Chald. interpretatus est, *Tu scidisti fontẽ è petra, & fuit in torrentem. Tu siccasti fluuios* &c. Antithesis, Tu petram & silicem in fontem vertisti: tu idem Iordanis flumen validissimum, quia transitum prohibebat, incidisti, & exsiccasti, sic vt aquæ superně defluentes restarent, & in cumulum assurgerent, instarque montis intumescerent longissimè, ab iis autem diuulsæ inferiores in mare mortuum dilaberentur, dum copiæ traiiceret, sicuti scribitur Ios.3. *Fluuios fortes*, ad verb. *fortitudinis*: existimo enim cum Kimhi אֵיתָן *ethan*, hoc loco nomen esse substantiuum, non adiectiuum, id quod euidenter probat forma regiminis in præcedente nomine. Si vis exemplum, en Exo.14.27. *Reuersumque est mare primo* A *diluculo* לְאֵיתָנוֹ *leethano*, *ad fortitudinem suam*. Porrò per *fluuios fortes* hoc loco intelligunt Rasi, Kimhi, Kabuenaki Iordanis amnem, qui tum quum exsiccatus est, pleno alueo extra ripas ferebatur, atque idcirco fortis nominetur. Kimhi notat *fluuios* dici in numero multitudinis, propterea quòd multi fluuij in Iordanem influunt.

16 *Tuus est dies, etiam tua est nox.* Sic connecte, Quid mirum autem te siccum in humidum, humidum in siccum vertere, qui in prima mundi creatione diem & noB ctem, lunam & solem, omnia mundi climata, æstatis & hyemis vices, res adeo inter se contrarias, pro tua prouidentia digesseris? Quidni igitur, quoties volueris, rerum naturas ac species, si tuorum vtilitas postulet, facilè possis vertere ac commutare? *Tuus est dies*, &c. id est, Tu diei, & noctis authores. *Etiam* emphaticè: quasi diceret, tu idem ipsius etiam noctis author es. *Fabricatus es*. In Fonte *præparasti*, seu *firmasti*, quod verbi lunæ & soli optimè conuenit, vt quorum firmus & stabilis C sit ordo ac motus. In Græco κατηρτίσω. *Lumen* huius, scilicet noctis, hoc est, lunam. Ezra per *lumen* hoc loco lunam vult intelligi, eamque primo loco nominari, quòd noctis postremò facta sit mentio, pro more Scripturæ, quæ ea, quæ immediatè & proximè antecesserunt, solet primo loco resumere. Citat in exemplum locum Ios.24.4. *Illique rursum dedi Iacob & Esau: è quibus Esau dedi montem Seir ad possidendum; Iacob verò & filij eius descenderunt in Ægyptum.* Chald. quoque lunam interpreD tatus est. Sexta edit. σελήνη. Profectò antithesis in hoc & sequente versu instituta facit, vt credam per *lumen* hic intelligendam lunam. Sunt tamen qui *lumen*, vt sonat, simpliciter accipiant, ac dicant lucem præmitti soli, habita ratione creationis: siquidem lux prior sole extiterit, qui quarto dũtaxat die conditus est, cùm lux primo fuerit creata, vt videre est Gen.1.

17 *Tu statuisti omnes terminos terræ*, hoc est, ex Ezra & Kimhi, septem mundi climata, quorum vnumquodque aere, adeòque E temperie, differt ab alio. *Statuisti* dicit, quòd, inquit Ezra, septem illa climata sic semper futura sint, vt nunc sunt, nec mundi situs variandus vnquam sit. *Æstatem & hyemem* &c. Æstatis & hyemis mentionẽ, inquit idem Ezra, climatum mentioni recte subiungit, quòd terra habitabilis ad septentrionalem & meridionalem plagam præcipuè existat, ac dum vna in parte est æstas, in altera sit hyems. Sic ferè ille. Æstatis & hyemis tantùm meminit, quòd totus olim annus in æstatem solùm & hye-

mem diuideretur: nisi cum Kimhi mauis dicere autumnum hyemis, ver verò æstatis appellatione comprehendi.

18 *Memor esto huius*, &c. Idem dicit quod versu 10. Deóque, si fas ita loqui, redigit in memoriam blasphemas & contumeliosas inimicorum voces. *Memor esto*, inquit, ac noli obliuisci conuitiorum, quę insana gens in te quotidie iacit, sed vindica tu, qui potes, & omnia ista fecisti. *Huius*, quod nimirum sequitur, *inimicus improperauit* &c.

19 *Ne tradas bestiis*, seu *bestiæ* collectiuè. Sic ex Ezra vertendum, qui admonet חַיַּת *chaijat*, esse in regimine, ac supplendum nomen *agri*. Per *bestias agri*, seu *agrestes*, hostes notat, qui luporum, vrsorum, & similium bestiarum instar obuios quoque lanient & discerpant. Chald. sic accepit, qui interpretatus est, *Ne tradas populis, qui similes sunt bestiis agri*. Rasi, Kimhi, & alij plerique לְחַיַּת *lechaijath*, exponunt *congregationi*, inimicorum scilicet. Vox Hebraica est sanè ambigua, vti notatum ad vers. 31. Ps. 68. Kimhi ait exponi posse, *in contritionem*. Vide Lexica in rad. חָיָה *chaia*, & חָתַת *chathath*. Significatio *bestiæ* meliùs conuenit in id quod mox sequitur *animam turturis tuæ*. *Turturis tuæ*, hoc est, congregationis tuæ Israëliticæ, quæ instar miseræ & imbecillæ turturis in prædā iacet exposita, ipsa erga nocentes semper innocens. Dicunt turturem, quum est adflicta, non vociferari impatienter, sed apud se gemere. Idcirco fortasse Israëlitæ turturi comparantur, quòd in malis non vociferarentur impatientiùs, sed apud se & Deum leniter ingemiscerent. Quod exemplum imitari debent viri pij in calamitatibus. Rasi Israëlitas vult turturi conferri, quòd sicuti turtur mortuo compare alterius consortium nunquam postea admittit, ita Israëlitæ Deum cum altero Deo non commutarint, etsi ille ab iis longè recessisse videretur, essentque viduæ instar. Congregatio Israëlitica columba vocatur, Cant. 2. 14. Græcus & Lat. quia legerunt תּוֹדְךָ *todhecha*, pro תּוֹרְךָ *torecha*, ד pro ר, verterunt *confitentem tibi*, pro, *turturis tuæ*. *Animas*. Rasi חַיַּת *chaijath*, hîc pro *anima* accipit: Kimhi *congregationem* exponit, vt in priore membro: verùm obseruat *animam* posse interpretari, vt respondeat τῷ *animam turturis tuæ*. Citat locum ex Iob 33. 20. vbi prædicta vox pro *animâ* sumitur. Chald. *vitam* interpretatus est. Nihil ad summam rei interest, quoquo modo vertas. Nos tamen Græcum & Lat. interpretem, à quibus nunquam temerè discedimus, maluimus sequi. Deinde habet aliquid Poëticæ venustatis, quod eadem vox & hostibus, & Dei populo in diuerso sensu tribuatur. *Pauperum* seu *afflictorum tuorum*. Quo modo dixit *turturis tuæ*, ita nunc ait *afflictorum tuorum*, hoc est, eorum quos tu tamdiu affligi permittis. *Ne obliuiscaris*, id est, ne deseras, quasi oblitus prorsus. *In finem* seu *perpetuum*. Hoc quum addunt, ostendunt se non deprecari virgam, & correctionem, modò ne prorsus pereant, sed aliquando cum Deo redeant in gratiam, ac mitiùs accipiantur.

20 *Respice in testamentum*, seu *ad fœdus* illud, (in Hebræo enim est pathach ה emphatici) quod cum nostris maioribus iniuisti. Quodnam est illud fœdus? Illud scilicet, quod Deus pepigit cum Abrahā in hæc verba, *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Daboq; tibi* &c. Gen. 17. 7. & 8. *Quia repleta sunt loca tenebrosa* &c. Sēsus, est .n. tota hæc regio, in qua exules agimus, prædonum lustris plena: nihil aliud est quàm latronum & grassatorum latibulum, regnante vndique rapina. Per *loca tenebrosa terræ* intelligit igitur illam terram in qua Israëlitæ exules agebāt; quippe quæ illis nihil nisi tenebras & calamitates ostendebat: per *domos* verò, prop. *habitacula* vel *tuguria iniquitatis* seu *violentiæ*, latronum & prædonum latibula.

21 *Ne reuertatur afflictus*, seu *pauper*, aut *miser, factus confusus*, seu *affectus pudore*. Sēsus, Ne, quæso, tot miseri, qui ad te confugiunt, repulsam ferant, adeóque abs te discedant pudore suffusi: ne afflicti istius populi, qui ad orandum opem tuam venit, vanæ sint & irritæ preces: sed illi potiùs tui celebrandi nominis causam præbeto, quò pertinet sequens membrum *miser (pauper) & inops laudent nomen tuum*. Vbi per *pauperem*, necnon per *inopem*, seu *mendicum* (est enim hîc in Fonte אֶבְיוֹן *euion*, quæ vox valde pauperem significat) intellige destitutum omnibus præsidiis, & valde calamitosum, non verò ostiatim mendicantem: nihil enim hoc necesse: ac se Dauid, etiam regem, ita vocat, Ps. 40. 18.

22 *Iudica* seu *discepta causam tuam*. Si non vis facere propter nos, fac propter te: causa enim nostra causa tua est: probris siquidem te quotidie afficit aduersarius palàm iactitans te non posse nos seruare: quò & pertinet versus sequens. Est porrò hic versus similis decimo octauo.

23 *Strepitus* (in Græco & Lat. bene ad sēsum *superbia*) *eorum qui te oderunt*, (prop. *eorum qui contra te insurgunt*,) *ascendit sem-*

per, hoc eſt, creſcit atq; augeſcit in dies. Potes vertere, *ſtrepitus eorũ, qui in te inſurgũt, aſcendentis ſemper*, repetendo ex priore membro *Ne obliuiſcaris*, ad iſtum modum, *Ne obliuiſcaris ſtrepitus* &c. Potes exponere *aſcendit*, vel *aſcendentis ſemper* coram te, ita vt nulla iſtorum hominum vox te lateat.

PSALMVS

LXXV. Heb. LXXIV.

VERSIO

NOVA.


PRæcentori, Al-taſcheth, Pſalmus Aſaph cantici.

a Confitemur b confitemur — 2 [a] Confitebimur tibi, Deus, [b] confitebimur, etenim propinquum (eſt) nomen tuum: narrauerunt mirabilia tua.

c prop. rectitudines — 3 Quum accepero tempus, ego [c] iuſtitias iudicabo.

d vel Liquefiunt e vel confirmaui. — 4 [d] Liquefiunt terra, & omnes habitatores eius: ego [e] confirmabo columnas eius.

5 Dixi inſanis, Nolite inſanire: & impiis, Nolite exaltare cornu.

6 Nolite extollere in altum cornu f vel duro — veſtrum: (nolite) loqui collo [f] durum.

7 Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſerto exaltatio.

8 Quoniam Deus iudex (eſt:) hunc g illum — humiliat, & [g] hunc exaltat.

h heb. & vinum rubet — 9 Quia calix in manu Domini [h] vini meri, plenus miſto, & effundit ex hoc: fęces eius ſugent, bibent omnes peccatores terræ.

10 Ego annuntiabo in ſeculum: i pſallam — [i] cantabo Deo Iacob.

11 Et omnia cornua peccatorum confringam: exaltabuntur cornua iuſti.

VETVS.


IN finem, ne corrumpas, Pſalmus cantici Aſaph.

2 *Confitebimur tibi Deus, confitebimur: & inuocabimus nomen tuum.*

3 *Narrabimus mirabilia tua: cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.*

4 *Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.*

5 *Dixi iniquis, Nolite iniquè agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu.*

6 *Nolite extollere in altum cornu veſtrum: nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.*

7 *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus: quoniam Deus iudex eſt.*

8 *Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri, plenus miſto.*

9 *Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*

10 *Ego autem annuntiabo in ſeculum: cantabo Deo Iacob.*

11 *Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iuſti.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. PSALMVS *hic etiam ſcriptus videtur in captiuitate Babylonica, & quidem in dialogi formam, etſi nulla ſit expreſſio perſonarum: in quo dialogo inducuntur primò pij Iſraëlitæ promittentes celebraturos ſe Deum, quem mox opem laturum ſciant, atque è captiui-*

tate eductarum, Prophetarum oraculis edocti: aut, qui semper suis adfuerit, sicut à maioribus acceperunt. Deus statim excipit horum verba, &, Video, inquit, terram vestram, vosque omnes diffluere ac dilabi: statui igitur mox opem ferre, statúmque vestrum collapsum restituere. Hac auditâ Dei sententiâ, Israëlitarum quilibet inducitur loquens ad istum ferme modum, Annon hoc illud est, quod toties ad hostium insanorum more furentium rabiem cohibendam dixi? Ne insanite, néue tam arroganter insolescite in Deum atque homines, ne tam superbè responsate. Etenim in quamcumque orbis partem miseri mortales sese conuertant, non extolluntur propterea. Solius Dei iudicis est, quos ipsi videtur, deprimere, quos verò libet, extollere. Namque ipsum mihi videre videor vnâ ex parte calicem plenum mero, sed probè tamen diluto, manu tenentem, exóque largiter propinantem suis: ex altera verò parte impios ad exugendas ipsas fæces summo cum horrore adigentem: hoc est, suis quantum opus est bonorum suppeditantem: impios verò conijcientem in extremas miserias. Ac nunquam profectò ego sic loqui desinam, Deum semper laudans: atque eiusmodi sermonibus superbiam impiorum retundam, eâdem operâ iustis animos addens. Obscurus est hic psalmus & difficilis ad intelligendum propter istas præsertim loquentium personarum alternationes.

1 *Al-tascheth.* Ezra existimat fuisse initium carminis cuiusdam ad cuius modos hic Psalmus fuerit decantandus. Græcus & Lat. verterunt, *Ne corrumpas.* Sic quoque Rasi & Kabuenaki, qui exponunt, *Ne perdas* Israëlitas.

2 *Confitebimur* (vel *Confitemur*) *tibi, Deus, confitebimur*, vel *confitemur*, &c. Iam diximus hunc psalmum in formam dialogi esse compositum. Primò igitur pij Israëlitæ adhuc sub dominatu Chaldæorum existentes sic loquuntur, Celebramus te, ô Deus, assiduè celebramus, ac celebrabimus te: etenim numen tuum propè adest, & prophetæ narrauerunt quæ nostri caussa sis facturus mirabilia. Videamus singula. Repetitio verbi *confitendi* est duntaxat ad exprimendum seu amplificandum studium & ardorem canendarum Dei laudum. *Etenim propinquum (est) nomen tuum*, hoc est, namque tu propè ades, móxque feres auxilium, vti ex Prophetis didicimus, qui *narrauerunt mirabilia tua*, quæ facturus es. Potes generaliùs accipere, hunc in modum, Celebramus ac celebrabimus te, idque optimo iure: namque tu nostræ genti semper præsto es, accepimúsque quot & quanta olim eius caussa miracula edideris. *Etenim.* In Fonte, &. Verùm interdum hæc particula rationalis coniunctio est. Vide ad vers. 12. ps. 5.

Nomen tuum, id est, tu: nomen enim Dei pro Deo ipso sumi frequens est in Sacris litteris, siquidem, vt iam alicubi ex Kimhi notauimus, Deus, & eius nomen idem est. *Narrauerunt*, impersonaliter: prophetæ scilicet, vel, si sequi vis posteriorem & generaliorem illam expositionem, maiores & patres nostri. Gallicè *on nous a raconté.* Rasi sic habet ad hunc versum, *Confitemur tibi Deus* de bono; *confitemur* etiam de malo; *& propinquum (est)* in ore nostro *nomen tuum* semper: *narrauerunt*

A generationes nostræ *mirabilia tua* perpetuò.

3 *Quum accepero tempus*, &c. Author subitò absque vlla præmonitione Deum inducit loquentem, piisque respondentem, his verbis, Quum statutum & determinatum tempus nactus fuero: vel ex Kimhi, Quum pro arbitrio sumpsero (atque assignaro) certum tempus (מועד *moed*, enim certum ac determinatum tempus aut locum significat) Israëlitis, vt exeant è captiB uitate, *ego iustitias* (prop. *rectitudines*) *iudicabo*, hoc est, summa æquitate iudicium exercebo, déque hostibus vestris supplicium sumam, vt par erit. Gallicè dicimus, *prendre le temps.*

4 *Liquefiunt terra, & omnes habitatores eius*, hoc est, Terram ipsam Israëliticam, omnésque eius incolas video diffluere: certum igitur est mihi propediem reparare ruinas, & emota ipsius fulcra rursum stabilire: huc pertinet sequens membrum, *confirmabo columnas eius*, quibus in verC bis metaphora est sumpta ab ædificiis vitium facientibus. *Confirmabo.* In Fonte verbum est præt. temp. pro fut. ex Prophetarum consuetudine iam sæpe explicatâ. Ezra & Kimhi in futuro prius huius versus membrum accipiunt, hoc ferè sensu, Ac tunc liquefient terra, omnésque eius incolæ, hoc est, præ pauore consternabuntur, ac veluti dissoluentur omnes Gentes, Israëlitarum conspecta liberatione. Hoc autem de liberatione è præsenti captiuitate, sic enim appellare solent, intelligunt. Nos ad D liberationem è captiuitate Babylonica nullo negotio possumus referre, quæ liberatio vicinas Gentes non semel commouit, vt constat ex Esdræ & Neemiæ Historia. Iuxta istam sententiam posterius membrum, *ego confirmaui* (sic enim in hac sententia vertendum) *columnas eius*, facilem habebit sensum, quasi diceret, ac nihil mirum vi-

deri debet quod dixi, tunc terram eiúſque
incolas præ metu conſternatum iri, cùm is
ego ſim, qui terram ipſam baſibus ac co-
lumnis fulcierim, atque adeo eam, eiúſ-
queincolas, quum libitum erit, nullo nego-
tio commouere poſſim. Ezra per terræ co-
lumnas intelligi vult montes, quibus quaſi
fulcris & columnis terræ moles ſuſtinetur.
Videquæ expoſitio tibi magis arrideat.
5 *Dixi inſanis, Nolite inſanire*, vel *Ne in-
ſaniatis*. Sic connecte, vt Iſraëlitarum qui-
libet, poſtquam Dei ſententiam audiuit, di-
cat, Eia verò annon illud eſt, quod ego
ſemper ad hoſtium inſanorum more furen-
tium rabiem compeſcēdam dixi? Vt ne vi-
delicet inſanirent, néue tam arroganter in-
ſoleſcerent, ac ſuperbè reſponſarent: ſiqui-
dem non humanarum virium ſit, ſed vnius
Dei, quos ipſi videtur, abiicere, & quos ipſi
libet, extollere: iſque improbos tandem
ſeueriſſimè puniat. Hoc ſignificant ſequē-
tes verſus, qui ſigillatim ſuo quiſque loco
explicabuntur. *Nolite exaltare*, vel, *Ne
exaltetis cornu*, id eſt, Nolite animo effer-
ri, aut inſoleſcere fiduciâ veſtrarum virium.
In hac loquutione, quæ Latinis quoque tri-
tiſſima eſt, metaphora eſt à cornutis ani-
mantibus deſumpta.
6 *Nolite extollere in altum*, hoc eſt, in cæ-
lum, aut Deum, *cornu veſtrum*, ſicuti facitis.
Quòd מָרוֹם *maron*, abſolutè poſitum Deū
ſignificet vt excelsū, indicat verſus 3. pſ. 56.
quòd cælum, magis tritum eſt, quàm vt
probari debeat. Potes accipere ſimplici-
ter, *Nolite extollere in altum cornu veſtrum*,
pro, Ne vos ipſos efferte ſuperbè. *Nolite lo-
qui, collo* ſcilicet extento & erecto, vt ſuper-
bi ſolent, *durū* ſcilicet verbū. Vide *loqui du-
rū* pſ. 31. 19. & pſ. 94. 4. Simile habes 1. Sam.
2. 3. *Nolite multiplicare loqui ſublimia*,
heb. *ſublime, ſublime; (neque) egrediatur du-
rū de ore veſtro*. Potes vertere, *collo duro*, id
eſt, reluctāte & renitēte, metaphorâ ab ani-
mantibus refractariis & quæ collo iugum
excutiunt, petitâ. Græcus & Lat. poſterius
membrum verterunt, *nolite loqui aduersùs
Deum iniquitatem*, vel ſenſum ſequuti dun-
taxat, vel quia pro צַוָּאר *tſauuar*, quod *col-
lum* ſignificat, legerunt צור *tſur* quod Dei
nomen eſt, vel potius epithetum. Græcus
& Lat. hîc, & pſ. 94. 4. עָתָק *athak*, quod
durum reddidimus, verterunt *iniquitatem*,
ſenſum tantùm reſpicientes.
7. *Quia neq; ab Oriente*, &c. Senſus, Nihil
.n. dignitatis aut potētiæ homini ab Oriēte,
Occidente, aut Meridie accedit, id eſt, non
idcirco aliquis fit magnus aut potens, quòd
in hanc aut illam mundi partem ſe flectat,
hunc aut illum locum adeat, ſed Deo vo-
lente: quò ſpectat ſequens verſus, *Quoniā*

A *Deus iudex (eſt:) hunc humiliat, & hunc (illū)
exaltat*. Sic ferè ex Kimhi, qui הָרִים *harim*,
exaltationem ſignificare, (eſſe nimirū ver-
bum infinit. modi pro nomine, id quod in-
terdum vſu venit) probat ex eo quòd מִמִּדְבַּר
mimmidhbar, id eſt, *à deſerto*, affectum ſit ·,
ideóque non ſit conſtructum, (vt verti ni-
mirum poſſit *à deſerto montium*.) Adfert &
illud ex Midras, Quid eſt, neq; מִמִּדְבַּר הָרִים
mimmidhbar harim? Rabbi Abba ait, Omne
הָרִים *harim*, quod occurrit in Scriptura, *mō-
tes* ſignificat, præter hoc, quod eſt *exalta-
B tio*. Hactenus ex Midras. Quod affirmat
Kimhi מִדְבָּר *midhbar*, ſcribi cum ·, id verò
refellunt pleraque exemplaria, quæ habent
patach. Adde non paucos ex Hebræis ex-
ponere *à deſerto montium*, id eſt, à deſerto
montoſo, quod erat ad meridiem terræ Iſ-
raël. Ezra obſeruat eſſe qui exiſtiment id-
circo dicere, *Quia neque ab Oriente, neque
ab Occidente exaltatio*: quòd Aſtrologi ſen-
tiant bonam aut malam fortunam aſtris po-
tiſſimùm eſſe adſcribendam. Ioſeph Kimhi
C מַעֲרָב *maarau*, non pro *Occidente* hoc loco
accipit, ſed pro *negotiatione*, quam ſignifi-
cationē hoc vocabuli non ſemel obtinet E-
zech. 27. neque מוֹצָא *motſa*, pro *Oriente*, ſed
pro *regis reditibus*; neque מִדְבָּר *midhbar*,
pro *deſerto*, ſed pro *eloquio*, quo modo ac-
cipitur Cant. 4. 3. quæ tria præſertim ad ho-
nores & opes hominē euehūt, ſi nimirū tri-
butis, vectigalib. portoriis cogēdis ſit pręfe-
ct⁹, ſi mercaturā faciat; ſi eloquētiâ polleat.
8 *Quoniam Deus iudex (eſt:)* &c. Senſus,
Non eſt humanæ ſollicitudinis & diligen-
D tię in altiorem dignitatis gradum euehi: Dei
quippe ſolius eſt, quem ipſi viſum eſt, depri-
mere & extollere, vt qui ſolus hunc mundū
adminiſtrat ac moderatur, & vni pro arbi-
trio, iuſtè tamen, adimit, quod addat alte-
ri. Nota, quāquā eſt penes Deū ſūma im-
perij poteſtas, iudicem tamen appellari,
quò detur intelligi ipſum ſumma æquitate
res humanas moderari.
9 *Quia calix in manu Domini &c.* Hic
verſus continet rationem præcedentis. Hic
enim pingitur Deus vna ex parte amplum
calicem plenum vino mero ac rubente, ſed
E aqua tamen temperato, manu tenens, ex
eóque calice liquidius ac dilucidius vinum
ſuis propinans: ex altera verò parte impios
ad exugendas calicis fæces adigens. Qua
imagine ſignificatur, Deum copiam bono-
rum, ſed aduerſis tamen temperatorum, ne
videlicet nimia proſperitate corrupti dila-
bantur in luxuriem, ſuis, quum opus eſt,
abundè largiri: contrà verò omnia mala,
quando viſum eſt, impiis immittere. Igitur
Deus impios illos ſuperbos, quando vult,
poteſt deprimere, contrà bonos extollere.

Huc pertinet illud Esaiæ 51.17. *Expergiscere,* A *expergiscere, surge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius: fæculentum* (Vulg. *vsque ad fundũ*) *bibisti, exuxisti. Vini meri:* ad verb. *& vinum,* quod est in eo calice scilicet, *rubet,* id est, optimum est: vinum enim rubrum apud Iudæos fuit præcipuum: quod vel indicat illud Prou. 23. 31. *Ne intuearis vinum, quòd rubrum sit, quòd det in calice colorem suum,* id est, Ne attendas bonitatem vini. Græcus & Lat. verterunt *meri,* vel quia tantùm sensum sequuti sunt, vel quia pro חָמַר *chamar*, legerunt חֶמֶר *chemer,* quod *merum* significat. Chald. sic legisse videtur, qui vertit עַשִּׁין *aschin,* id est, *forte. Plenus* calix videlicet: etsi כּוֹס B *chos,* id est, *calix,* aliàs est fœmi. gen. מָלֵא *male*, autem masc. Igitur quis fortasse ad vitandum generis dissidium verterit, *vini meri pleni mixto,* vel, *vinum rubet plenum mixto.* Referunt tamen Rasi, Ezra, Kimhi, & alij ad calicem. Sic Græcus & Lat. *Fæces eius* calicis: pronomen enim in Hebræo est fœmin. gen. Alij alias huius versus interpretationes adferunt, sed quæ non mihi videntur satis cohærere, neque placent. In posteriore membro Græcus & Lat. verterunt, *Veruntamen fæx eius non est exinanita:* legisse quippe videntur pro יִמְצוּ *ijmtsu,* id est, *sugent,* יִמָּצְאוּ *ijmmatseu,* quod est *inuenientur,* atq; illud *fæces eius inuenientur,* eo modo, quo dictum est, fuisse interpretati, sensúmque duntaxat reddidisse, nõ verba. Symm. vertit, πλὴν τὰς τρυγίας αὐτῆς ἐκστραγγίσουσι πίονται οἱ φαῦλοι τῆς γῆς, prorsus quo modo hodie est in Hebræo.

10 *Et ego annuntiabo* &c. Sensus, Dixi ac soleo sic dicere, nec desinam hoc, quod mox dicebam, assiduè inculcarè, quò impij emendentur, ac semper interim Deum laudabo. Sic ferè ex Ezra.

11 *Et omnia cornua peccatorum confringam:* &c. hoc est, Eiusmodi verbis superbiam impiorum retundam, eâdem opera pijs animos addens. Sunt qui huius & præcedentis versus hanc putant esse sententiam: At ego ex hac captiuitate liberatus nunquam intermittam prædicare Dei beneficium & potentiam admirabilem in suis seruandis: ac tunc meis verbis hostium cornua deprimentur & veluti confringentur, iustis interim caput altè efferentibus. Planior ac simplicior videtur esse vltima expositio.

PSALMVS

LXXV. Heb. LXXVI.

VERSIO

VETVS.

IN finem in laudibus, Psalmus Asaph, canticum ad Assyrios.

2 *Notus in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius.*

3 *Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.*

4 *Ibi confregit potentias: arcum, scutum, gladium, & bellum.*

5 *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.*

6 *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

7 *Ab increpatione tua Deus Iacob: dormitauerunt, qui ascenderunt equos.*

8 *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.*

NOVA.

PRÆCENTORI in Neghinoth, Psalmus Asaph cantici.

2 Notus in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius.

3 Et est in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sion.

4 Ibi confregit sagittas arcus, scutum, gladium, & bellum.

5 Splendidus tu (&) magnificus (velut) è montibus prædæ.

6 Spoliati fuerunt fortes corde: dormiebant somnum suum: & non inuenerunt omnes viri roboris manus suas.

7 Ab increpatione tuâ, Deus Iacob, sopitus erat & currus, & equus.

8 Tu terribilis es: & quis stabit coram te, ex tunc ᵃ ira tua?

b audire 9 De cælo [b] auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit:

c ad 10 Quum exurgeret [c] in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.

11 Quoniam ira hominis confitebitur tibi: residuum irarum cingis.

12 Vouete & reddite Domino Deo vestro: omnes, qui in circuitu eius,
d heb. munus afferant [d] munera terribili:

13 (Qui) aufert spiritum principum:
e Regibus terribilis (est) apud [e] Reges terræ.

9 *De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit.*

10 *Cùm exurgeret in iudicium Deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.*

11 *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

12 *Vouete & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.*

13 *Terribili & ei qui offert spiritum principum: terribili apud reges terræ.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. KIMHI & Kabuenaki, *Genebrardus quoque, putant hunc psalmum de bello Gog & Magog, prophetice scilicet, esse conscriptum. Ex nostris multi propter authoritatem Græci & Lat. interpretis, qui hebræo titulo addiderunt, ille* πρὸς τὸν Ἀσσύριον, *hic* ad Assyrios, *arbitrantur agere hunc psalmum de ea liberatione, quà vrbs Hierosolyma è manu Sennacherib Assyriorum regis erepta & liberata est, centum & octoginta quinque millibus vna nocte per Angelum deletis, 2. Reg. 19. sub finem. Rasi in hac est sententia, vt obseruabitur postea ad vers.* 4. Kimhi *etiam in* Serasim, *ad rad.* חגר chaghar. *Verùm hic mutauit sententiam in Commentariis. Alij existimant eiusdem esse argumenti hunc psalmum, ac 46. referendúmque esse ad illas victorias, quæ describuntur* 2. Sam. 8. *&* 1. *Paral.* 18. *Alij ad alias victorias pertinere iudicant. Profectò, vt incertum sit ad quam victoriam pertineat, certum est ex orationis contextu conscriptum post duram aliquam obsidionem ab vrbe Hierosolyma diuinitus depulsam, & profligatum hostilem exercitum. Primò enim sic ferè ait, In Iudæa demum Dei potentia innotescit, in Israële illustre factum est nomen eius. Verè nunc Deus ostendit se Hierosolymæ habitare, postquàm scilicet obsidentem hostem tam admirabiliter prostrauit, sagittis, arcubus, scutis, gladiis, cæterisque bellicis instrumentis confractis. Et verò, ô Deus, totus nunc splendes atque emicas, veluti leo è montibus rediens prædæ satur. Prædæ fuerunt hostes isti quantumuis strenui ac ferocientes, & inter dormiendum oppreßi nihilo magis aduersùs Angelum percussorem arma expedire potuerant, quàm si ademptæ illis manus fuissent. Namque solo tuo nutu tam iis qui curru vehebantur, quàm equitibus adeo grauis iniectus fuit sopor, vt mouere se haud potuerint. Tu enim verè terribilis es, nemóque est mortalis, qui tuum irati conspectum ferre poßit. Tu certè palàm ostendisti te eam stragem dare: idcirco gentes reliquæ tam horrendo spectaculo territæ quieuerunt, & aduersùs nos arma mouere destiterunt, Dei iudicium ac manum agnoscentes, qui ad seruandos suos, perdendósque eorum hostes tandem exurrexerit. Quidni autē destitissent, cùm nemo mortalium sit, qui ferociam, quando vis, prorsus non cogatur deponere: aut si quid interdum furoris est reliquum, te cohibente, non poßit erumpere? In fine psalmi est Epilogus, quo admonentur Israëlitæ, vt vota nuncupent & gratias agant pro adepta victoria Deo terribili, qui principibus tumentes spiritus adimit, quem superbi Reges metuunt.*

1 *Neghinoth.* Vide ad Tit. ps. 4.

2 *Notus in Iudæa Deus:* &c. In Iudæa demum Dei potentia clarè innotescit, in Israële gloriosum & illustre est nomen eius ob ingens illud miraculum & prodigium in depellenda ab Hierosolymis obsidione nuper visum, toto ferè Assyriorum exercitu vna nocte absque vllo labore nostro, quum maximè opus esset, diuinitus deleto. *Iudææ* speciatim meminit, quòd Ierusalem esset in tribu Iudæ, ideoque beneficium, quod ce-
A lebratur hoc carmine, ad eam tribum potissimùm spectet.

3 *Et est in Salem*, hoc est, Ierusalem, *tabernaculum eius*, &c. Sensus, Verè ostendit tam admirabili liberatione se peculiarem curam gerere vrbis Hierosolymæ, vt in quâ scilicet peculiare domicilium fixit, hoc est, Templum esse voluit. *Salem.* Sic ante Abrahami tempora vocabatur, quæ à Dauide nominata Ierusalem, voce composita ex יִרְאֶה *yre, videbit*, vel יֵרָאֶה *ierae, vide-*

bitur, quod nomen isti vrbi inditum ab A- A brahamo, vt videre est Gen. 22. 14. & שָׁלֵם *schalem*, *Salem*, perantiquo eius loci nomine, vti constat ex Gen. 14. 18. vbi dicitur, *At verò Melci-sedec Rex Salem*. Melci-sedec putant Kimhi & alij Hebræorum fuisse Sem Noe filium alio nomine dictum Salem, id est, *perfectum*. *Sion* pars fuit vrbis montosa, in qua Regia.

4 *Ibi confregit sagittas* &c. R. Moses ex hoc versu colligit hoc carmen de profligato hoste, qui Hierosolymam obsideret, esse intelligendum. Per רִשְׁפֵי *rischphe*, sagittas B instar scintillarum (רֶשֶׁף *reschepb*, *scintillam* significat) volantes accipi vult. Rasi prædictam vocem negat idem significare hîc, quod Cant. 8. 6. *prunas* nimirum seu *scintillas*, quæ significatio in arcum non possit cadere: siquidem hîc sit ש lene, illic forte, & dagessatum. Vult igitur significare hîc aues, vel potiùs sagittas auium instar volantes: quo sensu dicitur, *à sagitta volante in die*, ps. 91. 5. Probat hanc significationem tribus ex locis. Primus est Deut. 32. 24. Secundus Iob 5. 7. Tertius ps. 78. 48. vbi C רֶשֶׁף *reschepb*, vult auem significare. Colligit porrò ex hoc versu totum hunc psalmum loqui de clade Sennacherib, quòd nullus alius hostis cladem accepisse legatur apud Hierosolymam præter istum. *Bellum*, id est, omnia bellica instrumenta.

5 *Splendidus tu* (*&*) *magnificus*, *ô Deus*, &c. Hic versiculus obscurus mihi videtur. Ego acciperem hoc sensu, supplendo nonnulla, quod minimè mirum videri debet in poësi, quæ haud rarò præcisionibus abundat, ita, inquam, acciperem, vt dicat, Tu to- D tus nunc emicas, & fulges, sicuti quum leo prædæ satur è montibus redit iubas hinc inde superbè quassans. Deum hostium victoria potitum leoni comparat è prædâ redeunti, atque exultanti. (*Velut*) *è montibus prædæ*, id est, veluti si exires è montibus prędæ, quasi leo. *Montes prædæ* vocat montes, in quibus leones & vrsi habitant, & prædas agunt. Fortasse *montes prædæ* per contemptum nominat hostium castra, quæ tota videlicet ex prædis & latrociniis constarent, vel quæ prædarum aceruos aut po- E tiùs montes haberent, quasi diceret, Quàm illustris & gloriosus ex prædatoriis illis exercitibus rediisti? Priore modo accipit Kimhi. Rasi per *montes prædæ* homines Gigantæos intelligit & motiû instar altos prædæque assuetos, quorû potentia nihil sit ad Deû. In huius sententiâ vertẽdû, *Splendidus tu* (*&*) *magnificus præ montibus prædæ*. Sic vertendo, dici potest per *montes prædæ*, et si eodem res redit, intelligendos Reges ac principes ferarum in morem ex rapto vi- A uentes. Non semel in sacris litteris Reges aut principes reperies montes appellari. Habes duo insignia exempla Mich. 6. vers. 1. & 2. Nota in hoc & sequentibus versibus subitam apostrophen.

6 *Spoliati sunt robusti corde*; &c. Pergit in instituta narratione de deleto exercitu. *Spoliati sunt* & prædæ fuerunt Israëlitis. Hoc respondet τῷ *è montibus prædæ*. *Robusti corde*, & fortes animi, qui ausi fuerunt obsidere Hierosolymam. Græc. & Lat. Syrus quoque, verterunt *insipientes corde*. B Nimirum legisse videntur אֹבְדֵי *ouedhe*, id est *pereuntes*, pro אַבִּירֵי *abbire*, ד pro ר. Sensus ergo erit, *insipientes corde*, id est, homines temerè sese periculis obiicientes, quos fortes stulti iudicant, cùm tamen non sint, sed potiùs temerarij. Græcus Esa. 46. 12. vbi eædem voces atque hîc, vertit ἀπολωλεκότες τὴν καρδίαν, Lat. *duro corde*, hoc est, peruicaci animo. Tu vide quid meliùs huic loco conueniat. *Dormiebant somnum suum*. Noctu accidit clades Assyriorum exercitui, 2. Reg. 19. 35. Quidam *somnum* C hîc mortem interpretantur, quasi dicat, mortis somno inter dormiendum correpti sunt. Hoc sensu Ier. 51. 39. minatur sic Deus Babyloniis, *In calore eorum ponam conuiuia eorum, & inebriabo eos, vt exultent, & dormiant somnum sempiternum, & non euigilet*. Assyriorum autem mortem fortasse hîc appellat somnum, quia de nocte est inflicta, vt somnum noctis somnus mortis exceperit. Atque hîc Theodor. habet, Securè cùm se dormituros putarent, spes illos fefellit, quum somnum mors excepisset. Si vltimo D modo accipias, vertendum *dormierunt* per præt. perf. *Et non inuenerunt omnes viri fortes manus suas* ad pugnandum, id est, nihilo magis, percutiẽte Angelo, arma expedire potuerũt, quàm si manib. caruissent.

7 *Ab increpatione tuâ*, id est, te volente, tuo nutu. Increpationes diuinæ sunt efficaces. Significat hæc phrasis Deum solo nutu, & verbo posse quicquid vult. *Sopitus erat* sopore diuinitus immisso. Si hoc de sopore mortis placet accipere, verte per præt. perfectum *sopitus fuit*. *Et currus*, *&* E *equus*, hoc est, synecdochicẽs, ascensores currum, & equorum. Prius & notat Rasi esse superfluum, vt Gen. 36. 24. vbi legitur, *Et hi filij Sebeon*, *& Aia*, *& Ana*.

8 *Tu terribilis es*: &c. Continet hic versus rationem istorum verborum *ab increpatione tua*: quasi dicat, Tu enim verè terribilis es. *Ex tunc*, id est, ex quo, *ira tua* exarsit.

9 *De cælo auditum* (*audire*) *fecisti iudiciũ*, quo Assyriorum exercitum delendum statuisti. Sensus, Tam mira & insolita est ista

clades, vt tua sententia & voluntate factum omnes intelligant. Quod à Deo peculiariter est, illud è cælo proficisci dicitur. *Terra tremuit* &c. id est, reliquæ gentes tantæ cladis territæ spectaculo quieuerunt, & Dei iudicium agnouerunt, sic vt aduersùm Israëlitas arma mouere destiterint.

10 *Quum exurgeret in* (*ad*) *iudicium* &c. Cohæret cum præcedente versu sic, Tunc terra tremuit & quieuit, quum Deus tandem exurrexit, vt pœnas ab hostibus iudicio persequeretur, contrà verò Israëlitis salutem afferret. *Exurgeret.* Hoc verbum cessationem aliquam & moram importat: surgit enim qui aliquandiu sedit & quieuit. Alij ad vitandum subitam personæ mutationem per secundam personam vertunt *exurgeres*, sic & *saluos faceres. Omnes mansuetos terræ.* Rasi vult intelligi Ezechiam, & qui ab illo stabant.

11 *Quoniam ira hominis confitebitur*, seu *confitetur tibi.* Ratio est istorum verborum versus 9. *terra tremuit & quieuit*, ac si dicat, reliqui mortales tunc tremuerunt & quieuerunt, quoniam necesse est, vbi vis, omnes homines, quantumuis feroces & furentes, tibi cedere, tuam potentiam agnoscere & celebrare. *Ira hominis*, id est, homo iratus & furens, abstractum pro concreto. *Reliquum irarum cingis* seu *cinges*, hoc est, ita coërces, quum placet, vt si quid furoris restet adhuc, non tamen possit erumpere. תַּחְגֹּר *tachgor*, quod nos ex vsu Bibliorum per verbum *cingendi* vertimus, Rasi explicat *impedies*, *detinebis*, quam significationem ex Misna probat. Symm. vertit Ὅτι θυμὸς ἀνθρώπου ἐξομολογήσεταί σοι, λείψανον θυμὸν περιζωθῇ. D. Hier. *Quia ira hominis confitebitur tibi: reliquiis iræ accingeris.*

12 *Vouete & reddite* vota vestra. *Omnes qui in circuitu eius*, hoc est, ex Chaldæo, *omnes qui habitant* seu *habitatis in circuitu San-*

A *ctuarij eius*, ad quos scilicet tantæ rei fama peruenit. Kimhi intelligit vicinas gentes terræ Israël: nam cùm, inquit, Deus habitet in terra Israël, vicini terræ Israël vicini sunt & Dei. Quidam propter Athnach pertinere hoc volunt ad illud, *Vouete & reddite Domino Deo vestro.* Alij, neglecto Athnach, ad hoc *adferant munera* &c. Si ad illud pertinet, *adferant* impersonaliter vsurpabitur. *Terribili*, seu *timendo.* Sic vertendum ex R. Mose, & Kimhi. Ex Ezra *pro-*
B *pter timorem.* | *Afferant munera terribili.* Hoc Ezechiæ temporibus factum legimus, 2. Paralip. 32. 22. & 23. (post solutam videlicet Hierosolymæ vrbis obsidionem) vbi, *Saluauitque Dominus Ezechiam, & habitatores Ierusalem de manu Sennacherib Regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit eis quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Ierusalem, & munera Ezechiæ* &c.

13 *Qui aufert* (ad verb. *vindemiat*) *spiritum principum.* Cohæret cum præcedente ad
C istum modum, *afferant munera terribili*, quem cernunt, vbi visum est, principum fastum ac superbiam vinitoris instar amputare, & terrorem omnibus terræ Regibus incutere. Per *spiritum* Rasi & Kimhi fastum & superbiam intelligi volunt. Et Chaldæus interpretatur, *Minuit superbiam spiritus* &c. Potest tamen per *spiritum* vita intelligi, quasi diceretur, Suorum caussâ, vbi est opus, principibus ipsis vitam adimit. Quoquo modo accipias, aptè dicetur ad argu-
D mentum. Namque 2. Paral. 32. 21. legimus Sennacherib, deleto per Angelum exercitu, ad suos rediisse pudore suffusum, ac non multò pòst à filiis interfectum. Quàm porrò arrogans & superbus cùm in Deum, tùm in homines fuerit, docet historia 2. Reg. 18 & 19. & 2. Paral. 32.

PSALMVS

PSALMVS

LXXVI. LXXVII.

VERSIO

VETVS.

IN finem pro Idithun, Psalmus Asaph.

2 *Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.*

3 *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.*

4 *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum: & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.*

5 *Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.*

6 *Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui.*

7 *Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum.*

8 *Nunquid in æternum proijciet Deus: aut non apponet vt complacitior sit adhuc?*

9 *Aut in finem misericordiam suam abscindet: a generatione in generationem?*

10 *Aut obliuiscetur misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas?*

11 *Et dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

12 *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*

13 *Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.*

14 *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.*

15 *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum*

NOVA.

PRÆCENTORI super Idithun, Asaph psalmus.

2 Vox mea ad Deum, & clamo: vox mea ad Deum, & attendet mihi.

3 In die tribulationis meæ Dominum quæro: manus mea nocte effunditur, & non cessat: renuit consolari anima mea.

4 Memor sum Dei, & tumultuor: meditor, & deficit spiritus meus.

5 Tenes custodias oculorum meorum: turbatus sum, & non loquar.

6 Cogito dies antiquos, annos seculorum.

7 Recordor cantici mei: nocte cum corde meo meditor, & scrutatur spiritus meus:

8 Nunquid [a] in æternum proijciet [b] Deus, & non [c] apponet vt complacitior sit adhuc?

9 Nunquid cessauit in æternum misericordia eius? defecit verbum in generationem & generationem?

10 Nunquid oblitus est misereri Deus? an [d] continuit in ira misericordias suas?

11 Et dixi, [e] Ægritudo mea hæc, [f] mutatio dexteræ Excelsi.

12 Memor sum operum Domini: [g] quia memor sum ab initio mirabilium tuorum.

13 Et meditor in omnibus operibus tuis, & in factis tuis commentor.

14 Deus, in [h] sancto via tua: quis Deus magnus, sicut Deus?

15 Tu (es) Deus [i] qui facis mirabilia: notam fecisti in populis [l] virtutem tuam.

16 Redemisti in brachio populum

a ad verb. in secula repellet Dominus
b addet vt bene velit amplius
d conclusit
e vel vulnus meum hoc,
f vel anni
g vel certè
h sanctitate
i faciens
l fortitudinem

tuum, filios Iacob & Ioseph.
17 Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, timuerunt: etiam turbatæ sunt abyssi.
18 Inundare fecerunt aquas nubes; vocem dederunt æthera: etiam [m] sagittæ tuæ discurrerunt.
19 Vox tonitrui tui in rota; illuxerunt coruscationes orbi terrę: commota est & contremuit terra.
20 In mari via tua, & [n] semitæ tuę in aquis multis: & vestigia tua non sunt cognita.
21 Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysis & Aaron.

[m] vel fulgura tua

[n] heb. semita tua

tuum, filios Iacob & Ioseph.
16 *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt: & turbatæ sunt abyssi.*
17 *Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.*
18 *Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.*
19 *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.*
20 *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.*
21 *Deduxisti sicut oues populum tuum: in manu Moysi & Aaron.*

COMMENTARIVS.

Argumētum.

APPARET *hunc Psalmum in graui aliqua Israëlitici populi calamitate ac mærore fuisse conscriptum. Quæ fuerit illa calamitas non constat, nisi fortè illa est, quam passi sunt Israëlitæ apud Babylonios. Neque obstat quòd Asaph huius Psalmi author, non fuerit tempore exilij Babylonici, sed longè antea, Dauidis ætate: fortè enim alius Asaph, quàm qui fuit tempore Dauidis, sed tamen ex eius posteris, author est huius carminis. Vel potuit Asaph animo illam captiuitatem, quam aliquando futuram diuino afflatus numine præsciret, aut quæ ex Prophetarum oraculis nota esset omnibus, spectare, & quasi adesset præsens, describere. Vtut res habet, inducitur hoc psalmo aliquis in maximis malis non parum impatiens, & vehementer satis de Deo & cum Deo expostulans. Non parum implexus est hic Psalmus. Itaque breui hac paraphrasi explicabitur. Non cesso nunc ad Deum vociferari, qui me, spero, exauditurus est. Tempore hoc calamitoso ad Deum confugio, ac nocte etiam tota absque vlla intermissione supplex ad eum manus veluti effundo: nocte, inquam, quum me negotijs abstractum vehementior subit animi dolor. Equidem ego reuocare soleo in memoriam, quàm benignum se olim erga genus nostrum Deus præstiterit. Quæ cogitatio vehementer animum affligit, sic vt somnum capere nequeam, & lingua prorsus faucibus hæreat. Soleo, inquam, memoria repetere res illas insignes à Deo superioribus seculis gestas: ac mihi tum venit in mentem carmen ijs de rebus à me scriptum: noctúque, vt fit, recursantibus curis, cum animo meo loquor, & anxia sollicitudine apud me disputo ad istum modum, Anne Deus gentem suam æternùm deserturus est, nec vnquam cum illa redibit in gratiam? Nullúsne ampliùs misericordiæ locus relictus est? Nullane sunt Dei promissa, quibus miseris opem, resipiscentibus veniam pollicitus est? Nunquid oblitus est misereri præpotens ille Deus? Nunquid præ ira miserationes suas conclusit? Sed quum ego iterum superiora illa tempora ampliùs recogito, enimuerò tum ægrè est animo meo, qui videam quàm alius nunc sis erga nos, ô Deus, ab eo qui olim fuisti erga maiores nostros. Veniunt in mentem prisca illa & magnifica tua facta. Neque enim obliuisci possum: quin assiduè ea meditor, sic mente te alloquens: Immensa est, ô Deus, & ad cœlum vsque pertingens tua potentia atque agendi ratio. Ecquis cæterorum Deorum magnitudine par tibi est? Tu profectò, Deus faciens mirifica: tu stupendam Ægyptijs, alijsque populis potentiam iam olim ostendisti: quum gentem tuam, Iacobi videlicet & Iosephi posteros, incredibili virtute ex Ægypto liberasti: quum vndæ sinus rubri tuæ præsentiæ quodam veluti sensu perterritæ subitò in latera cessere, viàque fugientibus aperuere, densis imbrium nubibus interea in Ægyptiorum capita summo impetu sese effundentibus, æthere horrendo boatu intonante, ignitis telis hinc inde tuo iussu medium per aëra discurrentibus, tuorum fulminum ictu Ægyptiorum curruum rotis subuersis, orbe toto coruscantibus fulguribus emicante, ipsa denique terræ mole crebro ac vehementi tonitruorum concussu contremiscente. Tum tu, quasi dux, tibi, tuòque populo per medium mare iter aperuisti, quod coëuntibus mox aquis, inque miseros Ægyptios refluentibus ita clausum fuit, vt nullum postea illius vestigium cerni potuerit. Tuum populum denique mare egressum, quasi gregem fidis pastoribus Mosi & Aaroni commissum, per desertum tot annos incolumem deduxisti, & hoc est quod mihi tam vehementer dolet, quòd nihil nunc tibi est curæ hic populus.*

1 *Super Idithun.* Propter particulam עַל *al*, *ſuper*, puto cum Ezra *Idithun* initium fuiſſe cantilenę, ad cuius numeros decantandus eſſet hic Pſalmus. Kimhi cenſet עַל *al*, eſſe pro לְ, dandi caſus notâ. Itaque in eius ſententiâ huius canendi Pſalmi ipſi Idithun mandata fuit prouincia. Vide ad Titulum Pſ. 39.

2 *Vox mea ad Deum*, &c. Certè, inquit, non ceſſo ad Deum vociferari: ac, ſpero, ille me exaudiet.

3 *In die tribulationis meæ* huius ſup. &c. Senſus, Non ceſſo nunc opem Dei implorare, nocte etiam ſine intermiſſione protenſis ad Deum manibus: tantus enim eſt dolor, nullam vt animus conſolationem admittat, atque adeo me non ſinat vnquam quieſcere. *Manus mea nocte effunditur*, &c. hoc eſt, nocte, expanſis manibus, precor abſque vlla intermiſſione. Hunc ſenſum videtur ſequutus Symm. qui vertit, ἡ χείρ μου νυκτὸς ἐκπεταμένη διηνεκῶς. *Effunditur*, emphaticè, pro, expanditur. Græcus & Lat. vetterunt *contra eum*, ſeu *coram eo*. Qui dubio procul legerunt נֶגְדּוֹ *neghdo*, pro, נִגְּרָה *niggera*. Ad mentem Raſi & Kimhi vertendum, *plaga mea nocte defluit*, *& non quieſcit*, hoc ſenſu, vulnus & dolor animi noctu, vt fit, recrudeſcit. Ex Ezra verti poteſt (*propter*) *plagam meam nocte effunditur*, ſup. clamor meus, ex verbo *clamo* præcedentis verſus. Ezra affert exemplum ſimilis Ellipſeωs ex Num. 23. 20. *Ecce vt benedicerem accepi: & benedixit, & non reuocabo eam*, ſubaudi benedictionem, ex verbo benedicendi. *Manum* appellari pro plaga aliàs oſtenſum eſt.

4 *Memor ſum Dei*, &c. Senſus, Quum memoria repeto omnia beneficia in noſtrā gentem olim à Deo collata: enimuerò tum totus mœrore obruor, ac deliquium animi patior, conſiderans præſentis temporis miſerias.

5 *Tenes cuſtodias* (vel ex R. Moſe, & Ezra, *cuſtodes*) *oculorum meorum*, id eſt, Palpebras ipſorum oculorum cuſtodes retines, ac cohibes, ne claudantur. *Tenes* ait, quaſi dicat, Tui, ô Deus, ac tuorum priſcorum beneficiorum recordatio tenere videtur oculorum meorum palpebras, nec ſinit me dormire. Nihil eum æquè excruciat, qui in diuerſum longè ſtatum exciderit, quàm priſtinæ fœlicitatis recordatio: & infœliciſſimum infortunij genus eſt meminiſſe ſe fuiſſe fœlicem. Kimhi ſic fermè interpretatur, *Tenes vigilias oculorum meorum*, hoc eſt, Tenes in vigiliis oculos meos, vt ſemper vigilent, nec queam propter vim mœroris ſomnum capere. Siue hoc ſiue illo modo accipias, ſemper eadem eſt ſententia: quam

A Græcus & Lat. videntur ſequi, quum vertunt, *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* Hoc enim nihil aliud eſſe videtur, quàm, Præuenire ſolent oculi mei inſomnes vigilias omnes noctis, nec poſſum ſomnum capere. *Turbatus ſum* variis cogitationibus, earúmque comite inſomniâ: ita, inquam, turbatus ſum, vt fermè loqui nequeam: ita ſunt ingentes curæ, vt ſtupeat mens mea, neque adeo lingua ſatis ſuum officium facere poſſit. *Et non loquar*, id eſt, vix eſt vt loqui poſſim. Fut. pro præſ. potentiali. Præterita in hoc verſu ſunt quoque pro præſentibus, vt fit, quando præterita futuris permixta ſunt, quemadmodum in his aliquot verſibus.

B

6 *Cogito dies antiquos*, &c. Repetit, & latiùs explicat id quod dixit in quarto verſu. Reuoco, inquit, in memoriam priſca illa tempora, exemp. gr. quum Iſraëlitas Deus ex miſerrima Ægyptiorum ſeruitute eduxit in terram fluentem lacte & melle. *Annos ſeculorum*, id eſt, annos multis antè ſeculis elapſos. *In mente habui* deeſt in Fonte, húcque tractum ex initio mox ſequentis verſiculi.

C

7 *Recordor cantici mei.* Intelligere videtur carmen aliquod, quod ipſe de incredibili Dei benignitate erga Hebræorum gentem conſcripſiſſet: vel vniuerſim omnia cantica, quæ ea de re ſcripta ſolitus eſſet canere; quaſi diceret, In mentem etiam veniunt, quæ de tua benignitate ſoleo canere. *Nocte*, cuius ſolitudine redeunt, aut augentur curæ, *cum corde meo meditor*, *& ſcrutatur ſpiritus meus* ea quæ ſequuntur, *Nunquid in æternum* &c. *Scrutatur* &c. Lat. *ſcopebam ſpiritum meum*. Græcus ἔσκαλλε τὸ πνεῦμά μου: in Vat. cod. tamen, teſte Agellio, ἔσκαλλον.

D

8 *Nunquid in æternum* (ad verb. *in ſecula*) *proijciet* ſeu *reijciet Deus* me, aut populum ſuum: *aut non apponet*, ſeu *& non addet*, *vt complacitior* (in aliis exemplaribus *complacatior*) *ſit adhuc*, ſeu *vt bene velit adhuc*, ſeu *ampliùs*, mihi ſeu populo ſuo? Quaſi diceret, An ita nobis eſt iratus Deus, vt nunquam reconciliandus ſit, nunquam nobiſcum rediturus ſit in gratiam? In hoc & aliquot ſequentibus verſibus vehementior eſt, quàm antea, cum Deo expoſtulatio. Eiuſmodi autem expoſtulationes haud raræ ſunt in precibus ſanctorum, nec Deo diſplicent: imò *vis hæc*, vt inquit Tert. *Deo grata eſt*: modò ne ex defectu fidei, ſed ex carne luctante cum ſpiritu tantùm oriatur, tandémque ſpiritu vincente cedat.

E

9 *Defecit verbum* &c. hoc eſt, verba eius mitia & conſolatoria defecerunt ac defierunt, ſic vt nulla ampliùs futura ſint? Sic

Kimhi. Ego per *verbum* ſimpliciter intelligo Dei promiſſa, quibus reſipiſcentibus veniam, miſeris ſalutem pollicitus eſt. Ad mentem Raſi & Ezræ vertendum, *perfecit* (*abſoluit*) *verbum* &c. hoc ſenſu, nũ abſoluit actulit decretum æternum, ſe nimirum nũquam reconciliandum, nóſque perpetuò deſerturum? Deeſt hoc in Lat. *defecit verbum*: in Græco hodie eſt, συντέλεσε ῥῆμα, pro hoc Sym. ῥῆσιν.

10 *Nunquid oblitus eſt miſereri Deus potens?* Nunquid tanta eſt Dei præpotentis ira, vt eius rei, quæ ſuæ naturæ maximè propria eſt, miſericordiæ nimirum, ille ſit oblitus? *An continuit* (prop. *concluſit*) *in ira ſua miſericordias ſuas*, vt nunquam nobis reſerandæ atque aperiendæ ſint? *In ira*, hoc eſt, propter iram, ex Raſi. Accipe, ſi vis, vt ſonat, quaſi dicatur, Dei miſerationes ita ira concluſas, vt exire nequeant.

11 *Et dixi, Ægritudo mea hæc*, &c. Spiſſæ ſunt in hoc loco tenebræ, maximè propter vocis שְׁנוֹת *ſchenoth*, ambiguitatem: & variè, etiam apud Hebræos, accipitur hic verſiculus. Neque verò libet omnes ſententias referre: paucas tamen recenſebo. Mihi ſentẽtia ſatis ſimplex videtur hæc: Deinde apud me dixi, Illud certè mihi ægre eſt, & dolet, quòd Deus extentam illam dexteram, quâ olim aduersùs hoſtes ſuæ gentis adeo potenter depugnauit, nunc quaſi mutatâ naturâ, ac voluntate ad benefaciendum propensâ, videatur reducere, ſicque quodammodo mutare, vt ea non ſit ampliùs quę fuit. Hoc ſenſu ferè quidam Hebręorum accipiunt, qui שְׁנוֹת *ſchenoth*, infinitiui Kal eſſe putant, ac ſignificare *mutari*. Hoc pacto infinitiuus erit pro nomine, id quod interdum fit, vt in priore membro, ſicuti mox annotabitur. Atque hic profectò ſenſus optimè conuenire poteſt cum ſequentibus verſibus, in quibus recenſetur, & breuiter quidem, quo modo ſe olim Deus erga Iſraëlitas geſſerit. Ex Raſi vertendũ, & exponendum, *Et dixi, Ad dolore afficiendum me hoc*, id eſt, Apud me dico hoc non aliam ob cauſſam fieri, quàm ad afficiendũ me dolore ac metu; quò ipſe ad Deum conuertar. Quid *hoc? mutatio* ſcilicet *dexteræ Excelſi*, quæ cùm olim, vt eſt Exo. 15.6. magnificata ſit fortitudine, ac confregerit inimicum, nunc videtur veluti reducta, ac retrorſum conuerſa. Sic ferè ille, qui חַלּוֹתִי *challothi*, vult eſſe pro לְחַלּוֹתִי *lechallothi*, gerundio. Ezra שְׁנוֹת *ſchenoth*, tanquam nomen, & pro *annis* accipit, vt verſu 6. hoc ferè modo, *Et dixi, Ægritudo mea hæc, anni*, id eſt, cogitatio annorum, *dexteræ Excelſi*, pro hoc, *ſeculorum*, verſu illo 6. *Annos dexteræ Excelſi* vocat in quibus dextera Do-
A mini magnificata eſt fortitudine, & percuſſit ac confregit inimicum, vt eſt Exo. loco mox cit. Prima & poſtrema ſententia mihi magis placent, quia magis cohærent cum ſequentibus verſibus. In priore parte huius verſus Græcus & Lat. qui verterunt, *Nunc cœpi*, legerunt הַחִלּוֹתִי *hachillòthi*, vel, ſine ה coniugationis characteriſtico, aliis tantùm punctis, חִלּוֹתִי *chillòthi*, id eſt, *cœpi*, pro חַלּוֹתִי *challothi*, quod eſt inf. modi Piel cum affixo à חָלָה *chala*, vel Kal à חָלַל *chalal*: qua de re videnda ſunt Lexica. Vtrius
B ſit, pro nomine hic vſurpatur. Si à poſteriore radice eſſe vis, vertes *vulnus meum hoc*, eodem ſenſu. Symm. legit, quo modo Hebræi hodie. Nam vertit ἀῤῥωστία μου αὕτη: Theodotio quoque, qui, ὠδῖνες εἰσίν.

12 *Memor ſum operum Domini*: &c. Senſus, Veniunt in mentem opera Dei: nam quomodò non recorder priſcas tuas virtutes, & magnifica facta in tuis ſeruandis? Deinceps ad finem vſque pſalmi perpetua ferè eſt ad Deum Apoſtrophe, in quâ mutationem dexteræ Excelſi probat, priſca quæ-
C dam Dei opera longè ab hodiernis & recentibus diuerſa enarrans. Si etiam cum Ezra in ſuperiore verſiculo vertere placet *anni dexteræ* &c. patet contextus. *Memor ſum ab initio*, hoc eſt, repeto ab initio. Ezra tamen & Kimhi τὸ *ab initio* referunt ad *mirabilium tuorum*, (q. d. inquit Kimhi, quæ olim feciſti in Ægypto) non ad *memor ſum*.

14 *Deus, in ſancto* (*ſanctitate*) *via tua*. Sequitur ad finem vſque pſalmi meditatio, & commentatio illa, de quâ in mox præce-
D dente verſiculo. Ezra & Kimhi per *ſanctum* ſeu *ſanctitatem* cælum hoc loco intelligunt, ſicuti Exo. 15.11. *Quis ſimilis tui in Dijs Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate*, &c. Addo illud Eſa. 57. 15. *in excelſo & in ſancto habito*, id eſt, in cælo. Igitur *Deus, in ſancto*, hoc eſt, in cælo, *via tua*, id eſt, ad cælum vſque pertingit tua agendi ratio, ita vt ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſint viæ tuæ à viis noſtris, & cogitationes Eſa. 55. 9.
tuæ à cogitationibus noſtris. *In ſancto*, id eſt, vſque ad ſanctum. Sic pſ. 36. 6. *Domi-*
E *ne in cælo miſericordia tua*. *In cælo* ibi, id eſt, vſque ad cælum, vt patet ex ſequente membro, *veritas tua vſque ad nubes*. Kimhi annotat per *ſanctum* intelligi poſſe montem Sinaj. Sunt qui ſimpliciter exponant, *in ſancto via tua*, id eſt, omnes actiones tuæ ſanctæ ſunt: tametſi videris interdum ſeueriùs nobiſcum agere. Verùm prima illa expoſitio omnino quadrat ad poſterius membrũ, *Quis Deus magnus*, &c. & magis eſt è contextu, & ad rem. *Quis Deus magnus, ſicut Deus*, etiamſi tales eſſent falſi iſti dij, qua-

lesillos esse cæci quidam mortales imaginantur?

15 *Tu (es) Deus qui facis mirabilia*: &c. Sensus, Tu verè magnus es ac potens: solus tu quippe opera edis mirifica, & palàm quidem, id quod significat, *notam fecisti*, olim scilicet, *in populis*, Ægyptiis præsertim, *virtutem* ac *fortitudinem tuam*. Ægyptiis præsertim dixi, propterea quòd in sequentibus sex versibus miraculum transitus maris rubri ferè solùm exponitur. *Qui facis.* Non dicit, inquit D. Hieron. qui fecisti, sed qui facis mirabilia: quotidie enim mirabilia operatur & facit: facit enim vt heri latro, hodie Christianus, heri fornicator, hodie continens, heri rapiens aliena, nunc porrigens propria. Ezra censet hoc versu significari, Deum edere miranda opera, alia, (nimirum priore membro) quæ hominès lateant, alia, (posteriore videlicet) quæ palàm sint omnibus.

16 *Redemisti in brachio* &c. Hoc, & iis quę sequuntur, notam fecit in populis virtutem suam Deus. *Redemisti* tu solus, inuitis omnibus Ægyptiis. *In brachio*, extento scilicet, iuxta illud Exo. 6. 6. *ac redimam vos in brachio extenso, & iudicijs magnis. Filios Iacob*, id est, Israëlitas. Filios Iacob, cui & Israël nomen fuit, vt constat ex Gen. 32. 28. Sed cur addit *& Ioseph*? Quoniam vt ille fuit Hebræorum pater, sic hic in Ægypto eorundem fuit conseruator & quasi alter parens. Vnde illud ipsius Iacob, Gen. 49. 24. *inde*, ex Ioseph scilicet, *pastor, lapis Israël*, quasi diceret, ipse Ioseph pastor est, &c. Hic quum nominat Iacob & Ioseph, significare vult, inquit Ezra, horum meritò Israëlitas esse redemptos ac liberatos.

17 *Viderunt te aquæ*, &c. Hunc & tres sequentes versus perspicuum est ad transitum maris rubri pertinere, eiúsque esse descriptionem poëticam. *Viderunt te*, hoc est, tuam potentiam ac præsentiam senserunt, *aquæ* maris rubri, quum recedere fecisti illud vento Orientali vehementi, & vertisti in siccum, vt est Exo. 14. 21. *Viderunt te aquæ.* Auget hæc repetitio. *Timuerunt* te, ac scissę sunt, & diuisæ. *Etiam turbatæ*, seu commotæ *sunt abyssi*, id est, profundiores etiam aquæ commotæ cesserunt, & fissæ sunt. Sic ex R. Mose, Kimhi, & alijs.

18 *Inundare fecerunt aquas, nubes; tonitruum* &c. quum *in vigilia matutina respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, contriuit exercitum Ægyptiorum. Et subuertit rotas curruum.* Vide Exo. 14. 24. & seq. *Inundare fecerunt aquas*, id est, aquas magno impetu

A & copia effuderunt. *Vocem*, id est, tonitru, κατ' ἐξοχὴν sic appellatum. *Etiam* emphaticè. *Sagittæ tuæ.* Rasi. Simile reperies Habac. 3. 11. Aliis *fulgura tua*. Aliis, vt Kimhi, *Lapides grandinis tui*. Loco Exo. cit. nulla expressè pluuiæ, tonitrui, fulguris aut grandinis, quæ hic nominantur, fit mentio, sed ex eo facilè ista omnia colligi possunt. Et Iosephus lib. 2. Antiq. Iudaic. c. 7. nihil omnino tunc defuisse eorum scribit, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent.

B 19 *Vox tonitrui tui in rota*, seu rotis, curruum videlicet exercitus Pharaonis. Nam haud dubium mihi est, quin hoc referri debeat ad illud Exo. cap. cit. *Et subuertit rotas curruum*, vi scilicet tonitruorum. Ezram scio per *rotam*, seu *sphæram* intelligere aërem, qui sphæricæ est figuræ: Kimhi verò cœlum, per cœlum denique aërem, quem alijs cœli nominibus probat appellari. *Illuxerunt coruscationes* &c. adeo enim tum crebræ fuerunt, vt totum orbem suis fulgoribus complere viderentur. Hyperbole poëtica. *Commota est*, &c. His

C verbis terræ motum significat, siue is à tonitruis, siue ab alijs caussis extiterit. Tonitrua, quum vehementiora sunt, terram ipsam interdum concutiunt.

20 *In mari via tua*, &c. Sensus, Tu dux fuisti populi tui per medium mare: tu *viam (iter) fecisti in mari equis tuis, in aceruo aquarum multarum*, vt dicit Habac. cap. 3. 15. Idem significat quod mox sequitur, *& semitæ tuæ in aquis multis. Semitæ tuæ.* Hodie in Fonte, vt sunt puncta, legitur *se-*

D *mitatua*, etsi scribitur *semitæ tuæ*. Intelligunt hoc periti Massoræ. Kimhi obseruat scribi in num. multitudinis *semitæ tuæ*, quòd non vna tantùm fuerit via, sed plures, iuxta illud ps. 136. 13. *Qui diuisit mare rubrũ in diuisiones*, duodecim nimirum pro numero Tribuum; ex Veterum quorundam Hebræorum sententia. Verùm hoc est merum commentum, & fabula Iudaica, quam nequidem ipse Kimhi admodum probat ad vers. mox notatum. Existimo ego vsurpari hoc loco (quanquã in Fōte nomē est sing. si

E puncta spectentur) vocem num. plur. ad amplitudinem viæ significandam. *Et vestigia tua non sunt cognita.* Nam statim *quum extendisset Moyses manum contra (super) mare, reuersum est primo diluculo ad priorē locum*, heb. *vim suam: fugientibúsque Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Reuersæque sunt aquæ*, &c. Exo. 14. 28. Refuso iterum mari, & aquis rursus coëuntibus nulla ampliùs viæ, quæ fuerat, vestigia cerni potuerunt. Hoc est quod significaur in hoc pa-

ſteriore membro. Fieri poteſt vt τὸ *non ſunt cognita*, ad ea, quæ ſunt in priore membro, etiam pertineat, quaſi hoc velit dicere, Iter illud tuum, tua illa veſtigia in mari ſtatim recurſu aquarum ita deleta ſunt, vt poſtea cerni non potuerint. Siue hoc, ſiue illo modo accipias, manet eadem ſententia. Quum porrò coiuiſſe aquas maris rubri, quæ antea diuiſæ fuerant, ait, non dubium eſt quin ſimul ſignificet Ægyptios mediis fluctibus tum inuolutos. Quæ hiſtoria deſcribitur A Exodi decimo quarto.

21 *Deduxiſti* &c. per deſertum ſcilicet, poſtquam mari exiiſſet. Atque *ægritudo mea hæc*: (videtur enim hoc ex 11. verſu commodè repeti poſſe) id eſt, & hoc eſt quod mihi tam vehementer dolet, quòd nihil nunc tibi curæ eſt hic populus: aliúſque nunc prorſus ſis erga hanc gentem, quàm olim fuiſti. *In manu*, ſeu *per manum*, id eſt, operâ.

PSALMVS

LXXVIII. LXXVII.

VERSIO

NOVA.

a heb. *Attende*

DIDACTICON Aſaph. [a] Attendite popule mi legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

b heb. *parabola* c prop. *ſcaturiam ænigmata*

2 Aperiam in [b] parabolis os meum: [c] loquar propoſitiones ab initio.

3 Quæ audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis,

4 Non occultabimus à filiis eorum, generationi poſteræ narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quę fecit.

5 Et ſtatuit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſraël, quæ mandauit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis.

6 Vt cognoſcat generatio poſtera: filij (qui) naſcentur, exurgant & narrent filiis ſuis.

7 Et ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius cuſtodiant.

d *ſui*, e *contumax, & rebellis*

8 Nec fiant ſicut patres [d] eorum, generatio [e] praua, & exaſperans: generatio (quæ) non direxit cor ſuum, & non fuit fidelis cum Deo ſpiritus eius.

f *iacientes arcu*,

9 Filij Ephraim armati [f] mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli.

10 Non cuſtodierunt pactum Dei, & in Lege eius noluerunt ambulare.

VETVS.

INtellectus Aſaph. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

2 *Aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio.*

3 *Quanta audiuimus & cognouimus ea: & patres noſtri narrauerunt nobis.*

4 *Non ſunt occultata à filiis eorum: in generatione altera.*

5 *Narrantes laudes Domini, & virtutes eius: & mirabilia eius, quæ fecit.*

6 *Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob: & legem poſuit in Iſraël.*

7 *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis: vt cognoſcat generatio altera,*

8 *Filij qui naſcentur & exurgent: & narrabunt filiis ſuis,*

9 *Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei: & mandata eius exquirant.*

10 *Ne fiant ſicut patres eorum: generatio praua & exaſperans.*

11 *Generatio, quæ non direxit cor ſuum: & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.*

12 *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum: conuerſi ſunt in die belli.*

13 *Non cuſtodierunt teſtamentum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.*

14 Et obliti ſunt benefactorum eius: & mirabilium eius, quæ oſtendit eis.

15 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti: in campo Taneos.

16 Interrupit mare, & perduxit eos: & ſtatuit aquas, quaſi in vtre.

17 Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.

18 Interrupit petram in eremo: & adaquauit eos velut in abyſſo multa.

19 Et eduxit aquam de petra: & deduxit tanquam flumina aquas.

20 Et appoſuerunt adhuc peccare ei: in iram excitauerunt Excelſum in inaquoſo.

21 Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis: vt peterent eſcas animabus ſuis.

22 Et malè locuti ſunt de Deo: dixerunt, Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?

23 Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ: & torrentes inundauerunt.

24 Nunquid & panem poterit dare: aut parare menſam populo ſuo?

25 Ideo audiuit Dominus, & diſtulit: & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël.

26 Quia non crediderunt in Deo: nec ſperauerunt in ſalutari eius.

27 Et mandauit nubibus deſuper: & ianuas cæli aperuit.

28 Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cæli dedit eis.

29 Panem angelorum manducauit homo: cibaria miſit eis in abundantia.

30 Tranſtulit Auſtrum de cælo: & induxit in virtute ſua Africum.

31 Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes: & ſicut arenam maris volatilia pennata.

32 Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum.

11 Et obliti ſunt factorum eius, &
mirabilium eius quæ oſtendit eis.
12 Coram patribus eorum fecit mi-
rabilia in terra Ægypti, in [g] campo [g] *agro*
Taneos.
13 [h] Interrupit mare, & [i] perduxit [h] *Secuit*
eos, & ſtatuit aquas quaſi aceruum. [i] *ad verb. tranſire fecit*
14 Et deduxit eos in nube per diem,
& tota nocte in [l] illuminatione ignis. [l] *lumine*
15 Rupit petras in eremo, & ada-
quauit in abyſſis magnis.
16 Et eduxit fluenta de petra, & deſ-
cendere fecit tanquam flumina a-
quas.
17 Et [m] appoſuerunt adhuc pecca- [m] *addiderunt*
re ei, in iram excitare Excelſum in
inaquoſo.
18 Et tentauerunt Deum in [n] cor- [n] heb. *corde ſuo,*
dibus ſuis, petendo [o] eſcas animabus [o] heb. *eſcam animæ ſuæ.*
ſuis.
19 Et loquuti ſunt [p] de Deo, dixe- [p] *in Deũ,*
runt, Nunquid poterit Deus parare
menſam in deſerto?
20 Ecce percuſſit petram, & fluxe-
runt aquæ, & torrentes inundaue-
runt: nunquid etiam panem poterit
dare? num apparabit carnem populo
ſuo?
21 Ideo audiuit Dominus, & ex-
canduit, & ignis accenſus eſt in Ia-
cob, & etiam ira aſcendit in Iſraël.
22 Quia non crediderunt in Deo,
nec ſperauerunt in ſalutari eius.
23 Et mandauerat nubibus deſuper,
& ianuas cæli aperuerat.
24 Et pluerat [q] illis manna ad man- [q] ad verb. *ſuper eos*
ducandum, & frumentum cæli dede-
rat eis.
25 Panem angelorum manducaue-
rat homo: [r] cibaria miſerat eis [ſ] in [r] *viaticum*
abundantia. [ſ] heb. *ad ſaturitatẽ.*
26 Excitauit Eurum in cælo, & in-
duxit in virtute ſua Auſtrum.
27 Et pluit ſuper eos ſicut puluerem
[t] carnes, & ſicut arenam [u] maris vola- [t] heb. *carnem,*
tilia pennata. [u] heb. *marium volatile pennatum.*
28 Et [x] ceciderunt in medium ca-
ſtrorum eorum, circa tabernacula eo- [x] heb. *cadere fecit*
rum.

29 Et manducauerunt, & ſaturati
y valde, ſunt [y] nimis, & deſiderium eorum at-
tulit eis.
30 Non erant alienati à deſiderio
z heb. eſca ſuo: adhuc [z] eſcæ eorum in ore ipſo-
rum.
a heb. in 31 Et ira Dei aſcendit [a] ſuper eos, &
occidit pingues eorum, & electos Iſ-
raël incuruauit.
b heb. omni hoc 32 In [b] omnibus his peccauerunt
adhuc, & non crediderunt in mira-
bilibus eius.
c heb. deficere fecit 33 Et [c] defecerunt in vanitate dies
d annos eorum, & [d] anni eorum cum feſtina-
tione.
34 Quum occideret eos, quære-
bant eum: & reuertebantur, & dilu-
culo veniebant ad Deum.
35 Et recordabantur quòd Deus ru-
pes eorum, & Deus excelſus redem-
ptor eorum.
e illiciebāt 36 Et [e] illexerunt eum in ore ſuo, &
f mentiebantur in lingua ſua [f] mentiti ſunt ei.
37 Cor autem eorum non (erat) re-
ctum cum eo, nec fideles fuerunt in
g prop. pacto [g] teſtamento eius.
h ad verb. condonabat iniquitatē 38 Ipſe autem miſericors [h] propi-
tius factus eſt peccatis, & non diſper-
didit, & multiplicauit vt auerteret
i heb. excitauit iram ſuam: & non [i] accendit om-
nem iram ſuam.
39 Et recordatus eſt quòd caro ipſi:
ſpiritus vadens, & non rediens.
40 Quoties exacerbauerunt eum
in deſerto? in iram cōcitauerunt eum
in ſolitudine?
41 Et reuerſi ſunt, & tentauerunt
Deum, & Sanctum Iſraël limitaue-
runt.
42 Non ſunt recordati manus eius,
l vel diei [l] die quâ redemit eos de tribulante:
43 Quâ poſuit in Ægypto ſigna ſua,
m agro & prodigia ſua in [m] campo Taneos.
44 Et conuertit in ſanguinem flu-
mina eorum, & fluenta eorum, ne bi-
berent.
45 Miſit in eos cœnomyiam, & co-
medit eos: & ranam, & diſperdidit
eos.

33 Et manducauerunt & ſaturati
ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit
eis: non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.
34 Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſo-
rum: & ira Dei aſcendit ſuper eos.
35 Et occidit pingues eorum: & ele-
ctos Iſraël impediuit.
36 In omnibus his peccauerunt adhuc:
& non crediderunt in mirabilibus eius.
37 Et defecerunt in vanitate dies eo-
rum: & anni eorum cum feſtinatione.
38 Cùm occideret eos, quærebant eum:
& reuertebantur, & diluculo venie-
bant ad eum.
39 Et rememorati ſunt, quia Deus ad-
iutor eſt eorum: & Deus excelſus, re-
demptor eorum eſt.
40 Et dilexerunt eum in ore ſuo: &
lingua ſua mentiti ſunt ei.
41 Cor autem eorum non erat rectum
cum eo: nec fideles habiti ſunt in teſta-
mento eius.
42 Ipſe autem eſt miſericors, & pro-
pitius fiet peccatis eorum: & non diſper-
det eos.
43 Et abundauit, vt auerteret iram
ſuam: & non accendit omnem iram
ſuam.
44 Et recordatus eſt, quia caro ſunt:
ſpiritus vadens & non rediens.
45 Quoties exacerbauerunt eum in
deſerto: in iram concitauerunt eum in
inaquoſo?
46 Et conuerſi ſunt, & tentauerunt
Deum: & ſanctum Iſraël exacerba-
uerunt.
47 Non ſunt recordati manus eius,
die qua redemit eos de manu tribu-
lantis.
48 Sicut poſuit in Ægypto ſigna ſua,
& prodigia ſua in campo Taneos.
49 Et conuertit in ſanguinem flumi-
na eorum: & imbres eorum, ne bibe-
rent.
50 Miſit in eos cynomyiam, & come-
dit eos: & ranam, & diſperdidit
eos.

51 *Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.*

52 *Et occidit in grandine vineas eorum: & moros eorum in pruina.*

53 *Et tradidit grandini iumenta eorum: & possessionem eorum igni.*

54 *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos.*

55 *Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.*

56 *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*

57 *Et abstulit sicut oues populum suum: & perduxit eos, tanquam gregem in deserto.*

58 *Et eduxit eos in spe, & non timuerunt: inimicos eorum operuit mare.*

59 *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem quem acquisiuit dextera eius.*

60 *Et eiecit à facie eorum Gentes: & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.*

61 *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.*

62 *Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia eius non custodierunt.*

63 *Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum.*

64 *In iram concitauerunt eum in collibus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.*

65 *Audiuit Deus, & spreuit: & ad nihilum redegit valde Israel.*

66 *Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus.*

67 *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.*

68 *Et conclusit in gladio populum*

46 Et dedit brucho [n] fructus eorũ, & [o] labores eorum locustæ. *n heb. fructum* *o heb. laborem*

47 Occidit in grandine vineas eorum, & sycomoros eorum in pruina.

48 Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni.

49 Misit in eos furorem indignationis suæ; excandescentiam, & iram, & tribulationem: immissionem angelorum malorum.

50 Librauit semitam iræ suæ; [p] non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in [q] mortem conclusit. *p ad verb. non prohibuit à morte animam eorum:* *q pestem*

51 Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: [r] primitias fortitudinum in tabernaculis Cham. *r prop. principium*

52 Et transtulit sicut oues populum suum: & deduxit eos tanquam gregem in deserto.

53 Et deduxit eos in spe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.

54 Et induxit eos ad terminum sanctitatis suæ, montem istum (quem) acquisiuit dextera eius.

55 Et eiecit à facie eorum Gentes, & cadere fecit eos in funiculum hæreditatis: & habitare fecit in tabernaculis earum tribus Israël.

56 Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia eius non custodierunt.

57 Et auerterunt se, præuaricati sunt, quemadmodum patres eorum: conuersi sunt sicut arcus dolosus.

58 Et in iram concitauerunt eum in excelsis suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.

59 Audiuit Deus, & excanduit: & auersatus est valde Israël.

60 Et [s] repulit tabernaculum Silo: [t] tabernaculum (vbi) habitauit in hominibus. *s dereliquit* *t tentorium*

61 Et tradidit in captiuitatem [u] virtutem suam, & [x] pulchritudinem suam in manus inimici. *u fortitudinem* *x gloriam*

62 Et conclusit in gladium popu-

lum suum, & in hæreditatem suam
iratus est.
y ad verb. *eius* 63 Iuuenes [y] eorum comedit ignis,
z ad verb. *eius* & virgines [z] eorum non sunt lauda-
tæ.
a *eius* 64 Sacerdotes [a] eorum in gladio
b *eius* ceciderunt, & viduæ [b] eorum non
plorauerunt.
65 Et excitatus est tanquam dor-
miens Dominus, tanquam potens
vociferans à vino.
c ad verb. *retrorsum.* 66 Et percussit inimicos suos [c] in
posteriora: opprobrium sempiter-
num dedit illis.
67 Et repulit tabernaculum Ioseph,
& tribum Ephraim non elegit.
68 Sed elegit tribum Iuda, montem
Sion quem dilexit.
d *sanctuarium* 69 Et ædificauit sicut excelsa [d] San-
ctificium suum, sicut terram quam
e *seculum* fundauit in [e] secula.
70 Et elegit Dauid seruum suum, &
f heb. *caulis* sustulit eum de [f] gregibus ouium.
g heb. *adduxit* 71 De post fœtas [g] accepit eum, vt
pasceret Iacob populum suum, & Is-
raël hæreditatem suam.
h *secundum innocentiam* i *prudentiis* 72 Et pauit eos [h] in innocentia cor-
dis sui, & in [i] intellectibus manuum
suarum deduxit eos.

suum: & hæreditatem suam spreuit.
69 *Iuuenes eorum comedit ignis: &*
virgines eorum non sunt lamentatæ.
70 *Sacerdotes eorum in gladio ceci-*
derunt: & viduæ eorum non plorabantur.
71 *Et excitatus est tanquam dormiens,*
Dominus: tanquam potens crapulatus à
vino.
72 *Et percussit inimicos suos in poste-*
riora: opprobrium sempiternum dedit illis.
73 *Et repulit tabernaculum Ioseph: &*
tribum Ephraim non elegit.
74 *Sed elegit tribum Iuda: montem*
Sion quem dilexit.
75 *Et ædificauit sicut vnicornium*
sanctificium suum: in terra, quam fun-
dauit in secula.
76 *Et elegit Dauid seruum suum, &*
sustulit eum de gregibus ouium: de post
fætantes accepit eum.
77 *Pascere Iacob seruum suum: &*
Israël hæreditatem suam.
78 *Et pauit eos in innocentia cordis*
sui: & in intellectibus manuum sua-
rum deduxit eos.

COMMENTARIVS.

Argumentum. HISTORIAM *continet hic Psalmus præcipuorum beneficiorum, quibus populum Israeliticum Deus à prima adoptione atque electione ad Danidem vsque affecit: nec-non pœnarum, quas ingratus populus toties Deo extorsit. Per vices autem nunc Dei beneficia, nunc peccata populi, & pœnæ secutæ commemorantur, vt homines istis exemplis admoneantur semper timere Deum, nec vnquam eius beneficijs abuti. Parænéticus & didascalicus est hic Psalmus.*

1 *Attendite* (heb. *Attende*) *popule mi* &c. A Exordiũ vsque ad versũ 11. per quod auditoris animus constituitur ad audiendum. Primò ab officio personarum hoc versu. Secundò à genere eorum, quæ tractanda sunt; quòd sublimia sint, vers. 2. quòd à maioribus accepta, vers. 3. quòd ad Dei gloriam pertinentia, vers. 4. Tertiò à Dei mandato, de quo suo loco. Esse hoc exordium auctoris psalmi, non Dei, quemadmodum nonnulli existimant, nimis est perspicuum, præsertim ex versu 3. in quo maiores suos nominat is qui loquitur. *Popule mi*, hoc est, ô vos populares mei. Sic Ieremias cap. 9.2. populum suum suos populares & ciues vocat. *Legem meam*, hoc est, doctrinam, quam in hoc carmine propositurus sum. Neque enim hîc per *legem* intelligenda lex illa, quæ Mosi à Deo tradita est, sed doctrina in genere. *Verba oris mei*. Idem quod *legem meam*.

2 *Aperiam os meum*, id est, *Loquar*. *In parabolis*. Parabolæ huius carminis sunt, *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* ver. 19. *& ignis accensus est in Iacob*. ver. 21. *Iannas cæli aperuerat*. ver. 23.

& triticum cæli dederunt eis. ver. 24. *Iuuenes eius comedit ignis.* ver. 63. Propositiones seu ænigmata sunt hæc, *Panem fortium manducauit homo.* ver. 25. Id quod de Manna intelligendum, obscurúmque est non aliter atque ænigma. *Et tradidit in captiuitatem virtutem (fortitudinem) suam,* ver. 61. id est, Arcam: id quod obscurum esset ac difficile ænigma, nisi in lib. Sam. 1. Arcæ captiuitas esset explicata. Adde illud ver. 9. *Filij Ephraim armati mittentes arcum.* Obscurum quippe est quo de bello sermo sit: res autem obscura vocatur ænigma. Sic ferè ex Ezra & Kimhi. *Loquar,* ad verb. *scaturiam,* quod magnam habet emphasim. *Propositiones,* propriè *ænigmata, ab initio,* hoc est, ab antiquis vsque temporibus & primordiis nostræ gentis repetita.

3 *Quæ audiuimus, & cognouimus ea,* per auditum scilicet, vt ex posteriore membro patet. *Ea* pleonasticè more hebræo. *Patres nostri,* in quibus nulla fallendi suspicio inesse potest.

4 *Non occultabimus à filijs eorum,* &c. Hic versus ad præcedentem referri debet, ad istum scilicet modum, Ea, quæ à maioribus accepimus, æquum est vt ad filios nostros posteros eorum nos quoque transmittamus. Ac certè faciemus, nec quicquam eos celabimus. Eódem pertinet *generationi posteræ,* seu *postremæ,* hoc est, liberis nostris, *narrantes* &c. quasi dicat, Non occultabimus, sed palàm prædicabimus, filiis narrantes laudes Dei, & ingentia & magnifica illius facta.

5 *Et statuit testimonium* &c. Sensus, Et verò Deus lege sanxit, maioribúsque mandauit, vt suis quisque filiis enarraret ea quæ à parentibus accepisset. In hoc igitur versu per *testimonium* & *legem* intelligit certam illam legem, quæ scripta est Deut. 4. 9. his verbis, *Veruntamen custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè, ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ: & docebis ea filios ac nepotes tuos.* *Ea,* quæ scilicet accepissent & cognossent. Hoc enim supplendum ex vers. 3.

6 *Vt cognoscat generatio altera,* prop. *postera:* &c. Hic versus cohæret cum præcedente hoc modo, Vt sic rursus diuinorum factorum notitia ad alteram generationem perueniat, & quotquot nasciturí sunt, ea quasi per manus liberis tradant.

7 *Et ponant* &c. filij illi scilicet, audientes quo modo olim Deus erga maiores se gesserit. *Et non obliuiscantur* &c. sed tot, tantorúmque beneficiorum Dei memores eius mandata exequantur.

8 *Nec fiant sicut patres eorum, (sui,)* qui non posuerunt spem suam in Deo, fueruntque *generatio praua, & exasperans.* Intelligit patres deserti, qui Deo semper fuerunt rebelles, non recti amantes, non fideles Deo. *Praua.* In Fonte *contumax,* seu *refractaria.* *Exasperans.* In Fonte *rebellis.* Chald. interpretatus est, *ad iram prouocans.* *Fidelis* seu *firmus, constans.*

9 *Filij Ephraim* &c. Probat Hebræorum contumaciam exemplo tribus Ephraïmiticæ, clámque ac sensim narrationem ingreditur. Porrò illud, quod dicitur in hoc versu, contigisse putat Kimhi, quum Hebræi essent in deserto. Et quamquam, inquit ille Kimhi, nullum hac de re sit verbum in Pentateucho, historia tamen hæc describitur 1. Paral. 7. 21. & seq. his verbis, *occiderunt autem eos,* (scilicet filios Ephraim,) *viri Geth indigenæ, quia descenderant vt inuaderent possessiones eorum. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus.* Ad quem locum sic ferè habet Kimhi: Istud contigisse oportet quum Israëlitæ adhuc peregrinarentur in deserto, necdum essent in terrâ Chanaan, propterea quòd dicitur Ephraim pater eorum luxisse multos dies: at Ephraim non ingressus est terram: nam præter Caleb & Iosue, nemo qui vicesimum annum attigisset, dum populus Ægypto exiuit, terram Chanaan ingressus est: igitur oportet illud contigisse, quum adhuc Israëlitæ essent in deserto. Subiungit ille, paucis interiectis, quæ de industriâ omitto, Hoc verò probat meam sententiam, quòd filij Ephraim, quum Ægyptum exierunt, quingenti & quadraginta millia numerati sunt, *Num. 1. 19* in deserto videlicet Sinaï, anno secundo: quum verò terram sunt ingressi, non plures numerati sunt quàm quingenti & triginta duo millia, in campestrib. videlicet Moab, *Num. 26. 37.* anno 40. decem nimirum millibus, quæ à Gethæis fuerant interfecta, desideratis. Verùm cur tandem contumaciæ ac rebellionis accusantur hîc Ephraimitæ, atque adeo malè multati dicuntur? Quòd, inquit Kimhi, iniussu Dei, immò contra eius voluntatem, qui Hebræos volebat per desertum vagari quadraginta annos, vt ex Num. 14. 33. constat, aduersùs Gethæos profecti sint, vt ex loco Paral. notato apparet. Veteres Hebræorum Doctores, quos sequitur Rasi, cũ hoc, tum illud Paral. de Ephraïmitis interpretantur, qui ànte tempus Ægypto migrarint, & fiduciâ suarũ virium, & peritiæ rei militaris bellum Gethæis intulerint, in quo bello pœnas suæ temeritatis dederint, occisis non paucis, vt est in Paral. reliquis autem in fugam actis, quemadmodum hîc dicitur. Non mihi videtur aliena hæc senten-

tia: etsi Kimhi eam refelli ex sequentibus A versibus putat, qui tantùm pertinere possunt ad tempus, quod egressum ex Ægypto sequutum est. Verùm ego existimo sequentes versus cum hoc non cohærere, sed ad eum qui mox præcessit, cuius sunt probatio, referri debere, vti mox dicetur. Ezra censet hunc versum de clade, quam Silonitæ (Silo enim Ephraimitarum erat) acceperunt, scilicet Eli Sacerdote, vt est 1. Sam. 4. Verùm alienam esse hanc sententiam putat Kimhi, quòd de ista clade suo loco sermo futurus sit. Præterea quòd soli Ephraimitæ hîc nominentur, cùm in illo bello & B clade ex omnibus Israëlitis fuerint, vt constat ex cap. cit. Sam. ver. 1. *Et fuit sermo Samuelis vniuerso Israeli, & egressus est Israel obuiam Philisthiim in prælium*, &c. Nota quum dicit, *Filij Ephraim armati*, diffidentiam Ephraimitarum velle notare, qui in armis magis, quàm in Deo sperauerint. *Conuersi (versi) sunt* in fugam scilicet. Sic Iud. 20. 39. *Versus est (Vertit se) vir Israel in prælio*, hoc est, Dederunt se Israëlitæ in fugam: verterunt ceruicem, sicuti ali- C bi dicitur. Alij ex Hebræis sentiunt in hoc versu per *filios Ephraim* intelligendos esse omnes Israëlitas, sicut & Ierem. 31. 20. *Nunquid filius honorabilis (pretiosus) mihi Ephraim?* Sed quod hîc dicitur, speciatim de vna Tribu dici videtur.

10 *Non custodierunt pactum* &c. Existimo hos versus non ad Ephraimitas solos, sed ad omnes Israëlitas pertinere, & explicare versum octauum, quod nimirum dictum est de generatione praua ac rebelli, deserti D scilicet. Nam quod ait postea, *Coram patribus eorum* &c. nonne ad omnes omninò spectat? *Pactum Dei*, id est, ex Ezra & Kimhi, pactum à Deo in monte Sinai cum illis initum.

11 *Et obliti sunt factorum eius*, &c. Ratio est præcedentis versus. Fœdus cum Deo initum non obseruarunt, & dedignati sunt viâ ab eo præscriptâ incedere: quòd, inquit, insignium & mirificorum eius operum, quæ tam in deserto, quàm in Ægypto viderant, prorsus essent obliti. Hoc autem quum ait, proposito suo seruit, quod est in- E signiora Dei opera posteris exponere, ne horum immemores à Deo deficiant. Ad defectionem enim viam aperit Dei operum obliuio. Hinc illud Iud. 2. 10. *Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: & surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & etiam opera quæ fecerat cum Israël.* Et duobus versibus qui sequuntur, *Feceruntque filij Israël malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim. Ac dimiserunt Dominum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: & secuti sunt deos alienos* &c. Quo ex loco intelligere est non aliam ob caussam Israëlitas à vero Deo ad alienos deos defecisse, nisi quia Dei opera ignorabant. Quò magis solliciti patres esse debent Dei opera filijs tradere, si eos volunt illius mandatis esse obsequentes.

12 *Coram patribus eorum* &c. *Eorum* qui in deserto nati fuerant, nec admiranda Dei opera, quæ Deus ediderat in Ægypto, ipsi viderant, sed à maioribus tantùm acceperant. Kimhi. Ridiculus est hîc Rasi, qui (ex se an post aliós, nescio) occasione horum verborum, *Coram patribus eorum*, somniat Abraham, Isaac & Iacob venisse ad mare, iisque ostendisse Deum, quomodò eorum posteros redimeret. *Mirabilia*. In Fonte *mirabile*, quod obseruat Kimhi collectiuè esse accipiendum, siquidem non vnum tantùm fuerit mirabile, sed multa. *In campo*, seu *agro*, id est, in regione. *Ager* enim pro terrâ, seu regione sumitur haud rarò, Gen. 32. 5. Gen. 14. 7. vbi obseruandum obiter, cùm in Fonte legatur, *& percusserunt omnem agrum Amalecitarum*, Græcum Interpretem vertisse καὶ κατέκοψαν πάντας τοὺς ἄρχοντας Αμαλὴκ: nimirum ex שָׂרֵי *sare*, quod *principes* significat, pro שָׂדֵה *sedhe*. *Taneos.* Tanis fuit vrbs Ægypti regia ex Kimhi. Miracula porrò, quæ facta sunt in Ægypto, describuntur Exo. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Intelligit autem decem plagas, quibus Pharaonem & Ægyptios coëgit Deus, vt Hebræos dimitterent. Harum plagarum aliquæ postea speciatim recensebuntur.

13 *Interrupit (Secuit) mare*, (addit Chald. *per virgam Mosis magistri illorum*) vertitque illud in siccum. *Et perduxit eos* per medium sicci maris. *Et statuit aquas quasi aceruum*, ita vt Israëlitis essent quasi murus à dextrâ eorum & læuâ. *Quasi aceruum.* Huc refer illud Cant. Moysis, Exo. 15. 8. *Et in spiritu furoris tui*, vel *in spiritu naris tuæ*, id est, vento quem excitasti, ac veluti è naribus flauisti, *congregatæ (coaceruatæ) sunt aquæ, steterunt sicuti aceruus* (Chald. *murus*) *fluenta; congregatæ (coagulatæ) sunt abyssi in medio mari.* *Quasi aceruum.* Græcus vertit ὡσεὶ ἀσκὸν: Latinus *quasi in vtre:* quasi diceret, fluidam aquarum naturam sic coërcuit, ac si vtre inclusa & constricta teneretur. Vterque autem, Græcus & Lat. pro נֵד *nedh*, quod *aceruum* significat, legit dubio procul נאד *nodh*, quod *vtrem*. Vide simile aliquid ps. 33. 7. Chald. eodem modo legit, qui interpretatus est, *& stare fecit aquas colligatas quasi vtrem.* Syrus quoque, qui vertit, *quasi in vtribus.* Est qui vertat,

quasi

quaſi in vtrem. Quaſi in. Fortaſſe ex ὡς εἰς pro ὡσεὶ.

14 *Et deduxit eos* &c. Senſus, Poſtquàm verò mare traiecissent, deduxit eos Deus interdiu beneficio columnæ nubis, quæ ſcilicet viam præiret & monſtraret, atque aduersùs Solis æſtum defenderet: noctè verò tota, dum lux grata diei affulgeret, beneficio columnæ ignis, quæ ſiue iter facientibus, ſiue caſtrametatis, & in aliquo loco hęrentibus facum & candelarum vices ſuppleret, necnō terrores tenebrarum diſcuteret. Ante tranſitum etiam, poſtquam reliquiſſent Socoth, hoc Iſraelitis beneficium contigit. Vide Ex. 13. in fine, Ex. 14. ver. 19. & 20. Huc pertinet illud pſ. 105. 39. *Expandit nubem in tentorium, & ignem ad illuſtrandam noctem.* Sap. 10. 17. *& fuit illis in velamentum die, & in lucem ſtellarum per noctem. Per diem.* Lat. græcam phraſim preſſiùs imitatus vertit, ſed obſcuriùs, *diei*: quòd ſcilicet in Græco legeretur ἐν νεφέλῃ ἡμέρας, id eſt, græca loquendi conſuetudine, *in nube per diem* ſeu *interdiu.*

15 *Rupit petras* (addit Chald. *per virgam Moſis magiſtri illorum*) *in deſerto*, bis, primò in Raphidim, Exo. 17. ſecundò in Cades, Num. 20. Idcirco *petras* dixit. *Rupit.* In Fonte verbum eſt fut. temp. pro præt. vt ſæpe aliàs, ex Kimhi. Nota non ſeruari in hoc pſalmo ordinem hiſtoriæ, qui eſt in Pentateucho. Nam priuſquam ventum eſſet in Raphidim, Manna & coturnices conceſſa fuerant, nimirum in deſerto Sin. *Et adaquauit in abyſſis magnis*, hoc eſt, in magnâ aquarum copiâ: quò pertinet & ſeq. verſus. *Magnis.* Heb. רַבָּה *rabba*, id eſt, *magnâ, multâ*, ſing. videlicet pro plur. ex Ezra & Kimhi. Kimhi autē explicat hunc in modū, adaquauit eos è petris, non ſecus atque ex immenſis abyſſis. Quem ſenſum Græcus & Lat. ſanè expreſſerunt vertentes, *& adaquauit eos velut in abyſſo multâ.* Eodem modo interpretatus eſt Chald. *& adaquauit velut in abyſſis magnis.* Raſi aliter poſterius hoc membrum accipit, hunc in modum ferè, etiam quum incederent per medium mare, cuius ſalſæ ſunt aquæ, ideóque haud potabiles, in ipſa mediâ abyſſo dulcium aquarum fontes aperuit. Verùm hæc expoſitio nullo Sacræ Scripturæ textu nititur, ideóque iure merito ſuſpecta.

16 *Et eduxit fluenta de petra*, arida ſcilicet, &c. Propter vocem סֶלַע *ſela*, quæ *petram* ſignificat, & Num. 20. legitur, vbi poſterioris aquæ è petra eductionis hiſtoria recitatur, nonnulli exiſtimant hunc verſū ad poſteriorem illam eductionem pertinere. Ego verò propter vocem צֻרִים *tſurim*, ſuperioris verſus, quæ *petras* ſignificat, eſtque numeri plur. cenſeo & illum & hunc verſum ad vtramque eductionem eſſe referendum: ſimul autem coniungi duas illas hiſtorias, quanquam longo tempore diſiunctas, quòd ſimiles ſint.

17 *Et appoſuerunt* (*addiderunt*) &c. Hoc, quod aggreditur narrare, poſt primam aquarum eductionem contigit. Nunc igitur ad ordinem rerum geſtarum redit. *Addiderunt*, ait, quoniam grauiter iam peccarant in Raphidim, aquæ copiam à Moſe cum iurgio flagitantes, vt videre eſt Exo. 17. *In iram excitare Excelſum*, Deum ſcilicet, cuius potentiam toties iam experti fuerant. *In inaquoſo*, hoc eſt, in deſerto ſicco & arido, vbi, inquit Ezra, Dei ope, ſi vnquam aliàs, ijs erat opus: vel in deſerto omnino arido, & exucco, vbi nulla carniū, aut vllius generis ciborum copia. צִיָּה *tſiia*, propriè ſignificat ſiccitatem, ariditatem, necnon terram aridam adeóque incultam.

18 *Et tentauerunt Deum* &c. Vbi? In loco, qui ab euentu dictus eſt *Sepulchra concupiſcentiæ*, quòd illic quotquot, faſtidito manna, carnes appetierant, ſtatim atque primoribus labris coturnices supernè immiſſas attigiſſent, interierint. Hiſtoriam vide Num. 11. *Tentauerunt Deum in cordibus ſuis*, id eſt, cogitauerunt tentare Deum, atque experimentum eius potentię facere, efflagitando carnes, non contenti ſcilicet manna, cibo alioquin optimo & ſuauiſſimo. Quid ſit propriè *Deum tentare*, facilè intelligi poteſt ex Exo. 17. 7. vbi hoc habetur, *& quia tentauerunt Dominum, dicentes, Eſtne Dominus in medio noſtri, an non?* Verùm ibi tentata eſt Dei voluntas, hic potentia, vt ex illis verbis ſequentis verſus conſtat, *Nunquid poterit Deus* &c. Ezra dicit herum tentari à ſeruo, quum hic petit, quod ſibi minimè eſt neceſſarium. *Animabus ſuis*, heb. *animæ ſuæ*, hoc eſt, ſibi, vel, iuxta Kimhi, concupiſcentiæ ſuæ, cuius ſedes eſt in anima.

19 *Et loquuti ſunt* non multò pòſt ore, quod corde conceperant. *Nunquid poterit Deus* &c. Referri hoc debet ad illud citati capitis Num. ver. 4. *Vulgus quippe promiſcuum quod aſcenderat cum eis, concupierunt concupiſcentiam: & auerſi fleuerunt etiam filij Iſrael, dicentes, Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Et ſequentibus verſibus, *Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, cucumerum*, &c. *Ac nunc anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. Deus*, qui fortis & potentis nomine appellatur: in Heb. enim אֵל *el. Parare menſam*, id eſt, inſtruere lautum carnium conuiuium: in-

struere mensam variis ac delicatis cibis, & carnibus. *In deserto*, vbi scilicet talium rerum, quæ ad struendam mensam requiruntur, summa semper est penuria. A

20. *Ecce percussit* Deus vtens operâ Mosis, *petram*, &c. Sensus, Vidimus profectò è percussâ à Deo petrâ ingentem vim aquarum erupisse. Sed hoc non adeo mirum videri debet, cùm è rupibus aqua sponte profluat. Verùm num ille etiam panem, & carnem nobis hîc poterit dare? Quod ait, *Ecce percussit petram*, &c. ad solam aquæ eductionem, quæ facta est in Raphidim, referri debet, non etiam ad eam, quæ in Kades. B Nam hæc multo tempore sequuta est historiam, cuius hîc fit mentio. Idcirco dicitur hîc in num. sing. *petram*, cùm suprà dictum sit *petras*, quemadmodum annotat Kimhi. *Ecce*. Hęc particula subiicit rem oculis, & recens factum notat. *Etiam* emphaticè. *Panem*. Accipio, vt sonat: pane enim tunc carebant triticeo. Ezra & Kimhi *panem* hoc loco pro carne accipiendum censent, sicut Num. 28. 2. & aliis locis. Sūt, in quibus R. Moses, qui voce *panis* intelligant manna, ac dicant horum verborum C hunc esse sensum, nunquid poterit dare semper manna, nec vnquam cessabit?

21 *Ideo audiuit Dominus, & iratus est*, hoc est, Quod audiens Dominus iratus est. *Et ignis*, iræ eius scilicet: idem enim significat hoc, *& ignis accensus est in Iacob*, atque illud quod sequitur, *& etiam ira ascendit in Israel*. Hoc sensu dicitur Ezech. 38. 18. *Et in zelo meo, in igne iræ meæ loquutus sum*. Ps. 89. 47 *exardescet sicut ignis ira tua*? Thren. 2. 3. *& accensus est Dominus in Iacob quasi ignis flammæ deuorantis in gyro*, seu *circuitu*. D *Ascendit*. De vi huius verbi mox dicetur ad vers. 31. *Etiam*. Hæc particula redundat, videturque explendi carminis gratia duntaxat adhibita. Versus hic porrò respondet ad versum 33. citati cap. Num. nimirum 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, antequam conciseæ essent: & (ecce) furor Domini exarsit in populum, percussitque Dominus populum plaga magna nimis*. Kimhi ait videri sibi præterea complecti hunc versum duas historias, vnam, quæ tribus primis versibus cap. E cit. Num. describitur: alteram, quæ reliquo capite: istud videlicet, *Ideo audiuit Dominus, & iratus est, & ignis accensus est in Iacob*, ad priorem historiam esse referendum, murmuris scilicet populi ob causam aliquam, quæ non exprimitur: ad priorem, inquam, illam historiam esse priorem huius versus partem referendam, quòd in illa historia legatur huic parti prorsus simile, *quod quum audisset Dominus, iratus est, & accensus in eos ignis Domini* (id est, ignis diuinitus immissus) *deuorauit extremam castrorum partem. Vocauitque nomen loci illius Incensio, eò quòd succensus fuisset contra eos ignis Domini*. Alteram verò huius versus partem ad historiam, quæ loco nomen fecit *Sepulchra concupiscentiæ*: quem locum eundem esse, qui iam à primo illo euentu *Incensio* vocatus fuerat, censet idem Kimhi. Verùm quoniam in superioribus versibus posterioris historiæ tantùm fit mentio, non dubium mihi est, quin etiam hic versus ad posteriorē historiam tantùm pertineat. Suum tamen cuique liberum relinquo iudicium.

22 *Quia non crediderunt* &c. Adfert caussam pœnæ: quòd Deo fidem non habuerint, nec totos se ei commiserint, quasi ille non posset carnium copiam, quas desiderabant, dare, ipsósque seruare, tandémque in possessionē terræ promissæ asserere.

23 *Et mandauerat iam* &c. Amplificat scelus & impietatem Israëlitarum ex eo quòd spreto & fastidito manna, quod omnium lautitiarum vices vnum supplere poterat, & absque labore colligebatur, alios cibos expetierint. In hoc & duobus sequentibus versibus exposuimus verba per præt. plusquàm perfectum è sententia Ezræ & Kimhi. Exempla profert Ezra, *Et formauerat Dominus Deus hominem* &c. Gen. 2. 7. *Profecti autem erant de Raphidim*, &c. Exo. 19. 2. & alia. *Mandauerat nubibus*, vt illis scilicet darent manna, sicut ex duobus mox sequentibus versibus constat. *Ianuas cæli iam aperuerat*, per quas plueret ac dilaberetur manna. Hac loquendi formulâ vult significare non parcè aut tenuiter, sed copiosè & largiter decidisse manna. Sic Gen. 7. 11. *cataractæ cæli* dicuntur *apertæ*, ad significandam ingentem pluuię vim, & magnam ac vehementem imbrium copiam.

24 *Plueratiam illis* (heb. *super eos*) *manna*: è cœlo quippe descendebat manna, inquit Ezra. *Et frumentum cæli* &c. *Frumentum* manna vocatur, quòd, inquit Kimhi, illis esset vice frumenti, & quidem frumento melius, dulciúsque. Addit *cæli*, quòd, inquit Ezra, in aëre gigneretur. Per *cælum* in hoc loco aër intelligendus, vt alias sępe. Ad hunc porrò versum refer id quod dicitur Exo. 16. (quo in capite de Māna agitur) v. 4. *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panem de cælo*. Necnon illud eiusd. cap. ver. 15. *Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum*.

25 *Panem angelorum manducauerat* iam *homo* vilis & terrenus. *Angelorum*. Ad verb. *fortium*, per quos Ezra & Kimhi cęlos intel-

ligunt, qui Iob 37. 18. *fortes* dicuntur *quasi speculum fusum*. Optimus erit sensus: Manducauerat iam homo terrenus panem cælorum. Rasi Angelos illa voce putat significari. Chald. idem existimauit, qui pro *panem angelorum* interpretatus est, *cibum, qui descendit de habitaculo angelorum*, hoc est, è cælo. Sic eodem redit sententia. Græcus & Latinus *panem Angelorum* verterunt, per quem Theodoretus intelligit panem, non quem Angeli ederent, sed ad quem demittendum Angeli ministrarent. Potes exponere *panem fortium* panem primarium seu elaboratum, & dignum qui fortibus viris & magnis principibus apponatur. Mystici vocem אַבִּירִים *abbirim*, suo more per aliam affinem אֵבָרִים *auarim*, quæ *membra* significat, exponentes, Manna cibum fuisse narrant, qui absorptus fuerit in omnibus membris, &c. *Cibaria*. Ad verb. *cibum*, seu *viaticum* & commeatum, quo opus est iis, qui iter faciunt. Græcè ἐπισιτισμόν. Intellige manna quod pro cibariis & viatico illis fuit.

26 *Excitauit Eurum* &c. Redit ad historiam capitis 11. Num. Mannæ historiâ nonnihil interruptâ. *Excitauit Eurum* &c. ad adducendas ac deferendas in castra coturnices. Respondet hoc ad illud cit. cap. Num. ver. 31. *Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & dimisit super castra*, Vulg. *demisit in castra*, Chald. *proiecit super castra*, &c. Ibi verbum נָסַע *nasa*, *egressus est*, *profectus est* in Kal: hic verbum הִסִּיעַ *hissia*, *proficisci fecit* in Hiphil, quod *transtulit* cum Græco & Lat. noluimus vertere, sed *excitauit*: hoc enim ad historiam, & locum mox cit. conuenit, illud verò non: tantùm enim abest vt translatus & ablatus fuerit ventus, vt potiùs excitatus sit. Vide locum illum Num. Theodor. Euthymius & alij vocem Græci & Lat. Interpretis *transtulit*, exponunt, non *amouit*, siue *cessare fecit*; sed *excitauit*, & *flare iussit*, perinde ac si dicatur, Transtulit de cælesti thesauro, & emisit in terram: quo modo etiam D. Aug. explicat. Verũ in Fonte legitur *in cælo*, non *de cælo*: in cælo, id est, in aëre. *Austrum*. Auget hoc miraculum, quòd Austro flante adductæ sint coturnices, quæ si habenda est fides Plinio Nat. hist. lib. 10. cap. 23. Austro non volant humido scilicet & grauiore vento, sed Aquilone maximè. Hîc quum nominat Eurum & Austrum simul, significare vult ventum Orientalem australem.

27 *Et pluit* &c. Verbum *pluendi* copiam notat ex Kimhi. At Ezra existimat vsurpari istud verbi, quòd non secus ac pluuia, vento sit adducta eiusmodi caro, ac supernè delapsa. *Super eos*, & in mediis castris, vt nihil necesse habuerint se fatigare in sequendis, & alibi peruestigandis coturnicibus, sed facilè illas potuerint arripere, præsertim cùm duos tantùm cubitos supra terram extarẽt. Vide cit. cap. 11. Num. versu 31. *Sicut puluerem*. Iterum hac similitudine copiam notat, sicut & illâ alterâ quæ sequitur, *& sicut arenam maris*. *Carnes*, heb. *carnem*. Hinc perspicuè patet, vt obseruat Ezra, quo modo vox *panis* suprà, versu 20. accipienda sit, nimirum pro carne. *Volatilia pennata*. Explicat prius membrum, & cuius generis fuerint carnes, nimirum volatilia alata, coturnices videlicet, vt videre est ex mox cit. versu Num. quæ tamen in sublime se attollere haud potuerint, neque huc & illuc volare, sed cùm in media castra, tum in omnem illorum ambitum, quasi densus imber, deciderint: quò pertinet versus qui sequitur.

28 *Et ceciderunt* &c. Heb. *Et cadere fecit*, ac vi venti deiecit illa volatilia pennata *in medium castrorum* &c. non in terram. *Volabant enim in aëre duobus cubitis altitudine super terram*. Vide mox citatum versum. *Circa tabernacula eorum*. Significare vult decidisse coturnices nõ in castra tantùm, sed & extra castra, *itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum*, sicuti legitur in prædicto versu Num. *Eorum*, ad verb. *eius*, scilicet Iacob, seu Israël, quod collectiuè sumendum.

29 *Saturati sunt nimis*, prop. *valde*, id est, multò plus quàm satis esset, iuxta illud cit. cap. Num. vers. 20. *donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam*.

30 *Non erant alienati* &c. En statim pœna. *Non erant alienati à desiderio suo*, id est, *adhuc carnes* desideratæ *erant in dentibus eorum*, vt est cap. cit. Num. vers. 33. Optimè conuenit hæc expositio ad historiam, & ad sequens membrum, *adhuc esca* (heb. *esca*) *eorum in ore ipsorum*. Hoc sensu acceperunt Chald. & Rasi. Ezra & Kimhi significationem verbi זָרוּ *zaru*, desumpserunt ex nomine זָרָא *zara*, quod *nauseam* significat, & legitur ver. 20. cit. cap. Num. Sic igitur ex horum sententiâ vertẽdum esset, *Non nausearant à desiderio suo*, hoc est, Nondum omnino carnes desideratæ nauseæ fuerant: adhuc enim erant in ore ipsorum. Eòdem redit sententia, etsi prior expositio simplicior mihi videtur. Græcus & Lat. prius huius versus membrum præcedenti versiculo adiunxerunt, verterúntque, *non sunt fraudati à desiderio suo*. Hanc sententiam quoque sequutus est Rasi. Nam hanc etiam expositionem adfert, *Non sunt alienati* seu *alieni facti à desiderio suo*, id est, Suum

omne deſiderium ſunt aſſequuti. Iuxta hãc expoſitionem meliùs diſtinxerunt Græcus & Lat. Niſi vertas per præt. imperfectum, *Non erant alienati*, ſeu *alieni facti à deſiderio ſuo*, id eſt, omne ſuum deſiderium erant aſſequuti. Tunc enim commodè fluet ſequens membrum, *adhuc eſcæ eorum* &c.

31 *Et ira Dei aſcendit* &c. Senſus, Inter epulandum, & ipſis adhuc veſcentibus, exarſit ira Dei aduerſus eos, &, vt ſcribitur toties cit. cap. Num. ver. 33. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, antequam conciſæ eſſent, & (ecce) furor Domini concitatus (exardeſcens) in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.* Sequitur, *Vocatuſque eſt ille locus Sepulchra concupiſcentiæ: ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat*, ſub. carnes. *Ira Dei aſcendit*, tanquam ignis & flamma, hoc eſt, exarſit: ignis enim, quum ardet, ſurſum fertur. Hoc ſenſu Ezech. 38. 18. Dominus ait, *aſcendet indignatio mea in furore meo*, hoc eſt, iraſcar vehementiſſimè. Hoc ſenſu ſuprà, ver. 21. *& etiam ira aſcendit in Iſrael. Pingues eorum*, hoc eſt, craſſos & robuſtos quoſque illorum. Citat Kimhi ſimile ex Iud. 3. 29. *Et percuſſerunt Moabitas in tempore illo circiter decem millia virorum, omnem pinguem & omnem virum fortem*, in Vulg. *omnes robuſtos & fortes viros.* Per *pingues* potes intelligere optimates & primarios viros: quo modo pſ. 22. 30. *pingues terræ* nominantur reges & principes. *Electos*, id eſt, iuuenes: iuuenes enim ad militiam & publica negotia deliguntur. Quum robuſtos & iuuenes cecidiſſe ait, docere vult homines vt plurimùm ſuo robore ac virtute decipi, vt audaciùs proteruiant aduersùs Deum. Neque verò exiſtimandum eſt robuſtos & iuuenes ſolos peccaſſe, ſed iſtos præſertim, vtpote delicatiores, & magis voluptatum appetentes, & laſciuiæ ſuetos.

32 *In omnibus his*, heb. *In* (vel *Cum*) *omni hoc*, id eſt, Etſi iſtud omne eſſet factum, vel, Etſi omne iſtud ſic ſe haberet, nihilominùs tamen *peccauerunt adhuc*, iſto exemplo nihilo ſapientiores facti: *peccauerunt adhuc*, quum exploratorum, qui formidoloſa referrent, nuntio perculſi, ſpreto Moſis imperio, ducem ſibi conſtituere pararent, cuius ductu in Ægyptum reuerterentur, Num. 13. & 14. quum Core, Dathan, Abirom, Hon, & alij ducenti quinquaginta primarij viri aduerſus Moſem conſpirarunt, Num. 16. quum in Cades ob aquæ penuriam ſeditionem excitarunt, Num. 20. *Et non crediderunt in mirabilibus eius*, hoc eſt, neque tot miraculis ac prodigiis, quæ ipſi viderant, adduci potuerunt, vt crederent poſſe ſibi Deũ tradere terram promiſſam. *Vtinam*, inquiebant, *mortui eſſemus in Ægypto*, &c. *Et quare inducit nos Dominus in terram iſtam, vt cadamus gladio, (&) vxores ac liberi noſtri ſint in prædam?* &c. Num. 14. verſ. 2. & 3.

33 *Et defecerunt in vanitate* &c. En pœna multiplicis & perpetuæ Hebræorum contumaciæ, eius præſertim, quâ in Ægyptum retrò, vnde venerant, reuerti parabant ſpeculatorum ignauia ſeducti. Tum enim Moſi populi culpam deprecanti reſpondiſſe Deum legimus, non viſuros terram, de quâ iurauerat, quotquot verbis eius non paruiſſent, ſed caſura in deſerto eorum cadauera. Vide Num. 14. *Et defecerunt.* In Fonte *Et deficere fecit.* Græcus & Lat. vel ſenſum tantùm reſpexerunt, vel paulò aliter legerunt, vt peritis linguæ Hebraicæ facilè apparere poteſt, videlicet וַיְכַלּוּ *vaijchlu*, pro וַיְכַל *vaical*. *In vanitate*, quippe qui iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſiderarant ſeu explorarant terram, anno pro die imputato, quadraginta annis receperunt ſeu portauerunt iniquitates ſuas, & cognouerunt vltionem Dei, & in ſolitudine defecerunt, & mortui ſunt, ita vt fruſtra Ægypto exierint, ſaltem qui maiores eſſent viginti annis: fruſtra, inquam, vt qui terram non ingreſſi ſint, cuius cauſsâ Ægyptum reliquerant. Vide Num. 14. *Cum feſtinatione*, hoc eſt, antequam finiti eſſent quadraginta anni: antequam ſcilicet ingredi poſſent promiſſam terram. Hoc ſenſu Ezra. At Kimhi ſic ferè habet ad hanc vocem, ב in בַּבֶּהָלָה *babbehala*, habet patach (punctum ſcilicet ה demonſtratiui ſiue emphatici excluſi) ad denotandum certum aliquod præcognitum: quaſi diceret, cum illa feſtinatione quâ *mortui ſunt homines illi qui terræ detraxerunt, plagâ coram Domino* ſubitò. Num. 14. 37. Alij vertunt *cum terrore*. Certè plerique Hebræorum in deſerto cum dolore & torminibus vitam finierunt, plagis variis affecti, ſerpentum morſibus enecti, igne cælitus immiſſo exuſti, terræ hiatibus abſorpti.

Num. 14. 34.

34 *Quum (Si) occideret*, ſeu *occidiſſet eos*, &c. Senſus, Quum è ſuis aliquos ad caſtiganda ſcelera morte mulctaſſet, tum qui ſupererant, eum quærebant, & peccata agnoſcentes reuertebantur, &c. Sic ferè Kimhi, qui etiam exponi poſſe docet, Quũ ſtatuiſſet occidere eos, ipſi quærebant eum. Ezra addit & hanc expoſitionem, *Quum* (vel *Si*) *occidiſſet eos* ferme. Prior ſimplex magis videtur. *Quum.* Heb. אִם *im*, quod Kimhi accipi vult pro *quum*, vt Num. 36. 4. vbi dicitur וְאִם *veim*, *Quùmque fuerit Iubileus filiis Iſrael.* Et alibi. Ego verti hoc

loco posse arbitror *Quum*, & *Si*, prompto & facili sensu. *Diluculo* seu *sedulò* ac summo studio *veniebant ad Deum*, seu *quærebant Deum*.

35 *Et recordabantur* malis admoniti. Ezra vult hoc verbum ad os hoc loco solùm pertinere, vt & Ierem. 23. 36. vbi dicitur, *Et onus Domini non memorabitis (recordabimini) vltrà*. Ad os pertinere, inquit, testis est iste versus (nimirum 37.) *Cor autem eorum non erat rectum cum eo*, &c. Ego accipio, vt sonat. *Deus excelsus*, qui scilicet potest quicquid vult. Hunc versum inter, & sequentem annotant Hebræi hæc verba חצי הספר *chatsi hasspher*, id est, *Medium libri*, Psalmorum videlicet.

36 *Et illexerunt* seu *illiciebant* &c. Qui malis tantùm docentur vt benefaciāt, & ad Deum reuertantur, non id verè & ex animo plerumque faciunt, sed ficte & simulatè: & quandiu solùm mala durant, verbis, quā possunt, Deo blandiuntur, eique mentiuntur, cui tamen blandiri aut mentiri, vt qui humanis artibus & verbis non capitur, impossibile est. *Illexerunt*, id est, putabant se illicere. Sic Iof. 2. 8. *Et viri persequuti sunt eos*, id est, putabant se illos persequi, cùm tamen verè non persequerentur. Vide locum. *Illexerunt*. Lat. *dilexerunt*, quod aliquis putet irrepsisse pro *illexerunt*, indeque coniexisse præclarum aliquem Doctorem codicem Græcum, & pro ἠπάτησαν reposuisse ἠγάπησαν: nisi fortè verisimilius est in Græco priùs fuisse erratum. Melius dubio procul *illexerunt*, vt quod verbo sequentis membri, *mentiti sunt*, magis affine sit. Quanquam potest sensus stare legendo *dilexerunt*: ita vt nihil sit aliud *diligere in ore*, quàm amorem & fidem verbo tenus profiteri: id quod in priorem sensum planè recidet. Neque verò dura videri debet illa locutio, quæ D. Iohanni prioris epist. cap. 3. vsitata est, vbi ait, *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*.

37 *Cor autem eorum* &c. Quasi dicat, Verbis quidem Deo blandiebantur, & nitebantur imponere: at verbis non respondebat animus: nec interea ipsi in seruando fœdere cum Deo in Sinaï monte inito satis se fideles præbebant: Deo fidem non seruabant. Atque hoc sensu suprà, ver. 8. *Nec fiant sicut patres eorum generatio praua, & exasperans: generatio (quæ) non direxit cor suum, & non fuit fidelis cum Deo spiritus eius*. Porrò ad hunc versum sic habet Ezra, Ecce apparet radicem orationis esse intentionem cordis.

38 *Ipse autem (tamen) misericors* &c. Sensus est, Nihilominus tamen ipse pro sua infinita misericordia & bonitate illis ignouit, &c. Deus ijs etiam, quorum simulata est pœnitentia, ignoscit, non omnino quidem, sed ex parte: & quemadmodum haud integra est pœnitentia, sic nec integra est venia. In illos animaduertit quidem interdum, sed non omnino perdit ac delet, nec in eos omnem effundit iram, sed pro sua clementia temperat. Nam profectò nisi fictæ etiam pietatis & pœnitentiæ esset aliquis fructus, homines, qui in corda non penetrant, in omne genus scelerum ruerent, nec resipiscerent vnquam. *Multiplicauit vt auerteret iram suam* ab ipsis, id est, multoties auertit ac repressit iram, aut si interdū non repressit omnino, certè *non accendit* (in Fonte *excitauit*) *omnem iram suam*, id est, non effudit in eos omnem iram. Kimhi ad hoc sic habet, Opus est enim robore cordis, & multiplicatione potentiæ attributi misericordiarum ad auertendum iram. Ac sic, inquit, dicebat Num. 14. 17. & seq. *Nunc ergò magnificetur, quæso, fortitudo Domini, sicut loquutus es, dicens, Dominus patiens & multæ misericordiæ*, &c.

39 *Et recordatus est quòd* &c. Sensus, Venit quippe illi in mentem eos nihil aliud esse quàm carnem, adeòque vim iræ diuinæ ferre nō posse, quin statim extinguerentur, & perirent: quò spectat sequens membrum, *spiritus vadens* seu *abiens*, *& non rediens*: q. d. recordatus est eos vento velociter transeunti esse similes. His verbis imbecillitatem vitæ humanæ notare vult. Neque verò quum ait *& non rediens*, negat homines, postquam semel mortui sunt, reuerti ad vitam absolutè, sed ad hanc, quæ in terris degitur, vitam, vnde scilicet excesserunt, sicuti ventus eò non reuertitur, vnde abiit, sed hinc & illinc in contrarias & diuersas plagas abripitur. Igitur nomine *spiritus* intelligo ventum. Nulla res magis Deum ad misericordiam prouocat, quàm hominis miseria. Docet hic versus, & istud ps. 103. 13. & 14. *Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est quòd puluis sumus. Recordatus est*, id est, ad modum recordantis se habuit: quia obliuio in Deum non cadit. Lyr.

40 *Quoties exacerbauerunt* &c. Exclamatio pathetica: quasi dicat, Quis possit enarrare tot rebelliones, quibus prouocarunt Deum? Num. 14. 22. queritur Deus tentatum se iam per decem vices.

41 *Et reuersi sunt, & tentauerunt Deum*, id est, Sæpius & identidem tentauerunt Deum. *Deum* fortem: nam hebraicè est אל *el*, id est, Deum, cuius potentiam tot miraculis exploratam habebant. *Sanctum*

Israel, id est, Deum tot miraculis & prodigiis apud Israëlitas sanctificatum, *limitauerunt*, hoc est, circumscripserunt, eiusque potentiæ terminos statuerunt, sic existimantes, Illud potest, hoc non potest, antea potuit, nunc & deinceps non poterit: ac sic eum tentauerunt. *Sanctum Israel.* Sic & Deus nominatur 2. Reg 19.22. & alibi.

42 *Non sunt recordati manus eius*, id est, magnæ eius virtutis, quâ ipsos redemit à seruitute Ægyptiaca in manu forti. *Die qua*, id est, quum. Mallem *diei*, referendo ad *recordati sunt.* In Græco ἡμέρας. *Tribulante.* Pharaonem eiúsque ministros intelligit, qui iussu Regis in Israëlitas acerbè ac nimis crudeliter sæuierant, vt videre est Exo. 1. Iterum in his aliquot versibus proteruiæ Israëlitarum eandem caussam assignat, quam suprà, versu 11. & sequentibus, impiam videlicet beneficiorum & potentiæ Dei obliuionem. In his igitur aliquot versibus Dei erga Gentem Israëliticam beneficia recenset, quæ summam eius virtutem ac potentiam facilè declararunt.

43 *Taneos.* Vide suprà ad vers. 12.

44 *Et conuertit in sanguinem* &c. Hæc prima plagarum decem, quibus Pharao renuens dimittere Hebræos affectus est. Huius primæ plagæ historia videnda Exo. 7. à versu 15. ad finem. Non meminit, ait hoc loco Ezra, draconis seu colubri, (ex virgâ Mosis facti scilicet) quòd nullam is intulerit plagam. Vide Exo. 7. ver. 9. & sequentibus. *Flumina* (prop. *riuos*) *eorum* Ægyptiorum, quos intelligi ex præcedente versu nimis clarum est, quósque *tribulantis* voce altero abhinc versu significauit. Certum est porrò in Ægypto vnicum fluuium fuisse, nempe Nilum: & in historia huius plagæ sæpe vnum tantùm flumen nominatur, citati cap. Exo. ver. 15. 17. 18 20. 21. 24. 25. quibus omnibus in locis vox eadem, quæ hic, reperitur, nisi quòd in singulari numero, nimirum יְאֹר *ieor*, quæ vox *fluuium*, necnon *riuum* propriè significat è fluuio ductum ad rigandos agros. Vnde mirum videri non debet, quòd hîc dicatur יְאֹרֵיהֶם *ieorehem*, hoc est, *riuos eorum*, vel etiam *flumina eorum*: siquidem Nilus in multas fossas & riuos diductus instar esset multorum fluminum. Hinc est quòd Exo. citati cap. ver. 19. scribitur, *Tolle virgam tuam*, &c. *super flumina eorum*, *super riuos eorum*, (hîc יְאֹרֵיהֶם *ieorehem*) &c.

45 *Misit in eos cœnomyiam*, &c. Hæc plaga quarta. Non seruat igitur ordinem in plagis recensendis, neque omnium mentionem facit. Namque ranæ, quarum mentio fit in posteriore membro versus, secunda fuerunt plaga: illasque inter, & cœnomy-A iam fuerunt pediculi, seu cyniphes, quæ in hoc versu silentur. Trium harum plagarum historiam vide cap. 8. Exo. Ezra dicit priore loco mentionem facere cœnomyiæ, quòd hæc plaga eâ, quæ à ranis est inflicta, fuerit grauior: aut certè sequens membrum hunc habere sensum, rana autem iã disperdiderat eos. *Cœnomyiam.* Ad verb. *mixturam*, videlicet insectorum varij generis, vt muscarum, culicum, vesparum & similium. Græcus habet hîc & cit. cap. Exo. ver. 21. κυνομυίαν, id est, *caninam muscam*, corruptè, vt apparet, pro κοινομυίαν: nã La-B tinus etiam habet in notato loco Exo. *omne genus muscarum*: & Aquila cùm hîc, tum illic vertit πάμμυιαν. Deinde B. Hieron. ad Suniam & Fretellam, *cœnomyiam*, hic legendum tradit; vertitque *omne genus muscarum.* Corrigantur ergò codices, in quibus hîc *cynomyiam.* Pariter & ps. 105.31. *Et comedit eos*, id est, eorum fruges. Sic quod de rana dicitur, *& disperdidit eos*, id est, eorum regionem. *Rana.* Collectiuum nomen. Sic Ex. 8. 6. *& ascendit rana*, pro, & ascenderunt ranę.

46 *Et dedit brucho* &c. Hæc octaua plaga, cuius mentio fit Exo. 10. *Fructus eorum*, C quos scilicet reliquerat grando, vt dicitur mox cit. cap. ver. 15. grando quippe præcesserat. *Labores eorum*, id est, fructus agrorum, quos tanto studio & labore miseri illi Ægyptij coluerant.

47 *Occidit in grandine* &c. Septima plaga, quæ Exo. 9. describitur, à versu 18. Potes igitur vertere *Occiderat*, iam antè nimirum, necnon *Tradiderat* in sequente versu. *Occidit.* Metaphoricè vsurpatur hoc verbum. Ezra & Kimhi simile citant ex 2. D Reg. 3.19. *& omnem agrum egregium dolore afficietis lapidibus*, hoc est, obruetis lapidibus, metaphorâ sumptâ ab iis qui lapidibus obruuntur. Quum ait, *occidit*, significare vult vi grandinis non tantùm decussos fructus, aut folia, sed etiã ipsas radices enectas, & corruptas. Vegetabili etiã, ait Kimhi, conuenit verbũ *occidendi*, quando ipsi inest anima vegetãs: quo sensu Iob. 14. 8. *Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius. Sycomoros eorum.* Vineas & sycomoros solùm nominat, etsi E *cunctam herbam agri percußit grando, & omne lignum* (*omnem arborem*) *regionis confregit*, sicuti dicitur cit. cap. Ex. ver. 5. quòd, inquit Kimhi, istæ arbores familiares & frequentes imprimis essent in Ægypto. Sub illis tamen omnes alias arbores comprehendit. Sycomoros Kimhi dicit ficus esse syluestres. Ps. 105. 33. pro eo quod hîc *sycomoros*, legitur *ficus. In pruina.* חֲנָמַל *chanamal*, ex Ezra & Kimhi genus est grandinis.

Chald. interpret. est כַּרְזוּנָא *carzuna*, quod grandinē maiorē significat. Chasan & Rasi putant speciem esse locustæ. Saadias existimat hāc vocem significare gelu seu glaciem fortem ac vehementem, quæ frangat ac decutiat arborum flores, & humorem exsiccet. Huius freti authoritate noluimus discedere à Græco & Lat. Aquila etiam fauebit, qui vertit ἐν κρύει.

48 *Et tradidit* concludendo propriè, vt nullum effugium pateret. Nam in Fonte וַיַּסְגֵּר *vaiiasger*, quod propriè est *& conclusit*. Idem verbum & versu 50. in fine, & initio versus 62. *Iumenta eorum* Non herbas tantùm, & arbores attigit grando, sed *cuncta quæ fuerūt in agris ab homine vsq; ad iumētum*, sicuti dicitur mox cit. cap. Ex. ver. 25. *Possessiones* seu *pecora*. Priscis diuitiæ & possessiones præcipuæ erant in pecoribus. *Igni* seu *prunis ignis*. Ex Rasi, Ezra, Kimhi ignem illum intelligit mixtum grandini: de quo vide cit. cap. Exo. ver. 24. Heb. לָרְשָׁפִים *lareschaphim*, pro quo ps. 105. 32. legimus אֵשׁ לֶהָבוֹת *esch lehauoth*, id est, *ignem comburentem* seu *flammarum*. B. Hieronymus vertit *volucribus*. Pro volucribus accipit & Rasi, qui hic occasione duarum vocularum eiusmodi texit fabulam. Quum cœpit grando decidere, Ægyptij oues domum statim abigere: verùm grando instar muri facta transitum negabat. Ægyptij igitur statim oues iugulare, humerisque imponere, ac domū reportare ad esum: at aues deuolantes arripuere. Hoc, inquit, est, *& possessiones eorum auibus*, Quòd רְשָׁפִים *reschaphim*, *aues* significet, probat ex Iob 5.7. וּבְנֵי רֶשֶׁף *vbne rescheph*, *& filij auis*, id est, aues. Sed alij aliter hoc interpretantur. Rasi porrò istum allegoricum esse sensum affirmat: hunc autem simplicem, *prunis ignis*, iuxta illud toties iam cit. cap. Exo. ver. 24. *Et grando, & ignis pariter mista ferebantur.* Chald. *prunis ignis* interpretatus est.

49 *Misit in eos furorem* &c. Hunc versum Kimhi existimat complecti eas plagas, quarum nulla speciatim facta est mentio. Ezra ad grandinis plagam etiam vult pertinere, & exprimere ingentem metum, quem Ægyptiis attulit ista plaga. Nonne vides, inquit Ezra, tantùm propter hanc plagam confessum esse Pharaonem, ac dixisse, *Dominus iustus, & ego, & populus meus impij.*

Immissionem angelorum malorum, vnà scilicet cum horrenda illa grandine, vel cum omnibus aliis plagis. Cacodæmonum operâ Deus in sceleratis puniendis vtitur. Angelo seu spiritui, reprobo scilicet, mādauit, vt deciperet Achab, 1. Reg. 22. 22. Opera Satan Iob etiam virum iustum afflixit. Ezra & Kimhi volunt מַלְאֲכֵי *malache*, id est, *ange-*

A *lorum*, syntacticum esse prò absoluto: id quod aliàs interdum contingit. Ego mihi videor posse hoc nomen in regimine, quod vocant, accipere ac vertere, *immissionem (legationem) nuntiorum malorum*, hoc est, rerum malarum: & per nuntios rerum malarum posse intelligere Mosen & Aaronē, per quos tot mala Ægyptiis fuissent prænunciata, atque etiam inflicta.

50 *Librauit semitam iræ suæ*, in dandi casu, &c. Hebræi ferè hunc versum pertinere volunt ad decimam & postremam plagam, quâ *in noctis medio percussit Dominus*
B *omne primogenitū in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.* Exod. 12. 29. Et quidem Rasi, saltem in quibusdam exemplaribus, sic habet ad hoc, *Librauit* seu *direxit semitā iræ suæ*. Quando percussit omne primogenitum in Ægypto, indicauit viam vastanti in ira, vt adiret domos Ægyptiorum, non verò domos filiorū Israël. Ego hoc, *Librauit semitā iræ suæ*, sic explico, Iter effundendæ iræ in Ægyptios
C quasi ad libram perpendit, nihil præter ius & ęquum faciens, sed peruersam illorum contumaciam dignis & iustis pœnis castigans. Hoc autem dici puto, ne quis Deum tam seuerè in Ægyptios animaduertentem iniustitię damnaret. Simile illud Prou. 4. 26. *Libra (Pondera) semitam pedum tuorum*, hoc est, Modum tene in omnibus: *ne declines ad dextram, neque ad sinistram*, vt illic est inseq. vers. Ex Kimhi sic hoc simpliciter explicandum, Direxit Deus viam irę suę, vt absque mora ad eos veniret. Ezra in
D his verbis elegantem dicit esse metaphoram ad significanda diuina iudicia è cælis descendentia. *Et iumenta eorum* &c Nonnulli exponunt, *& vitam eorum* &c. Chald. & alij Hebræorum, teste Kimhi, *iumenta* exponunt, & meliùs, meo quidem iudicio. *In mortem conclusit*, id est, conclusa morti tradidit. *In mortem* seu potiùs *pestem*: דֶּבֶר *deuer*, enim *pestem* propriè significat: ac propter hanc vocem multi hunc versum pertinere putant ad quintam plagam, quæ describitur initio cap. 9. Exo. diram illam
E videlicet pestem, quâ *mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus autem filiorum Israel nullum omnino perijt*: sicuti dicitur eiusdem cap. ver. 6. verùm sequens versus, qui apertè loquitur de morte primogenitorum, facit vt hunc quoque de eâdem accipiam, præsertim cùm hîc dicatur *non pepercit à morte animabus eorum*, scilicet Ægyptiorum: Ægyptios autem non attigerit illa pestis, sed tantùm eorum iumenta, vt ex initio cap. 9. Exo. videre est. At

A primogenita Ægyptiorum non leguntur peste extincta, sed tantùm à Domino percussa, Exo.12.29. Respondeo vocem dener latiùs videri patere interdum, & mortem quamcumque diram significare. Consule Lexica. Deinde cur negem peste extincta illa primogenita, cùm Scriptura genus aliud mortis non exprimat? De primogenitorum cæde agitur cap. 11. Ex. & 12. vers. 29. & seq.

51 *Et percussit omne* &c. Disertis verbis explicat superiorem versum, qui erat obscurior. *Omne* tam in animalibus, quàm B in hominibus. *Primitias* (ad verb. *principium*) *fortitudinum*, id est ex Ezra & aliis, primogenita, in quibus virtus ac robur patris magis conspicitur. Videtur autem imitatus Iacob, qui Gen. 49. 3. sic dixit, *Ruben primogenitus meus tu, fortitudo mea, & principium roboris mei*: (Lat. *doloris mei*; Græc. τῶν τέκνων μου:) *excellentia dignitatis, & excellentia roboris*. Deut. 21. 17. hæc ratio adfertur, cur pater in instituendis filiis hæredibus filium dilectæ vxoris filio exosæ C primogenito non possit præferre, aut ei dare ius primogenituræ: hæc, inquam, ratio adfertur, *iste (est) enim principium fortitudinis eius*, Græc. & Lat. *liberorum eius*. Similis loquutio occurret ps. 105 39. *In tabernaculis Cham*, id est, in domibus Ægyptiorum. Huc pertinet illud Exo. 12. 30. *neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus*. Ægyptios per contemptum Cham nominat. Cham enim pater fuit Mesraim, vt videre est Gen. 10. 6. à quo Ægyptij prognati, indéque vocati hebraicè מִצְרַיִם *mitstraiim*. D Per contemptum autem dico sic nominatos Ægyptios, siquidem maledictus fuerit Cham, quòd nimirum cùm vidisset verenda patris sui Noe esse nudata, nuntiauerit duobus fratribus suis foras, vt est Gen. 9. 22.

52 *Et transtulit* (*proficisci fecit*) *sicut oues* &c. Transtulit eos ex Ægypto post mortem primogenitorum: transtulit ac deduxit eos sensim ac leniter, sicut pastor solet oues. Kimhi. *Eos*, populum suum scilicet.

53 *Et deduxit eos in spe*, hoc est, summa cum fiducia, & extra omnem periculi me- E tum. Quæstio hîc nasci potest, Quomodò quod hîc dicitur, conueniat cum illo Ex. 14. 10. *Quumque appropinquasset Pharao*, (ad Israëlitas videlicet castrametantes iuxta mare rubrum) *leuantes filij Israel oculos viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde, clamaueruntque ad Dominum*. Respondet Kimhi metum illum fuisse exigui temporis, & vnius tantùm momenti: siquidem Moses statim eos securos esse iusserit ac benesperare, his verbis, *Nolite timere; state, & videte salutem Domini quam facturus est vobis hodie: Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. (Exo. 14. 13. & seq.) Id quod mox re fuerunt experti. Idcirco sequitur, inquit, *& inimicos eorum operuit mare*, quasi diceret, hostes enim illorum submerserat, vt ijs ampliùs nulla esset timendi caussa. Sic ferè ille. Respondeo ego, quum ait deductos Israëlitas in spe ac securè, sic hoc accipiendum, vt significare velit, ex parte Dei nullam habuisse iustam metuendi caussam, qui hostes illorum submerserat, etsi illi tamen sæpe timuerint, sed frustra, Deo protegente. Sunt, testibus Ezra & Kimhi, qui hunc versum sic exponant, *Et deduxit eos in spe*, seu *confidenter*, per siccum mare, *& non timuerunt*. Cui profectò expositioni bene conuenit posterius membrum, *& inimicos eorum operuit mare*.

54 *Ad terminum sanctitatis suæ, montem istum* &c. Ezra & Kimhi per *terminum sanctitatis Dei* putant intelligendam esse terram Israel, Deo quippe peculiariter sacram. Per *montem istum (quem) acquisiuit dextera eius*, Ezra intelligendum censet *montem istũ egregium, & Libanum*: quibus verbis ex Deut. 3 25. desumptis mihi videtur Ezra velle significare vniuersam terram Israël, quæ tota ferè est montosa, & in ambitu Libani montis sita. Sunt ex Hebræis qui per *terminum sanctitatis Dei*, intelligunt vrbem Hierosolymam, per *montem istum* &c. montem Moriam, in quo extructum fuit templum: ac sic dicunt, Si Asaph, (autor scilicet huius carminis) ille est, qui fuit Dauidis tempore, aut vaticinatus est, aut scripsit tantùm hoc carmen post prophetiam Gad, qua scilicet Dauidi ostendit locum templi. Vide 1. Paral. 21. à versu 18. & initium cap. 22. quod ad illam nimirum prophetiam attinet. Kimhi qui, vt notatum est, per *terminum sanctitatis Dei*, intelligi vult terram Israel, per *montem istum*, domum Sanctuarij accipit, citátque exempli gratia illud Ex. 15. 17. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ*, &c. Vbi per *montem hæreditatis Dei*, Sanctuarium, seu mõtem in quo futurum erat Sanctuarium, significari nimis perspicuum est ex ijs quæ mox sequuntur. Kimhi porrò obseruat dici *istum*, quòd scriptum sit hoc carmen, postquam per Gad Prophetam indicatus esset iste locus. Ego sanè, vt dicam quod sentio, per *terminum sanctitatis Dei*, & per *montem istum* &c. terram Israel intelligendam existimo. Vt sic sentiam, facit id quod mox sequitur, *Et eiecit à facie eorum gentes*, septem scilicet ex Ezra, qui isto versu suam

ſententiam probat. Quidni verò mons appelletur tota terra Iſraël, quæ tota montoſa eſt, vt iam dictum, atque etiam eminentior ac ſublimior omnibus terris? Deut. 32. 13. terra Iſraël *excelſa terræ*; Ezech. 36. 2. *excelſa* ſeu *altitudines mundi* ex Kimhi nominatur: etſi ſcio alios aliter exponere iſtum Ezech. locum. (*Quem*) *acquiſiuit dextera eius*. Hoc addit, vt omnem maioribus acquiſitæ terræ gloriam adimat, & ſoli Deo adſcribat. Sic pſ. 44. 4. *brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum.*

55 *Et eiecit à facie eorum Gentes*, eas ſcilicet, quæ recenſentur in hiſtoria Ioſuæ. Sic pſ. 44. 3. *Tu manu tua Gentes eiecisti.* *Et cadere fecit eos* Iſraëlitas *in funiculum hæreditatis* earum Gentium, id eſt, gentium iſtarum agros & hæreditates iis ſortitò veluti diſtribuit. Optimè porrò cohæret id quod mox ſequitur de domibus, poſtquam de agris dictum. Kimhi admonet *cadendi* vocabulum hoc loco accipiendum, quo modo Gen. 25. 18. vbi dicitur, *coram cunctis fratribus ſuis cecidit*, id eſt, non procul à fratribus ſuis ſortem obtinuit, ſeu habitauit, Iſmaël ſcilicet. Scio editionem latinam huius loci habere *obijt*, pro, *cecidit*. At Græcus vertit κατῴκησε. Sed ad rem. Alij ex Hebræis, teſte Kimhi, referunt hoc membrum non ad Iſraëlitas, ſed ad Gentes, hoc modo, *& cadere fecit eas* Gentes, id eſt, proſtrauit eas Deus gladio, *in funiculo hæreditatis*, id eſt, in ſua ipſarum terra: perinde ac ſi dicatur, Eas gentes partim expulit Deus, partim trucidauit. Hæc expoſitio videtur coacta. Ex Latinis quidam ſic interpretantur, *& cadere fecit eas* gentes *in funiculum hæreditatis*, id eſt, fecit vt gentes atque ipſarum poſſeſſiones ſorte cederent Iſraëlitis. Hæc expoſitio mihi non diſplicet. Græc. & Lat. verterunt poſterius membrum, ille, καὶ ἐκληροδότησεν αὐτοὺς ἐν σχοινίῳ κληροδοσίας, hic, *& forte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* *Funiculum*, id eſt, ſortem, fundum, fune ſcilicet dimenſum: ſicuti enim nunc virgâ ſeu decempedâ fundos & agros metimur, ſic olim in Palæſtina extento fune.

56 *Et tentauerunt*, &c. Senſus, Nihilominus tamen tot tantíſque affecti beneficiis, iámque adepti certas ſedes, & regionem lacte & melle fluentem, non deſierunt ſuis ſceleribus Deum illum excelſum tentare atque ad iram prouocare, mortuo ſcilicet Ioſua, & Senioribus, Iudicum tempore, inter vnum & alterum Iudicem, vt ſatis cõſtat ex Iudicum hiſtoria. *Teſtimonia eius*, id eſt, Legem eius, ſynecdochicῶs: Teſtimonia enim pars ſunt Legis. Quid ſit propriè *Teſtimonium*, dixi ex ſententia Kimhi, ad verſ. 8. pſ. 19.

57 *Præuaricati ſunt*. Lat. *non ſeruauerunt pactum*, ſiue ſenſum, non vocem reſpexerit, ſiue ſequutus ſit quoſdam Græcos codices, Origenis præſertim, qui legunt ἠσυνθέτησαν, à συνθήκη id eſt, *pacto*. D. Hieron. ad Suniam mauult Septuag. vertiſſe ἠθέτησαν, quoniam hebraicè *præuaricati ſunt*. *Quemadmodum patres eorum*, qui ex Ægypto exierant, & perfidè in Deum egerant, vt dictum eſt. *Conuerſi ſunt ſicut* &c. Senſus, ſicuti ſagittarius, quò incautum aliquem feriat, in diuerſam prorſus partem, quàm in eam, in quâ is eſt quem petit, arcũ dirigit, quem ſubitò, vbi opus eſt, conuertit: ita Iſraëlitæ ſub vno Iudice verùm Deum colebant, ac reſpiciebant; mox verò Iudice vitâ functo ad idola ſeſe conuertebant. Sic hoc ferè explicat Kimhi, in cuius ſententiâ *conuerſi ſunt ſicut arcus doloſus* nihil aliud eſt, quàm, ſubitò, relicto Deo, in quem antea reſpiciebant, quémque ſibi ſcopum videbantur propoſuiſſe, ad idola ſeſe conuerterunt. Oſeæ 7. 16. ſimile quiddam occurrit, *facti ſunt quaſi arcus doloſus*, qui ſcilicet cùm ſiniſtram videatur petiturus, dextram petit, quaſi diceretur, incautos homines fallunt ſuâ hypocriſi. *Sicut arcus doloſus*. Lat. *in* (ex ב pro כ) *arcum prauum*, Græc. στρεβλόν.

58 *Et in iram concitauerunt* &c. non ſemel quidem, ſed ſæpius, ac præſertim iudice Heli, viro alioquin pio, & qui ſuo exemplo alios ab idolorum cultu abſterrere debuit. Dico iudice Heli, quòd ſequentes verſus ad Heli Sacerdotis hiſtoriam manifeſtè pertineant, & ad illud tempus, quum victis Hebræis arca à Philiſtæis capta eſt: quæ hiſtoria deſcribitur 1. Sam. 4. *In iram concitauerunt eum*, faciendo holocauſta in excelſis, ſed non Excelſo. *In excelſis*, hoc eſt, ſacellis & altaribus in ſublimi loco extructis, & idolis dicatis. Nam מִזְבְּחוֹת *mizbechoth*, id eſt, *altaria*, Dei Opt. Max. בָּמוֹת *bamoth*, *excelſa*, idolorum erant, vt ex libris Regum videre eſt. Latinus ſenſum tantùm ſequutus vertit *in collibus*. In collibus enim eiuſmodi excelſa & altaria extrui ſolebant. Græcus etiam hîc vertit ἐν τοῖς βουνοῖς. Agellius tamen, Epiſcop. Acern. ex Septuaginta, qui *bamoth* interpretari ſolent βωμοὺς, conſuetudine coniicit, ita etiam hoc loco illos vertiſſe. Sed hæc res non eſt magni momenti, cùm ſemper ſenſus conſtet, ſiue hoc, ſiue illo modo legas.

59 *Audiuit Deus*, quæ illi idola colendo dicerent, ac de ipſo narrarent. *Audiuit* humano more dictum. *Excanduit*. In Fõte

idem verbum, quod vers. 21. & tamẽ à Græco & Lat. aliter hîc redditum, quàm illic, vt tu videre potes. *Auersatus est valde Israël*, permittendo vt ad aliam gentem transferretur ac migraret Arca: id enim significant sequentes versiculi duo. *Auersatus est.* In Vulg. *ad nihilum redegit*, id est, spreuit, auersatus est, phrasi Vulgatæ familiari, de qua aliàs dictum, præsertim ad vers. 4. psal. 15.

60 *Et repulit* (prop. *dereliquit*) *tabernaculum Silo*, id est, Passus est, ac voluit Arcam suæ diuinitatis peculiare in terris domicilium à Silonitis ad Philistæos transferri: sicque tabernaculum & domicilium, quod in Silo fixerat, incolarum sceleribus coactus deseruit. Vide historiam 1. Sam. 4. & 5. Eódem pertinet quod sequitur, *tabernaculum, (vbi) habitauit*, vel potiùs, mea quidem opinione, (*quod*) *habitare fecit*, (est enim שִׁכֵּן *schiccen*, verbum transitiuum) *in hominibus*, hoc est, domicilium illud quod apud homines collocauit, deseruit scilicet. Deus in Arca, ideóq; inter homines habitare credebatur, & habitabat, Deo ipso teste Exo. 25. 8. *Faciéntque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum. In hominibus*, seu *inter homines*, non inter Israëlitas dicit, ad Dei φιλανθρωπίας magis commendandam, qui se eousque demittat, vt apud miseros homines habitare non dedignetur. *Tabernaculum* seu *tentorium* dicit, quòd sub cortinis soleret esset Arca, & esset in Silo, teste Kimhi. Mihi videtur posse posterius membrũ verti nihil supplendo, *tabernaculum (tentorium) habitare fecit* &c. vt hic sensus sit, Deseruit Deus tabernaculum & domicilium, quod habebat atque elegerat in Silo, transtulítque suum tentorium, Arcam videlicet, ad exteros homines. Nimirum per *homines* non Israëlitæ, gens Deo sacra, & peculiaris, sed quilibet homines erunt intelligendi: quasi dicatur, Qui Silo vrbem selegerat, vt in eâ Arca collocaretur, eam Arcã passus est, & voluit ad quosuis homines, etiam Deo minimè consecratos, Philistæos nimirum, transferri. Chald. interpretatus est, *tabernaculum, vbi habitauit diuinitas eius in medio filiorum hominis.*

61 *Et tradidit in captiuitatem* &c. Hebręi per *virtutem* seu *fortitudinem*, necnon *pulchritudinem* seu *gloriam Dei*, intelligi volunt Arcam, in qua præcipuè Dei virtus & gloria conspiciebatur. Eam ob rem ps. 132. 8. dicitur, *tu, & arca fortitudinis tuæ.* Philistæi ipsi singularem Dei potentiam ac virtutem in Arca tunc agnouerunt. Namque quum audiuissent Arcam Domini adductam in castra Israëlitarum, non parum animo turbati sunt, dixerúntque, *Væ nobis: quis nos seruabit de manu deorum sublimium* (prop. *fortium*) *istorum? hi sunt dij qui percusserunt Ægyptum omni plaga (&) in deserto*, id est, in Mari rubro, quod erat pars deserti. *Suam.* Græc. & Lat. *eorum*, eodẽ sẽsu. Nam fortitudo & gloria Dei fuit eadẽ Israëlitarum. Hinc Phineis vxor postquam captæ à Philistęis Arcæ famâ acceptâ, quòd esset ad pariendum vicina, prę dolore filium edidisset, ei *I-chabod* (id est, *Non gloria*) nomen fecit, *dicens, Translata est gloria ab Israël, eò quòd capta esset Arca Dei.* 1. Sam. 4. 22. Non fuerit fortasse alienum vertere *eius* pro *suam* reciproco, eius scilicet Israëlis, cuius facta est mentio ver. 59. Græcus & Lat. vertendo *eorum*, dubio procul putarunt pronomen esse referendum ad *Israël.*

62 *Et conclusit in gladium* &c. Tunc quippe *facta est plaga magna nimis, & ceciderunt de Israël triginta millia peditum.* 1. Sam. 4. 10.

63 *Iuuenes*, qui maximè bello apti sunt. *Eorum.* In Fonte *eius*, scilicet populi. *Comedit ignis*, id est, ira Dei, iuxta Rasi, vel potiùs vis & impetus prælij, aut sęuientis gladij, iuxta Ezrá & Kimhi, qui ex. gr. citant illud Ierem. 48. 45. *quia ignis egressus fuerat de Hesebon, & flamma de medio Sichon*, &c.

Et virgines eorũ (in Fon. *eius*, vt mox) *non sunt laudatæ*, hoc est, non nupserunt: tanta enim facta est iuuenum strages, vt non essent quibus nuberent virgines. Hyperbole. Dicit autem *non sunt laudatæ*, hoc est, non sunt epithalamiis celebratę, vt nouæ nuptę solent. Atque hinc obseruat Kimhi domum nuptialem Hebręis appellari בֵּית הִלּוּלָא *beth hillula*, id est, *domum laudis*: quòd in ea domo sponsus & sponsa carminibus soleant celebrari. Sic hoc explicant Kimhi, Rasi, Ezra, aliíque Hebræorum. Huc pertinet illud Ier. 7. 34. *Et quiescere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Ierusalem vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Simile legere est apud eundem, cap. 16. 9. cap. 25. 10. necnon Apoc. 18. 23. Pro *sunt laudatæ*, Lat. habet *sunt lamentatæ*: Græcus verò ἐπενθήθησαν, vel potiùs ἐθρήνησαν, quo modo Agellius, Epis. Acern. affirmat esse in Vaticano codice. Hi videntur legisse vel חוּלְלוּ *cholalu*, *doluerunt*, *Pual* ex חוּל *chul*, *dolere*, vel potiùs הֵילִלוּ *helilu*, *eiulauerunt*, Hiphil à rad. יָלַל, pro הוּלְלוּ *hullalu*, *laudatæ sunt*, Pual ex הָלַל *halal.* Profectò mox sequentis versus posterius membrũ, *& viduæ eorũ non plorauerunt*, (nam *plorabunt* seu *plorauerunt* legendum puto, non *plorabantur*, vt vulgò: etsi in Gręco est κλαυθήσονται) sequentis, inquam, versus posterius membrum

græcam & latinam verſionem videtur iuuare, quaſi ſenſus ſit, virgines iuuenum eadem minimè fleuerunt, ſicut nec viduæ maritorum, quippe in quarum animis, vt fit, diuturni terrores, & proprium cuiuſque malum omnem pene miſerationem ac ſenſum alienæ calamitatis extinxiſſet. Aquila pro hodierna Hebræorũ lectione facit, qui vertit οὐχ ὑμνήθησαν. Sym. quoq; & Theod. qui οὐκ ἐπῃνέθησαν. Chald. qui *non ſunt laudatæ*.

64 *Sacerdotes eorum* (in Fonte *eius* populi) Ophni & Phinees ac reliqui Sacerdotes, qui erant vnà cum Arca, *in gladio*, hoc eſt, gladio interfecti, *ceciderunt*, in illa ſcilicet cum Philiſtæis pugna, de qua 1.Sam.4.11. *Et viduæ eorum* ſeu *eius* populi *non plorauerunt* extinctos maritos, vel ipſæ inſperatæ cladis dolore ſubitò extinctæ, quod accidit vxori Phineæ, 1.Sam. 4. ſub finem, atque item fortaſſe aliis, vel ſuis ipſæ ærumnis ac propriis malis oppreſſæ, atque occupatæ. Magis eſt in promptu, meo quidem iudicio, vt dicas in hoc poſteriore membro reſpexiſſe Vatem ad vxorem Phineæ, quæ morte præuenta mariti funus fletu nõ fuerit proſecuta, idque ad alias vxores, fortaſſe amplificandi ergò, vt poëtæ ſolent, extendiſſe: quanquam fieri poteſt vt pleriſque vxoribus idem, quod vxori Phineæ, acciderit: id quod ſenſiſſe putarim noſtrum Vatem, quum vnius vxoris primariæ caſum ad alias etiam extendit. Diuinamus.

65 *Et excitatus eſt* &c. Ego iudico poſt Chald. Raſi, Ezram, & alios, hunc & ſequentem verſum de pœna, qua Deus Paleſtinos, qui Arcam abſtulerant, affecit, eſſe exponendos. Senſus igitur horum verſuum eſt, At mox Deus, qui antea dormiſſe, & graui ſopore, inſtar ebrij, teneri viſus fuerat, quaſi vir quidã ſtrenuus expergefactus eſt, mero veluti accenſis animis, ipſiſque Palæſtinis hoſtibus ſuis acerbum, & cunctis ſeculis pudendum vulnus in natibus inflixit. Vide hanc hiſtoriam 1. Sam. 5. Videamus porrò ſi quid eſt difficultatis in ſingulis vocibus. *Vociferans* ſeu *geſtiens à vino*, id eſt, obdormito & exhalato vino: tum quippe ſentiens additas ſibi vires, adeòque latè omnia terroribus & clamoribus complens. Chald. interpretatur, *qui expergiſcitur à vino*. Ezra obſeruat eſſe qui dicat מִתְרוֹנֵן *mithronen*, (quod reddidimus nos *vociferans*) ſignificare ebrium ſopore obrutum. Fauent iſti Græco & Lat. qui verterunt *crapulatus*. Audax & dura profectò comparatio ipſius Dei ceſſantis opem ferre cum homine ebrio, & crapula ſopito. Idcirco nonnulli, quorum eſt Ezra, exiſtimant loqui hic Scri-

A pturam ex ſenſu Philiſtæorum, qui ſic putarent, Deus ille Iſraelitarum olim magnificentiſſimus, non alia de cauſſa nunc ceſſat à magnificis ſuis operibus, niſi quòd nunc dormit, & nimia crapula ſopitus atque obrutus eſt. Ego verò ἀνθρωποπαθῶς hoc dici puto, neque etiam negat Ezra.

66 *Et percuſſit inimicos ſuos*, id eſt, Philiſtæos, qui Arcam abduxerant, *in poſteriora*, ad verb. *retrorſum*, id eſt, in podice & ano: percuſſit nimirum mariſcis, iuxta illud 1.Sam.5.6. *& percuſſit eos mariſcis*, ſeu vt habet Lat. *in ſecretiori parte natium*. *Re-*
B *trorſum*. Chald. interpretatus eſt, *mariſcis* ſeu *hæmorrhoidibus in poſteriora ipſorum*. Iſtam verò plagam Philiſtæorum genti valdè fuiſſe probroſam ſignificat, quum addit, *opprobrium ſempiternum dedit illis*. Kimhi hunc & præcedentem verſum de Iſraëlitis, quorum in ſuperioribus verſibus mentio fit, etiam exponit, húncque ſenſum eſſe ait, Vidit Deus ſcelera Iſraëlitarum, ſiluitque quaſi dormiens & vino obrutus: at tandem ad iram prouocatus, ac veluti è ſomno excitatus eſt, fuitque *tanquam potens vociferans à vino*: *Et percuſſit inimicos ſuos*, id eſt, Iſraëlitarum præuaricatores, *retrorſum*,
C id eſt, donec hoſtibus terga verterent. Sic ferè ille, qui annotat etiam hic fortè dici *retrorſum*, quòd fugientium Iſraëlitarum terga Philiſtæi ciciderint. Idem hoc, *opprobrium ſempiternum* &c. de Arca à Philiſtæis capta & abducta, quæ res æterno probro Iſraëlitis fuit, intelligit. Verùm non placet Kimhi ſententia. Nam magis eſt in promptu hos verſus de Philiſtæorum vltione accipere.

67 *Et repulit* (*reprobauit*) *tabernaculum*
D *Ioſeph*, &c. Significare vult, etſi à Philiſtæis tandem malis & calamitatibus feſſis Arca Iſraëlitis ſit reddita, vt legere eſt 1. Sam. 6. nihilominus tamen noluiſſe Deum in vrbem Silo, quæ in parte tribus Ephraim, adeòque ipſius Ioſeph eſſet, reduci, ſed ex tabernaculo in tabernaculum, loco in locum migrare, & transferri, dum denique Dauid eam Hieroſolyma, atque in montem Sion, qui erat tribus Iudæ, aſportauit: quò pertinet ſequens verſiculus. Per *tabernaculum Ioſeph*, & *tribum E-*
E *phraim*, ſynecdochicῶs ſignificatur vrbs Silo, quæ erat tribus Ephraim alterius è filius Ioſeph.

68 *Sed elegit Tribum Iuda*, &c. Senſus, Sed voluit Arcam deinceps habere ſuam ſedem in Tribu Iuda, & quidem in monte & arce Sion, quippe quem montem peculiari quodam amore complecteretur. Dubitari iure merito poteſt, num mons Sion ad Iudæ Tribum pertineret: atque adeo cur illa

Tribus selecta hic dicatur, vt esset Arcæ A domicilium. Kimhi hoc loco aperte ait Hierosolymam fuisse Tribus Iudæ. Vnde ego sic concludo, ergo & mons Sion vrbis Hierosolymæ pars. Hierosolymam fuisse in Tribu Iudæ probat illud Iosue 15. 63. *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iudæ delere*, heb. *expellere: habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda* (hoc est, iuxta filios Iuda) *in Ierusalem vsque in præsentem diem.* Sed reclamare videtur postremus versus cap. 18. eiusdem Iosuæ, qui Iebus, alio & nouo nomine Ierusalem ap- B pellatam, sicuti ibi dicitur, & Ios. 15. 8. in sorte Beniamitarum fuisse testatur. Apparet certè Hierosolymam partim fuisse in sorte Tribus Beniamin, partim Iudæ. At profectò, quod sufficit ad veritatem huius versus, dubium esse non potest, quin saltem mons & arx Sion, in qua à Dauide collocata est Arca, fuerit Tribus Iudæ, postquam præsertim Dauid, qui è Tribu Iudę erat, eam vi cepisset, & inibi regiam fixisset, deque suo nomine *Ciuitatem Dauid* vocasset: quam historiam videre est 2. Sam. 5. circa me- C dium.

69 *Et ædificauit sicut excelsa*, palatia supp. *Sanctificium* seu *Sanctuarium suum*, &c. Nunc ait extructurum Deum templum, quod perpetuò stet in vno loco, neque transferendum sit sicuti Tabernaculum, quod in Gilgal, Silo, Nobe, ac deinde Gabaon fuit. Quum ait *sicut terram quam fundauit in secula*, significare vult quemadmodum *terra in æternum stat*, sicuti dicitur Ecclesiastis 1. 4. ita templum illud permansurum æternùm, & quidem D vno in loco. Sic Salomon 1. Reg. 8. 13. *Ædificando ædificaui domum in habitaculum tuum* seu *habitationis tibi*, *locum vt habites secula.* Infensati Iudæi fascinati non obedire veritati hæc & eiusmodi de templo Salomonis accipiunt, quod tamen multos ante annos excisum haud ignorant. Nos de Ecclesia, quam vetus illud Sanctuarium adumbrabat, accipimus: nec tamen negamus templo Salomonis conuenire posse, vt quod aliquot secula stetit ac permansit: etsi terræ comparatio non illi plenè & per- E fectè competat: neque enim semper plenæ sunt similitudines. Ex Rasi sic vertendum & exponendum, *Et ædificauit sicut excelsos Sanctuarium suum, sicut terram* &c. hoc est, sicut cœlos & terram, de quibus quemadmodum scribitur, *Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cælos*, Es. 48. 13. sic de Sanctuario dictum, *Sanctuarium Domine firmabunt manus tuæ*, Exo. 15. 17. *Sicut excelsa.* Græc. ὡς μονοκέρωτος; Th. ὡς μονοκερώτων; Lat. *sicut vnicornium.* Hi quippe legerunt רֵמִים *remim*, vel רְאֵמִים *reemim*, *monocerotes*, vbi Hebręi רָמִים *ramim*, vel etiam cum א ante inuenta puncta, רָאמִים *ramim*, *excelsa.* Neque verò illorũ versio sensu caret, q. d. Sanctuarium suum extruxit atque in sublime sustulit, vt quemadmodum inter cęterorum animantium cornua monocerotis cornu eminet, sic Sanctuarij fastigium omnium ædificiorum fastigia longè superet. Chald. hunc sensum expressit, *Et ædificauit sicut cornu vnicornis Sanctuarium suum. Sanctificium.* Malit aliquis *Sanctuarium*, vocem magis latinam. Verùm *Sanctificium* retinere voluimus ex Vulg. quòd nihil sententię detrahat.

70 *Et elegit Dauid* &c. Sensus, Atque etiam selegit Dauidem, & ipsum è tribu Iudæ, qui regnum & imperium in Hebræorum Gentem obtineret, inque posteros transmitteret. *Elegit* quum dicit, vult docere regum & principum electionem esse penes Deum: ideòque teneri omnes illam probare, nisi velint Dei ordinationi resistere, & sibi damnationem acquirere, vt est Rom. 13. *Et elegit.* Ex Ezra vertendum per præteritum plusquam perfectum, *Et elegerat*, iam antè scilicet. Sequitur Ezra seriem historiæ, quod tamen non est necesse. *De gregibus* (heb. *caulis*) *ouium*, vt doceretur ipse non minorem, imò maiorem gubernandis hominibus curam impendendam esse, quàm pastor pascendo gregi impendisset: quippe qui ex caulâ ouium ad caulam hominum vocaretur. Sed vide porrò. Mosi pascenti oues apparuit Angelus Domini, dataque est potestas ducendi atque educendi Israëlitas, Exo. 3. Sauli quærenti asinas patris, quæ perierant, obtulit se Samuel, eique detulit imperium Israëliticæ gentis, 1. Sam. 9. & 10. Dauidē paternas oues in pascua sectantem idem Samuel vnxit in Regem Israëlitarum. Quæ res Reges admonet, vt liberos suos ad labores & curas educent, si regno administrando pares esse velint. Sæpe aratra & ligones meliores reges dedere, quàm purpura & sceptra: illa enim virtutem & robur animi; hæc plerumque delicias & mollitiem docent.

71 *De post fœtas accepit* (heb. *adduxit*) *eum*, &c. Ex pastore ouium fecit pastorem hominum. Sic Christus Apostolos ex piscatoribus piscium fecit piscatores hominum. Non dubium quin acceptus sit hic locus ex 2. Sam. 7. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum, Ego tuli te de pascuis sequentem greges*, ad verb. *de post oues, vt esses dux super populum meum Israël. De post.* Pastor sequi debet pedetentim vestigia gregis, nec gressus vrgere ouium, fœtarum præsertim, ne moriantur. Id fecit Iacob Gen. 33. 13. & 14. qui

14 qui exemplo præire voluit Regibus, vt subditorum, eorum præsertim, qui familiæ onere premerentur, rationem haberent, nec nimis vrgerent.

72 *Et pauit* &c. quasi dicat, Pauit igitur eos Dauid, ac rexit pro suâ animi integritate, & prudentiâ consilij in rebus gerundis. Exemplum Dauidis Reges inspiciant, cogitantes se pastores populorum, ciues patrésque esse, ciuium non seruitutem sibi traditam, sed tutelam, nec Rempublicam suã esse, sed se Reipublicæ. Cùm autem pastores sint, discant ex Esaia, cap. 40. 11. pastoris hoc esse officium, gregem suum pascere, brachio suo congregare agnos, & in sinu suo portare, ac fœtas pedetentim deducere. Pro *pauit eos*, Chald. interpretatus est, *regnauit super eos*. Idem enim regnare & pascere. *In innocentia*. Heb. *secundum innocentiam* seu *integritatem*. Quidam tamen legunt ב *in*, pro כ *secundùm*: ac sic legerunt Chald. Græc. Lat. *In intellectibus (prudentiis) manuum* &c. Intelligentiam & prudentiam manibus tribuit, quæ animi

A est, quòd manus ea, quæ mens pro suâ prudentiâ, & consilio facienda esse decernit, exequantur; sicque quodammodo prudenter agere videantur, dum mentis atque animi iudicium sequuntur. Sic Kimhi annotat dici Gen. 48 14. *intelligere fecit manus suas*, hoc est, non temere manus proiecit Iacob, cuius illic fit mentio, sed sciens ac volens sic direxit, ac de industria composuit, vt traductam dexteram capiti Ephraimi, quem vt minorem natu Iosephus pater ad eius sinistram constituisset, Manassis autem ad eiusdem dexteram appliciti sinistram imposuerit.
B Vide locum Gen. Ezra, cui durior videtur illa loquutio, *in prudentiis manuum*, sentit ב *in*, bis esse repetendum, hunc in modum, *in prudentiis, in manibus suis* (Latinè absque præpositione vertas *manibus suis*) hoc est, prudenter manibus, *deduxit eos* scilicet. Non de nihilo porrò manuum meminit, quòd pastor, cuius similitudinem vsurpat, baculo & pedo oues regat ac ducat.

PSALMVS

LXXVIII. LXXIX.

VERSIO

VETVS.

PSALMVS *Asaph. Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.*

2 *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.*

3 *Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.*

4 *Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.*

5 *Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?*

6 *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt: & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.*

NOVA.

PSALMVS Asaph. Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in aceruos lapidum.

2 Dederunt [a] cadauera seruorum tuorum [b] escas volatilibus cæli, [c] carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

3 Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.

5 Vsquequo Domine irascêris in [d] finem? [e] accendetur velut ignis [f] zelus tuus?

6 Effunde iram tuam in Gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuũ non [g] inuocauerunt.

a ad verb. *cadauer*
b ad verb. *escam volatili*
c *carnem*
d *æternũ?*
e *ardebit*
f *zelotypia tua?*
g *inuocant*

h ad verb. comedit sing. pro plur. i tabernaculum l præueniant m attenuati sumus valde.

7 Quia [h] comederũt Iacob, & [i] lo-
cum eius desolauerunt.
8 Ne memineris nobis iniquitatum
antiquarum; citò [l] anticipent nos
misericordiæ tuæ: quia [m] pauperes fa-
cti sumus nimis.
9 Adiuua nos Deus salutis nostræ
propter gloriam nominis tui: & li-
bera nos, & propitius esto peccatis
nostris propter nomen tuum.
10 Vt quid dicent Gentes, Vbi (est)
Deus eorum? innotescat in nationi-
bus coram oculis nostris vltio sangui-
nis seruorum tuorum qui effusus est.
11 Introeat in conspectũ tuũ gemitus
[n] compeditorum: secundùm magni-
tudinem brachij tui fac superstites es-
se filios mortis.
12 Et redde vicinis nostris septu-
plum in sinum eorum, improperium
ipsorum quod exprobrauerunt tibi
Domine.
13 Nos autem populus tuus, & oues
pascuæ tuæ confitebimur tibi in se-
culum: in generationem & genera-
nem [o] annuntiabimus laudem tuam.

n heb. vinctr. o narrabimus

7 Quia comederunt Iacob: & locum
eius desolauerunt.
8 Ne memineris iniquitatum nostra-
rum antiquarum, citò anticipent nos mi-
sericordiæ tuæ: quia pauperes facti su-
mus nimis.
9 Adiuua nos Deus salutaris noster, &
propter gloriam nominis tui Domine libe-
ra nos: & propitius esto peccatis nostris
propter nomen tuum.
10 Ne fortè dicant in gentibus, vbi
est Deus eorum? & innotescat in natio-
nibus coram oculis nostris.
11 Vltio sanguinis seruorum tuorum
qui effusus est: introeat in conspectu tuo
gemitus compeditorum.
12 Secundum magnitudinem brachij
tui: posside filios mortificatorum.
13 Et redde vicinis nostris septuplum in
sinu eorum: improperium ipsorum, quod
exprobrauerunt tibi Domine.
14 Nos autem populus tuus & oues
pascuæ tuæ: confitebimur tibi in secu-
lum.
15 In generationem & generationem
annuntiabimus laudem tuam.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum.

DE vastatione vrbis & templi, nec-non strage à Nabuchodonosore facta carmen hoc exponendum videtur: idémque est huius & sequentis Psalmi argumentum ac 74. Illinc ergo assumantur omnia, quæ ad autorem & argumentum vniuersim pertinent: nisi quòd addendum duntaxat est, id quod peculiariter habet Chald. in 1. versu, Laus per manus Asaph super desolatione domus Sanctuarij: Dixit in spiritu prophetiæ, Deus &c. *Cæterùm in hoc carmine primo loco impietatem, & immanem hostium crudelitatem exaggerat: deinde populi Israëlitici calamitates & miserias commemorat, varijs figuris, & verborum luminibus sermonem exornans. Secundo loco Deum orat vt ab suo populo in extraneas Gentes iram deflectat, atque effundat, quæ præterquàm quòd ipsum ignorant, eiúsque numen non colunt, etiam ipsius cultores Israëlitas crudeliter laniarunt, eorúmque regionem miserrimè vastarunt. Hinc sic fermè agit apud Deum: Noli exigere à nobis pœnas scelerum, quæ maiores nostri admiserunt: quin citò solitas tuas miserationes ad nos mox alioquin perituros accelera. Succurre Deus liberator noster, condonans crimina, quæ tot mala in nostra capita traxerunt, vel solius tui nominis causâ. Quorsum enim diutius patiaris profanas istas Gentes per ludibrium sic rogitare, Vbi ille est Deus Israëlitarum, de cuius præsidio tantopere gloriabantur? Fac, nobis viuentibus & videntibus, intelligant quo pacto cædis & sanguinis tuorum pœnas persequeris. Vide quot & quàm alta miseri illi, qui in vinculis sunt, trahant suspiria: serua morte damnatos & eorum solue vincula. Vicinis nostris, qui te, Domine, probris incessere hactenus non destiterunt, septuplum repende in ipsorum caput. Nos porrò, si votis annueris, nunquam cessabimus tibi gratias agere, tuásque laudes celebrare. Hæc summa huius carminis, quod nonnulli ad Antiochi tempora pertinere existimant, eóque deplorari mala, quæ tunc Gens Hebræa perpessa est. Multa certè huius carminis illi historiæ conueniunt, sicuti obseruabimus in Comment. Verùm ad tempora Nabuchodonosoris referendum esse videntur probare versus 6. &*

7. quos vel hinc Ieremias, qui, vt omnes ſciunt, fuit tempore Nabuchodonoſoris, tranſcripſit, cap. 10. verſu vlt. vel ex Ieremia author huius carminis: ita ſunt duo illi verſus ſimiles verſui illi capitis cit. Ierem.

1 *Deus, venerunt Gentes* &c. Deum hîc appellat iudicem, (in Fonte enim eſt אֱלֹהִים *Elohim*) eíque hoſtium rabiem, quâ accenſi ipſius terram, ac Templum, vrbémque Hieroſolymam violarunt, exponit: quaſi dicat, O Deus, fierìne poteſt, vt profanas iſtas Gentes terram tuam inuadere, ſanctiſſimum tuum Templum profanare, Hieroſolymam ſubuerſam in aceruos lapidum redigere paſſus ſis? *Hæreditatem tuam.* Ezra vniuerſam terram Iſraël intelligit: ego ſolum templi locum, qui Exo. 15. 17. *mons hæreditatis Dei* appellatur. *Polluerũt Templũ* &c. ſpoliãdo, funeſtãdo, omnia profana, ac turpia perpetrãdo, deniquedeijciendo atq; euertendo. *Poſuerunt Ieruſalem in aceruos lapidum.* Hæc bene conueniunt excidio Hieroſolymitano cùm per Nabuchodonoſorem, tum item per Antiochum. Nam in illo Templum ſpoliatum & incenſum, vrbis muros dirutos, & ſolo æquatos, cunctas domos, Regiam præſertim, aliáque ſplendida ædificia igne cremata apertè legimus, 2. Reg. 25. 9. & 10. & 2. Paral. 26. 19. in hoc quoque haud multò minor ruina facta eſt, quum ſcilicet tributorum præfectus ab Antiocho miſſus fraude in vrbem inuolauit, eámque deprædatus incendit, domos ac muros circumquaque exſcidit, fuitque Templum inſtar deſerti: quadere legendum 1. Mach. cap. 1. à ver. 30. *In aceruos lapidum.* Sic D. Hieron. Aqu. εἰς λιθύριον vel λιθόριον. Chald. interpretatus eſt *in deſolationem.* Græc. & Lat. verterunt, ille ὡς ὀπωροφυλάκιον, hic *in pomorum cuſtodiam*, hoc eſt, in humiles & ruſticanas caſas, ac tuguria, in quibus cuſtodiuntur poma & fructus, vel potiùs in quibus pomorum cuſtodes excubias agunt. Huc congruet illud Eſ. 1. 8. *Et derelinquetur filia Siõ vt vmbraculum in vinea, ſicut tugurium in cucumerario.* Ezra cenſet עִיִּים *iijm*, ſignificare loca humilia. Raſi verò, Kimhi, & alij *aceruos* interpretantur. Optimè & ad rem. Atque ea vox aliàs occurrit in ſignificatione *acerui*, ex gr. Mich. 1. 6. vbi dicitur, *Et ponam Samariam* לְעִי *lei*, id eſt, *in aceruum lapidum*: quo modo etiam reddit Latinus: nam Græc. vt hic, ὀπωροφυλάκιον. Eiuſ. 3. 12. *Ieruſalem* עִיִּין *iijn*, id eſt, *aceruí lapidum erit*: vbi Lat. *quaſi aceruus lapidum*: Græc. verò ὡς ὀπωροφυλάκιον. Eſ. 17. 1. vox eiuſdem thematis in ſignificatione *aceruí* reperitur, *& erit ſicut* מְעִי *mei*, id eſt, *aceruus lapidum*: quo modo etiam reddidit Lat. nec Græcus diſſentit.

2 *Dederunt cadauera ſeruorum tuorum* &c. In excidio Hieroſolymitano ingens facta eſt omnis generis hominum ſtrages. 2. Paral. 36. 17. Ampliùs porrò ſignificatur in hoc verſu quàm ſtrages, nimirum occiſorum cadauera, quæ fera eſt immanitas, honore funeris ac ſepulturæ caruiſſe, auibúſque & beſtiis in eſcam relicta. At quorum virorum corpora? Seruorum Dei, & ſanctorum. Si ad excidij Hieroſolymitani tempora hunc pſalmum pertinere affirmes, ne dubita quin quærat ſtatim aliquis, Vbínam & quínam illi Dei ſerui, & ſancti, cùm Ieremias tunc clamaret, cap. 5. 1. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite quæſo, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum, an ſit faciens iudicium, quærens fidem* ſeu *veritatem: & propitius ero ei* Ieruſalem. Ioſeph Kimhi, teſte filio, ſic ferè reſpondet, Non defuiſſe omnino tunc Dei ſeruos pióſque cultores, vt Danielem, Ananiam, Miſaëlem, & Azariam, qui in captiuitatem ſunt abducti, itémque alios, quorum nomina ignorantur: ſed in domibus delituiſſe, nec in plateas exiuiſſe: partim autem in exilium abductos, partim interemptos, prout viſum Deo. Obſeruat Kimhi veteres Hebræorum Magiſtros morte (quæ ſcilicet egregio animo Dei ac religionis cauſsâ perferatur) expiari peccata: ideóque occiſos hîc Iſraëlitas (qui ſcilicet mortem conſtanter pro Dei gloria obierint) Dei ſeruos, & ſanctos ſeu pios appellari. Ego ſanè exiſtimo per Dei ſeruos & ſanctos ſeu pios intelligendos Iſraëlitas, quorum pleriq; ſaltem, etſi variis ſceleribus polluti, non deſinerẽt tamen verum Deum ac veram pietatem colere, cùm cæterę Gentes omnes falſa & ficta numina, adeóque falſam religionem colerent: ita vt Dei ſeruos opponat idolorum cultoribus, ſanctos ſeu pios profanis Gentibus verum Dei cultum, adeóque omnem pietatem ignorantibus. Neque enim ſemper per *Dei ſeruum, & ſanctum* ſeu *pium*, intelligendus eſt qui omni criminis labe vacat, ſed tantùm qui verum Deum colit, eſtque inter veri Dei cultores. Sic 1. Corinth. 6. Apoſtolus fideles ſeu Chriſtianos appellat *ſanctos*, eò quòd fidelium Eccleſia ſancta ſit: etſi non ſinguli quique ſancti. Hoc loco igitur ſerui & ſancti Dei nominati ſunt quotquot eſſent de Eccleſia Iſraëlitica, quæ erat ſancta. Sæpenumero Dauid ſe ſanctum & ſeruum Dei

appellat, non quòd glorietur se omnis sceleris expertem, absit; sed religiosè duntaxat, quà potest, Deum colere. Vide quæ notauimus ad vers. 2. psalm. 86. Si ad Antiochi tempora psalmum referas, nemo ignorat tunc vt quisque zelo in religionẽ, & pietate in Deum præçellebat, ac Legis studio operã dabat, in eum maximè sæuitũ. Testis est historia Machabæorum, libri 1. cap. 1. 60. & alibi. *Bestijs*, ad verb. *bestiæ*, in heb. לְחַיְתוֹ *lechaitho*, vbi ו non est pronomen affixum, sed paragogica solùm litera, teste Kimhi, qui profert simile ex Gen. 1. 24. Num. 24. 3.

3 *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquã*, hoc est, Tã facilè eorum sanguinẽ effuderunt, quàm aquam, fore neminem existimantes qui istius effusi sanguinis pœnas ab ijs exigeret: sanguini eorum nihilo magis pepercerunt quàm aquæ. Est 1. Mach. 7. 17. quod hinc videtur desumptum, adeóque arguit antè hunc psalmum scriptum, quàm Machabæorum librum.

4 *Facti sumus opprobrium* &c. nos superstites ad tam miseram seruitutem reseruati. Per *vicinos*, vicinos omnes intellige, Idumæos potissimùm, qui cùm essent non modò vicini, sed etiam Iudæorum consanguinei, erant enim posteri Esau, non tantùm Iudæis illuserunt in tot tantísque calamitatibus, sed etiam Babyloniorum sæuitiam aduersùm illos accenderunt, dicentes istud ps. 137. 7. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*.

5 *Vsquequo Domine irascèris* nobis &c. *Zelus tuus*, id est ex Rasi, ira tua, qua vltionem zelo quodam persequeris. Vel ex Ezra, *accendetur (ardebit) velut ignis zelus tuus*, seu *zelotypia tua*, qua flagras, propterea quòd Israëlitæ Deos alienos coluerint? Et cur non pari zelotypia ardes in extraneos? Ego explico de zelotypia solùm qua indignetur Deus se non coli, vt par est. Vt sic sentiam, facit sequens versus. Nam si fuissent etiam Israëlitæ, omnes præsertim, Idolorũ cultores, non admodũ cum hoc versu cõgrueret sequens versus, in quo Gentibus, quę Idola colunt, imprecatur.

6 *Effunde iram tuam*, & ardẽtem illum zelum seu zelotypiam *in Gentes*, &c. Nam etsi nos peccauimus, te, vt par fuit, minimè colẽdo, nihilominus cognouimus te, tuúmque nomen ac numen inuocauimus. Per *Gentes quæ Deum non nouerunt*, &c. intellige Babylonios, alió sque populos, qui vnà cum illis in perniciem Israëlitarum fortè conspirassent. Si verò ad Antiochum refers psalmum, intellige Græcos, quique eorum fortè partibus fauebant. *Nomen tuum non inuocauerunt*, pro inuocant, præt. pro præs. *Inuocare nomen Domini* consuetudine Scripturæ est Deum colere seu verum Dei cultum profiteri. Nimirum inuocatione nominis Dei cæteræ diuini cultus, etiam externi, partes continentur, quòd hęc sit præcipua ac veluti fons aliarum, inuocatio nimirum eius, à quo omnia pendere agnoscas. Hinc illud Gen. 4. 26. *tunc cœptum est inuocari nomẽ Domini*, hoc est, cœpit restitui verus Dei cultus. Sic cap. 12. 8. *ædificauitque* Abraham *ibi altare Domino, inuocauitque nomen Domini*, hoc est, professus est illic palàm verum Dei cultum. Simile est & cap. 13. 4.

7 *Quia comederunt Iacob*, &c. Non satis est, inquit, te in eiusmodi Gentes & regna irasci, ac zelotypia commoueri, nisi totam iram effundas, quippe quæ Gẽtes eousq; te ignorantes progressæ sunt, vt qui te cognoscunt Israëlitas vorarint, eorúmque sedes vastarint. Etsi enim, te volente & mandante, id factum, nihilominus non ita crudeliter agere debuerunt, sed misereri potiùs, atque ideo digni sunt in quos iram effundas. Húcque pertinet illud Es. 47. 6. *Iratus sum super (contra) populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias, super senem aggrauasti iugum tuum valde*. Refer huc quoque illud Zach. 1. 15. *Et ira magna ego irascor super (contra) Gentes opulentas*, heb. *quietas : quia ego iratus eram parum, ipsi verò adiuuerunt in malum*. Vtrobique de Chaldæis & Babyloniis sermo est. *Locum* (prop. *tabernaculum) eius* Iacob. Ego Israëlitarum regionem intelligo. Kimhi explicat locum in quo Deum colebant, videlicet Templum. Longinquiùs : etsi illi fauet Chald. qui interpretatus est, *& domum Sanctuarij eius* Iacob *desolarunt*. A me facit Græcus in postremo versu ca. 10. Ierem. de quo dictum in Arg. qui ibi reddidit τὴν νομὴν αὐτοῦ. Chald. quoque, qui ibi interpretatus est, *habitaculum eorum*.

8 *Ne memineris nobis iniquitatum antiquarum* seu *priorum*, hoc est, quas antea & iuuenes admisimus: vel iuxta Ezram, *priorum*, id est, patrum nostrorum. Vult enim עוֹ ראשׁנים *rischonim*, id est, *priorum*, construi cum præcedente nomine *iniquitatum*, tanquam substantiuum cum substantiuo, non tanquam adiectiuum cum substantiuo. Magis probat Kimhi sententiam Ezræ, & quidem citat vers. 7. 5 Thren. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus*. Nam etsi ipsi quoque peccassent, inquit Kimhi, nihilominus Deus etiam pro sua iustitia maiorum peccata in illis puniit, iuxta illud Ex. 20. 5. *visitans iniquitatem patrum in filios*, si nimirum & hi patrum exemplum fuerint sequuti. Idcirco

dicit, inquit idem Kimhi, *Ne memineris nobis iniquitatum priorum*, nobis enim nostræ sufficiunt. Hoc sensu Baruch 3.5. dicitur, *Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum*. Græc. & Lat. qui verterunt *antiquarum*, videntur accepisse posteriore sensu. Etsi *antiquarum* potest sic accipi, vt idem sit ac superiorum seu præteritarum, scilicet iniquitatum, quas ipsi admisimus, non maiores. Sanè ex Hebræo verti potest haud incommodè, (& vertimus nos, scilicet ne discederemus à Vulgata) *antiquarum* seu *priorum* adiectiuè. Quid enim repugnat? Facit Chald. qui interpretatus est, *iniquitatum quæ à principio*. *Nobis*, hoc est, in nostram perniciem: quasi dicat, Ne repetas à nobis pœnas scelerum, quæ maiores nostri in se admiserunt. *Nobis*: Græc. & Lat. *nostrarum*. Verùm Agell. Episc. Acer. quod in Græco est ἡμῶν, putat à Lxx. versum ἡμῖν, deinde à parum intelligente quid sit μιμνῄσκεσθαί τινι, recordari alicui, seu *meminisse alicui*, mutatum in ἡμῶν. Cuius, inquit, rei indicium facit, quòd non satis ex vsu Scripturæ est pronomina præponere, ἡμῶν ἀνομιῶν ἀρχαίων: dixissent enim potius ἀνομιῶν ἡμῶν. Sed, inquit, in Hebræo perspicuus est dandi casus. *Citò anticipent*, seu *præueniant nos misericordiæ tuæ*, antequam pereamus & oneri succumbamus. *Citò*. Potest verti *festina*: vt מהר *maher*, sit modi imp. Nil refert ad sensum. *Pauperes facti sumus*, ad verb. *attenuati sumus nimis*, seu *valde*, vt actum sit de nobis prorsus, nisi citò acceleres solitas tuas miserationes. *Pauperes*, vern. *pauures, miserables*. Chald. interpretatus est *pauperes facti sumus*.

9 *Deus salutis nostræ*, à quo solo scilicet omnis nostra salus pendet: tu quippe promisisti. *Propter gloriam nominis tui*, quod nunc à Gentibus profanatur, dum per ludibrium rogitant, *Vbi est Deus eorum?* sicuti mox dicetur. *Propter*. Ad verb. *super verbum* seu *rem*, hebraismus idem valens, ac *propter, ob*, cui occurrit par Gen. 12. 17. eiusd. 20. 11. *Propitius esto peccatis nostris*, propter quæ in has calamitates incidimus.

10 *Vt quid semper dicent Gentes*, per ludibrium scilicet, *Vbi est Deus eorum*, cui adeo charos se esse iactitabant? de cuius præsidio tantopere gloriabantur? Ad rem est illud Cic. in oratione pro L. Flacco, *quàm chara dijs immortalibus esset*, (Gens Iudæorum scilicet) *docuit, quòd est victa, quòd elocata, quod seruata. Innotescat in nationibus*, id est, palàm fiat illis Gentibus, quibus *facti sumus opprobrium*, vt est versu 4. *Coram oculis nostris*, id est, nobis adhuc viuentibus, & videntibus. *Vltio sanguinis* &c. id est, vindicta de sanguine tuorum effuso. *Sanguinis seruorum* &c. de quo versu 2. & 3.

11 *Introeat in conspectu tuo* &c. id est, Vide quot gemitus, quot suspiria miseri captiui emittant. *Compeditorum*, ad verb. *vincti* collectiuè. Captiuos in Babylonia Iudæos sic vocat, qui certis terminis inclusi, vnde (vt fit) capitale fuisset pedem mouere, rectè dicuntur *compediti* seu *vincti*, quòd essent instar vinctorum in carcere, nec possent egredi. Existimarem per *compeditos* & *filios mortis* in hoc versu significari eos, quos in carcerem coniecerant Babylonij, vtique morti addictos. *Secundum magnitudinem brachij tui*. Opus est enim tua potentia: neque ad nostram salutem humana satis est. *Fac superstites esse* in vita *filios mortis*, hoc est, serua mox morituros, vel potiùs, vt iam dictum, morti destinatos. R. Moses, & alij exponunt הותר *hother*, *solue*, quasi sit istud verbi deriuandum à nomine יתר *iether*, quod est *funis*, significétque *remoue* seu *solue vincula ac funes*. Rasi quoque exponit *solue*, ac videtur sentire illud verbi hic vsurpari pro affini התר *hatter*, id est *solue*, à themate נתר. Certè *soluendi* significatio optimè quadrat ad præcedens membrum, in quo *compeditorum*, seu *vinctorum* mentio fit. Et Chald. interpretatus est *solue*. Græc. vertit περιποίησαι, quod Lat. reddidit *posside*. Verùm ego censeo reddendum in hoc loco *tutare*, *conserua*: quo modo id verbi hoc loco Græcus quidam exposuit, vt obseruat Agell. Episc. Acer. quo modo aliàs quoque hoc verbo vsi sunt Septuaginta, vt Gen. 12. 12. Exo. 1. 16. Locos consule. Frustra ergò medicinam huic loco facere voluerunt, qui περιποίησαι reponebant.

12 *Et redde vicinis nostris*. Postquam hostibus Babyloniis imprecatus est, nunc vicinis imprecatur. Vicinos intelligit de quibus dixit vers. 4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris*, &c. *Septuplum*, hoc est, prolixè, cumulatè: est enim septenarius numerus apud Hebræos perfectus: vel quia *compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit* &c. Gen. 2. 2. vel ob alias etiam caussas. Sic Gen. 4. 15. *omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, id est, grauissimas pœnas dabit. Omitto plura exempla. *In sinum eorum*, pro eo quod Latini dicerent in caput eorum. Similis loquutio occurrit Ps. 35. 13. Es. 65. 6. & 7. Ier. 32. 18. *Improperium ipsorum quod exprobrauerunt tibi* hactenus, dicentes, *Vbi (est) Deus eorum?* Vide porrò, vt non propriæ vindictæ cupiditate malè imprecantur, sed zelo diuinæ gloriæ: neque verò viros pios cre-

de mala optare, ſed iuſta tantùm prænunciare, & futura prophetare, ſicut hic dicit Gloſſa.

13 *Nos autem* &c. *confitebimur tibi* &c. tunc quum nos liberaueris. Ezra. Kimhi A explicat, Siue in captiuitate, ſiue extra, *confitebimur tibi in ſeculum. In ſeculum, in generationem & generationem*, vel nos, vel noſtri poſteri.

PSALMVS

LXXX. LXXIX.

VERSIO

NOVA.

PRÆCENTORI, ſuper Soſannim, Eduth Aſaph pſalmus.

2 Qui paſcis Iſraël, attende: qui ducis velut oues Ioſeph; qui ſedes (inter) Cherubim, [a] manifeſtare.

a prop. ſplendeſce.

3 Coram Ephraim, & Beniamin, & Manaſſe excita potentiam tuam, & veni [b] vt ſaluos facias nos.

b in ſalutē nobis.

4 Deus [c] conuerte nos: & lucere fac faciem tuam, & ſalui erimus.

c vel redire fac nos

5 Domine Deus exercituum, quouſque [d] iraſcêris ſuper orationem populi tui?

d ad verb. fumabis in

6 Cibaſti eos pane lachrymarum, & [e] potum dediſti eis in lachrymis (in)menſura magna.

e potaſti eos

7 Poſuiſti nos [f] in [g] contradictionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannauerunt (nos) ſibi.

f Deeſt præpoſ. hebraicè.
g contentionem

8 Deus exercituum [h] conuerte nos: & lucere fac faciem tuam, & ſalui erimus.

h vel redire fac nos:

9 [i] Vineam de Ægypto tranſtuliſti: eieciſti Gentes, & plantaſti eam.

i Vitem

10 Repurgaſti ante eam: & [l] radicare feciſti radices eius, & impleuit terram.

l vel radicare fecit radices ſuas,

11 Operuit montes vmbra eius, & rami eius cedros Dei.

12 Extendit palmites ſuos vſque ad Mare, & vſque ad Flumen propagines ſuas.

13 Vt quid [m] deſtruxiſti macerias eius, & [n] vindemiarunt eam omnes

m diſrupiſti
n decerpſerunt

VETVS.

IN finem, pro iis qui commutabuntur, teſtimonium Aſaph, Pſalmus.

2 *Qui regis Iſraël, intende: qui deducis, velut ouem, Ioſeph.*

3 *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare: coram Ephraim, Ben-iamin & Manaſſe.*

4 *Excita potentiam tuam & veni: vt ſaluos facias nos.*

5 *Deus conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.*

6 *Domine Deus virtutum: quouſque iraſcêris ſuper orationem ſerui tui?*

7 *Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lachrymis in menſura.*

8 *Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.*

9 *Deus virtutum conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.*

10 *Vineam de Ægypto tranſtuliſti: eieciſti Gentes, & plantaſti eam.*

11 *Dux itineris fuiſti in conſpectu eius: & plantaſti radices eius, & impleuit terram.*

12 *Operuit montes vmbra eius: & arbuſta eius cedros Dei.*

13 *Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius.*

14 *Vt quid deſtruxiſti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui præter-*

grediuntur viam?
15 *Exterminauit eam aper de sylua: & singularis ferus depastus est eam.*
16 *Deus virtutum conuertere: respice de cælo, & vide & visita vineam istam.*
17 *Et perfice eam, quam plantauit dextera tua: & super filium hominis, quem confirmasti tibi.*
18 *Incensa igni & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.*
19 *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis quem confirmasti tibi.*
20 *Et non discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.*
21 *Domine Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.*

eius, qui prætergrediuntur viam?
14 [o] Exterminauit eam aper de sylua, & fera agrestis depasta est eam? [o] prop: *Suffodit*
15 Deus exercituum [p] conuertere nunc: respice de cælo, & vide, & visita vineam istam. [p] *reuertere*
16 Et plantam quam plantauit dextera tua, & super [q] filium, (quem) confirmasti tibi. [q] allis *ramum,*
17 Incensa (est) igni, (&) [r] suffossa: ab increpatione vultus tui perierunt. [r] *succisa*
18 Sit manus tua super virum dexteræ tuæ: super filium hominis, (quem) confirmasti tibi.
19 Et non discedemus à te: viuifica nos, & nomen tuum inuocabimus.
20 Domine Deus exercituum conuerte nos: lucere fac faciem tuam, & salui erimus.

COMMENTARIVS.

EIVSDEM *argumenti est hic psalmus, cuius & superior. Ac primò quidem rogatur Deus, qui Israëlitarum sit pastor, qui ipsis responsa dare, adeóque opem ferre è medio Cherubinorum Arcæ propitiatorio insidentium olim consuerit, tandem vt suam potentiam ostendat, iráque depositâ miseros nunc & exules in patriam reducat. Proponuntur postea mala, & calamitates populi Israëlitici. Miscetur breuis oratio. Deinde Israëliticæ Reip. incrementa iam inde à migratâ Ægypto, adhibitâ vitis cultißimæ & feracißimæ similitudine, elegantißimè describuntur, simúlque clades illatæ ab hostibus, quos Poeta viatoribus, necnon apris & feris comparat, perruptis sepibus paßim in vineam irruentibus, & omnia deuastantibus. Subijcit inde precationem in hæc ferè verba, Deus omnipotens redi nunc nobiscum in gratiam: è cælis aspice, & recognosce vineam istam, ac plantam tuâ ipsius manu consitam, populum scilicet Israeliticum, quem filij loco antea habuisti. Igne partim exusta est, partim ferro excisa vinea & planta illa, omniáque pessum eunt, te nobis irato, & succensente. Adsit manus tua ijs, quos anteà tuâ dextera protegebas, tótque beneficijs tibi firmiter obstringebas. Quod si facis, nusquam à te deinceps deflectemus. Tantùm libertatem, absque qua nulla vita est, nobis restitue, & seriò tuum nomen prædicabimus, tuique numinis cultum intermissum instaurabimus, vt antea. Sunt qui in gratiam decem Tribuum à Salmanassare in seruitutem abductarum hunc psalmum editum esse autument, quòd Ephraim, & Manasse expressa fiat mentio, quæ duæ Tribus ad regnum Israeliticum pertinebant. Verùm si ita esset, cur itidem Beniaminia tribus nominaretur, quæ Iudaici regni semper fuit?*

1 *Sosannim Eduth.* Vide ad Ps. 45. versum 1. Puto hanc esse vocem musicam, ignotam hodie, quia iam diu musica Hebræorum cum eorundem politiâ intercidit. *Testimonium* verti potest, nec-non *ornamentum*. Sed quo modo hæc duo huic loco conuenire possint, non video.

2 *Qui pascis Israel.* Hoc & duobus sequentibus versibus propositio continetur, quæ est petitio auxilij & liberationis. *Qui* A *pascis Israel* &c. quum ait, admonere vult Deum, vt pastoris officio fungatur, nec diutius Israëlitas oues suas inter feras nationes, tãquã inter lupos, aberrare patiatur. *Ioseph.* Ioseph hîc appellat pro vniuersa Hebræorũ Gẽte, cuius Ioseph scilicet conseruator ac veluti parens in Ægypto extiterat, vt de eius nomine haud immeritò possit ipsa appellari. Vide ad vers. 6. sequẽtis Psalmi. *Qui sedes (inter) Cherubim,*

hoc est, super Arcæ Propitiatorio, quod Cherubim alis suis tegebant, vt est Exo. 25. 20. *Sedes* quum ait, non præsens tempus spectat, tunc enim nulla erat Arca, sed ad tempus præteritum respicit, quod tamen vti præsens repræsentat. *Manifestare*, ad verb. *splendesce*. Deus è Propitiatorio responsa dare consueuerat, vt legitur Exo. 25.22. & inde se propitiū exhibebat, ostendebatque, num iratus esset, an placatus: idcirco hic dicitur, *manifestare*, prop. *splendesce*, hoc est, ostende te nobis, & quidem lucido ac sereno vultu: quo sensu Deut. 33. 2. *splenduit* (Vulg. *apparuit*) *de monte Pharan*.

3 *Coram* (*Ante*) *Ephraim* &c. Puto respicere ad ordinem castrorum populi Israelitici, qui describitur Num. 2. Erant autem ita disposita castra, quoduis vt Tabernaculi latus tres Tribus simul cingerent: & quidem hæ tres Tribus, de quibus hîc fit mentio, ad partem occidentalem castra faciebant, ita vt quoties moueretur Tabernaculum, sequerentur à tergo, (nam præcedebant tres aliæ quæ ad Orientem castra metabantur) atque ideo partem illam, quæ dicebatur Propitiatorium, vnde Deus oracula edebat, suámque adeo potentiam ostendebat, semper obuersam haberent, atque ante se, erat enim hæc ad Occidentem: idcirco hoc versu dicit, *Ante Ephraim, & Beniamin, & Manasse* &c. quanquam & synecdochicῶs his omnes alias Tribus complectitur. Nominat autem has potissimùm, quia Ioseph iam nominarat, cuius quidem frater vterinus fuit Beniamin, Ephraim autem & Manasses filij.

4 *Deus converte nos* ad te: quasi diceret, Dispone Deus cor nostrum, vt ad te conuertamur. Petitio remissionis peccatorum in omni petitione bonorum corporalium prior esse debet. Optimè autem Deo ait, *conuerte nos*: nam nisi nos Deus ad se conuertat, nunquam ad ipsum conuertemur. Hinc illud Ierem. 31. 18. *conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus*. Simile est illud quod Ieremias Thren. 5. 21. captiuorum nomine ait, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Potes simpliciter vertere, *Deus redire fac nos* in patriam, vel ex captiuitate. Hoc modo accepit Rasi. Priore verò Ezra, & Kimhi. Chald. exposuit, *Deus redire fac nos è captiuitate nostra*. *Lucere fac faciem tuam* nobis, hoc est, exhilara nos, atque aspice sereno vultu. Deus iratus dicitur *abscondere faciem*, placatus verò & propitius *lucere facere vultum* seu *faciem*.

5 *Deus exercituum*. Hebraicè est אֱלֹהִים A צְבָאוֹת *Elohim tseuaoth*, quod Ezra & Kimhi compendij gratiâ volunt dictum, pro אֱלֹהִים אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *Elohim, Elohe tseuaoth*, hoc est, *Deus, Deus exercituum*. Profert Ezra simile ex 2. Paral. 15. 8. וְהַנְּבוּאָה עֹדֵד הַנָּבִיא *vehaneuua Odhedh hannaui*, pro, וְהַנְּבוּאָה נְבוּאַת עֹדֵד הַנָּבִיא *vehanneuua neuuath Odhedh hannaui*, id est, *& prophetiam, prophetiam* nimirum *Oded prophetæ*. Citat simile Kimhi ex Iof. 3. 14. vbi dicitur הָאָרוֹן הַבְּרִית *haaron habberith*, pro הָאָרוֹן אֲרוֹן הַבְּרִית *haaron aron habberith*, id est, B *Arcam, Arcam* nimirum *fœderis*. Sed ego arbitror dicendum in his & similibus locis esse nomina absoluta pro constructis: hoc enim facilius est, & magis in promptu. Itaque nil est necesse hîc repetere *Deus*, sic, *Deus*, (*Deus*) *exercituum*, quod nonnulli faciunt Hebræos sequuti. Ezra non probat eorum sententiam, qui existimant, צְבָאוֹת *tseuaoth*, vnum esse ex Dei nominibus. Hæc in gratiam hebraicæ linguæ studiosorum. *Irasceris* (heb. *fumabis*) *in orationem*. Sic ps. 74. 1. *iratus est* (*fumat*) *furor* C *tuus* seu *nasus tuus contra oues pascuæ tuæ*.

6 *Cibasti eos pane lachrymarum*, i. Tu populum lachrymis tanquam quotidiano pane cibasti, vel ex R. Mose, lachrymis pro pane. Hoc sensu ps. 42. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte*. Vide ibi. (*In*) *mensura magna*. Hebraicè שָׁלִישׁ *schalisch*, quod nomen est mensuræ magnæ, & idem sonat quod *triens* seu *triental*. Cui tamen mensuræ respondeat, ignoratur. Istâ voce, quia aliquid ternarij significat, nonnulli Hebræorum volunt denotari captiuitatem D Babylonicam, quæ tertiam partem captiuitatis Ægyptiacæ durauit, nimirum septuaginta annos, quæ est tertia pars ducentorum & decem annorum, quod spatium est Ægyptiacæ captiuitatis, & designatur, vt illi volunt, hac voce רְדוּ id est, *descendite*, quæ est Gen. 42. 2. vbi Iacob filiis iubet, vt descendant in Ægyptum, & 210. significat arithmeticè. Alij volunt notari captiuitatem in qua nunc sunt, quæ tertia est. Sed vt illud nimis est argutum, sic hoc friuolum, & nullius momenti.

E 7 *Posuisti nos in contradictionem* (in fonte absque præpos. *contentionem*) *vicinis nostris*, qui nunquam cessarūt ac cessant nobiscum contendere. Huc pertinet illud Ierem. 15. 10. *Væ mihi mater mea quòd genuisti me virum rixæ, & virum discordiæ* (*contentionis*) *vniuersæ terræ: non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam; omnes maledicunt mihi. Et inimici nostri subsannauerunt* (*nos* sup.) *sibi*, vern. *se sont mocquez de nous*. Subsannant atque irrident nos, quòd tandiu in te spem opis & auxilij frustra, vt ipsi putant,

ponimus. *Sibi.* Pleonasticῶs ex consuetudine & elegantia linguæ. Ezra & Kimhi hoc, *subsannauerunt sibi* ipsis, dici putant, per ὑφειλὴν scilicet, & honoris ergô, pro, subsannant te, ac dicunt te haud posse nos seruare: quod dum dicunt, se ridiculos præbent, seque adeo magis derident, quàm te. Verùm hoc nimis est subtile, neque necessarium.

8 *Deus exercituum conuerte nos:* &c. Intercalaris versus, qui ter in hoc carmine repetitur, 2°. quidem vocula vnâ additâ, 3°. qui est in fine carminis, duabus additis.

9 *Vineam* (prop. *Vitem*) *de Ægypto* &c. Gentis Israëliticæ incrementa vsque à migratâ Ægypto, adhibitâ vitis cultissimæ & feracissimæ pereleganti similitudine, depingit, quò scilicet secutas clades & calamitates magis amplificet. Esaias cap. 5. 7. Israëliticam Remp. cum vineâ comparat, & ait, *Vinea enim Domini exercituum, domus Israël (est), & vir Iuda, germen eius delectabile:* in Fonte *planta lætitiarum eius.* Vinea est sita *in cornu filio olei*, quemadmodum idem Esaias dicit, ibidem, ver. 1. hoc est ex Chald. Paraphraste, *in monte excelso, in terra pingui*, terrâ scilicet Israël omnium terrarum celsissima. Vinea est, quam sepiuit Dominus, & ex quâ lapides collegit, quámque plantauit plantis vitis optimæ, vt est in cit. cap. Esa. ver 2. *Transtulisti, eiecisti.* Verba in Heb. sunt temp. fut. pro præt. vti admonet Kimhi. *Gentes* septem Chananæorum. *Plantasti eam* vineam in illarum Gentium locum. Sic *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ.* Exo. 15. 17.

10 *Repurgasti*, antequam vineam illam plantares, locum lapidibus, impiis scilicet illis Chananæorum Gentibus, quæ regionem illam incolebant. *Radicare fecisti* &c. Potes vertere *radicare fecit radices suas*, scilicet vinea illa. Nam ותשרש *vattaschresch*, potest esse vtriusque personæ, secundæ masculinæ, & tertiæ fœmininæ.

11 *Operuit montes vmbra eius*, &c. Continuat similitudinem vitis, & vult significare Hebræam Gentem, licet initio modicam, ingentia incrementa accepisse, & ad eam potentiam, ad eas opes & gloriam peruenisse, vt maximarum & celeberrimarum Gentium splendorem facilè obscurarit. *Cedros Dei* proceras cedros appellat: nam consuetudine linguæ sanctæ receptum, vt quod summum est in suo genere, diuinum appelletur, quemadmodum alio loco dictum est. Vertere potes vltimum membrum sic: *& rami eius cedri Dei*, id est, sunt procerarum cedrorum instar. Quibus quidem verbis summa potentia significabitur. Sic simpliciter etiá prius membrum erit accipiendum, vt solùm significet ad summam potentiam peruenisse Gentem Hebræam.

12 *Extendit palmites suos vsque ad mare*, &c. Longitudo terræ Israëliticæ porrigebatur à mari rubro vsque ad mare Palæstinum, seu magnum, quod sic vocatur respectu minorum marium, stagnorum scilicet & lacuum: omnis enim collectio aquarum Hebræis dicitur mare: latitudo verò à deserto vsque ad fluuium Euphratem. Vide Exo. 23. 31. Deut. 11. 24. ac præsertim Num. 34. Hoc versu igitur quàm latè fines suos protenderit Gens Hebræa, docet, sub Dauide videlicet & Salomone Regibus, sicuti illorum historia testatur.

13 *Vt quid* igitur *destruxisti* seu *disrupisti macerias eius* vitis &c. Pergens in similitudine vitis institutâ hoc vult significare, Cur tu, qui anteà tam sollicitâ curâ Gentem Hebræam protexeras, eam permisisti hostium libidini & crudelitati? Quum maceriam ait, videtur velle notare vrbis Hierosolymæ muros, quibus disiectis Chaldæi in vrbem irruperunt, eámque veluti vindemiarunt. Esaias dudum antè vineæ Domini maceriam diruendam prædixerat his verbis, *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? cur expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Es. 5. 4. 5. & 6.

14 *Exterminauit* (prop. *Suffodit*) *eam aper* &c. Hac metaphora significat crudelissimas ac fœdissimas gentes Hierosolymam vastasse, ac perdidisse radicitus. Sunt qui per aprum intelligant Nabuchodonosor, nec-non item per feram agri. Verùm ego malim ista nomina accipi collectiuè. *Aper de sylua.* Prop. *porcus de sylua*, id est, syluestris, aper videlicet.

15 *Deus exercituum* &c. Redit ad principalem propositionem Psalmi, quæ est petitio auxilij & liberationis. *Deus exercituum*, qui potes quicquid vis. Aptè & ad rem. *Conuertere* seu *reuertere* ad nos, à quibus videris iratus te auertisse: redi nobiscum in gratiam, ac reuertere ab ira ad misericordiam. *Nunc* seu *quæso. Respice de cœlo.* Quasi dicat, etsi tu altus es, & in sublimi habitas, ne dedignare nos miseros & abiectos intueri ac respicere. Sic ps. 138. 6. *Quoniam excelsus Dominus, & humilem*

respicit, & altus à longè cognoscit. Et visita vineam istam, ne amplius eam apri, & feræ suffodiant: *visita*, inquam, *vineam istam* à crudelibus feris pessimè habitam, *vineam istam*, inquam, tuâ ipsius manu satam: quo pertinet sequens versus.

16 *Et plantam quam plantauit dextera tua*, sup. ex præcedente versu *visita*. Variè vox כנה *channa*, quæ alibi quàm hîc non reperitur, ab Hebræis interpretibus exponitur. Kimhi iudicat ex loci contextu *plantam* significare. Chald. hoc modo accepit, qui interpretatus est, *Et ramum (surculum) quem plantauit dextera tua*. Apud B Chald. enim legendum עוֹבְרָה *ouara*, per ר, quæ vox significat *ramum* seu *surculum*, non cum Mercero עוֹבְדָה *buadha*, per ד, id est, *opus*. Corrigendus igitur Mercerus in Thesauro Pagnini in rad. כון *cun*, ad vocem כַּנָּה *canna*. Alii volunt כַּנָּה *channa*, esse pro גַּנָּה *ghanna*, id est, *horto*, ג & כ eiusdem organi litteris permutatis. Hoc Ezræ non placet: quoniam, inquit, non reperimus alias esse litteras permutabiles, quàm ש in ס, & litteras אחהע. Ezra igitur vult esse epitheton horti, vel vineæ. Atque hæ expositiones optimè conueniunt ad verbum *plantandi*. Kimhi obseruat exponi posse כנה pro מכון C *machon*, id est, *sede, statione*: per sedem autem intelligendam Hierosolymam, aut Sanctuarij domum, iuxta illud Exo. 15. 17. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, sede*, hîc מכון *machon, (quam) operatus es, Domine, vt habites tu*: &c. Alij ex Hebræis, teste Ezra, כַּנֵּה *channe*, pro כַּנָּה *channa*, legendum putant, in imp. scilicet Piel, & simile esse verbo רַבֵּה *rabbe*, id est, *multiplica*, quod habetur Iud. 9. 29. Hos sequuti sunt Græc. & Lat. qui reddiderunt D κατάρτισαι, *perfice*: quam significationem mutuati sunt à verbo כון *cun*, affini, quod est *aptare, confirmare, stabilire*: sæpe enim fit in Hebrææ linguæ consuetudine, vt vicinæ radices sua significata commisceant. Non absurdè fortasse dixerit aliquis legisse hos כַּלֵּה *challe*, quod est *absolue, perfice. Et super filium (quem) confirmasti tibi*, sup. visita. Variè quoque hoc exponitur. Kimhi & alij Hebræorum בן *ben*, pro *ramo* hîc interpretantur, vt & Gen. 49. 22. בן *ben*, id E est, *Ramus* (Græc. & Lat. *Filius*) *crescens Ioseph*, &c. Ego nihil caussæ esse puto cur hîc בן *ben*, in communi significatione *filij* non accipiatur. Itaque *filium* verò, & *filium* collectiuè accipio pro Israëlitis, de quibus Deus Exo. 4. 22. *Filius meus primogenitus meus Israël*. Os. 11. 1. *& ex Ægypto vocaui filium meum*. Explicat tandem scilicet allegoriam, & quid per vineam & plantam intellexerit. *Filius hîc*, & *vir dexteræ*

A *Dei, & filius hominis* &c. altero pòst abhinc versu, idem esse videntur. (*Quem*) *confirmasti tibi*, id est, quem adoptatum tot nexibus tibi obstrinxisti, atque asseruisti multis retrò seculis. Multi per *filium*, Christum intelligunt. Ab iis facit Chald. qui interpretatus est, *& super Regem Messiam*.

17 *Incensa (est) igni* planta illa, aut vinea. *Ab increpatione vultus tui*, hoc est, te increpante, te irato, *perierunt*, Israëlitæ scilicet, qui allegoricas vineæ & plantæ appellatione significabantur. Potes vertere in fut. *peribunt*, hoc sensu, ac si hæc ira tua perseuerat, profectò gens tua funditus interibit. Vel, *pereunt* quotidie: est enim in Fonte verbum fut. temporis, quod tempus haud rarò continuum quid connotat, vt centies obseruatum. Caue referas *perierunt* seu *peribunt* aut *pereunt*, quod hebraicè est masc. ad vineam & plantam, quæ hebraicè sunt fœm. gen.

18 *Sit manus tua* ad protegendum. Obseruat Ezra quando nomen *manus* habet post se literam ב id est, *in*, accipi in malam partem, exempli gratiâ Exodi 9. vers. 3. *Ecce manus Domini erit in pecoribus*. In bonam verò, si post se non habet ב, exempli gratia Ezechielis 3. 14. *manus enim* עלי *alai, super me fortis fuit*. Eiusd. 37. 1. necnon 40. 1. *Fuit super me manus Domini. Super virum dexteræ tuæ*. Israëlitas intellige, quippe quos dexterâ & brachio robusto redemit ac vendicauit olim Deus è domo seruorum: quique sunt planta illa Dei dexterâ consita, de quâ versu 16. Ezra intelligit Israëlitas, aut Messiam filium Ephraim: Iudæi enim, quia non possunt distinguere inter duos Christi aduentus, humilem videlicet & gloriosum, duos constituunt Christos, vnum filium Ioseph seu Ephraim, (quē hoc loco Ezra nominat) cui ea tribuunt, quæ de Christi humilitate & passione in Sacris litteris leguntur, alterum Dauidis filium, cui illa, quæ de Christi gloria, & maiestate. Quidni igitur nos Messiam nostrū intelligemus, præsertim cùm sequatur *super filium hominis*, &c. quæ appellatio Christo Virginis filio conuenit? *Super filium hominis* &c. Idem repetitur. Suprà dixerat *super filium*: nunc ait *super filium hominis*, vt magis amplificet Dei beneficium, qui non sit dedignatus vilem & abiectum hominem (hoc enim significat id appellationis) in filium adoptare, totque beneficiis suum facere.

19 *Et non discedemus* (prop. *retrocedemus*) *à te*, hoc est, à tuo cultu. *Viuifica nos* à morte exilij, hoc est, restitue nobis libertatem, sine qua vita nulla est. *Et nomen tuum inuocabimus*, prædicantes tua erga nos be-

neficia, tuam potentiam, téque redempto- A
rem nostrum celebrantes. *Nomen Domini invocare* hîc nihil aliud est quàm Deum prędicare, ac celebrare. Sic ps. 116.17. *& nomen Domini invocabo*, hoc est, celebrabo. Scio interdum *invocare nomen Domini* vsurpari, pro, verum Dei cultum profiteri, & instaurare, vt Gen. 4.26. & alibi, quemadmodum aliàs obseruatum. Quæ significatio non omnino aliena est ab hoc loco, quasi diceretur, vitam nobis restitue, & cultum tui nominis intermissum instaurabimus, vt antea.

20 *Domine Deus exercituum* &c. Intercalaris versus, de quo vide ad vers. 4. & 8.

PSALMVS

LXXX. LXXXI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph, quinta sabbathi.

2 *Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.*

3 *Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.*

4 *Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solennitatis vestræ.*

5 *Quia præceptum in Israël est: & iudicium Deo Iacob.*

6 *Testimonium in Ioseph posuit illud, cùm exiret de terra Ægypti: linguam, quam non nouerat, audiuit.*

7 *Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino seruierunt.*

8 *In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, exaudiui te in abscondito tempestatis: probaui te apud aquam contradictionis.*

9 *Audi populus meus, & contestabor te: Israël si audieris me, non erit in te Deus recens: neque adorabis Deum alienum.*

10 *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.*

NOVA.

PRÆCENTORI super Haggittith, Asaph.

2 [a] Exultate Deo [b] adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. *a prop: Acclamate b heb. roboris*

3 [c] Sumite psalmum, & date tympanum, citharam iucũdã cum [d] psalterio. *c vel Attollite d nablio*

4 Buccinate in Neomenia tuba: in statiua feria, ad diem solennitatis nostræ.

5 Quia præceptum [e] in Israël est: iudicium, [f] Deo Iacob. *e heb. Israelis f vel Dei*

6 Testimonium in Ioseph posuit illud, quum exisset ipse super terram Ægypti: (vbi) linguam (quam) non noueram, audiui.

7 Diuerti (inquit) ab oneribus [g] dorsum eius: manus eius ab ollâ recesserunt. *g heb. humerum*

8 In tribulatione inuocasti, & erui te, exaudiui te in abscondito [h] tempestatis: probaui te apud aquã [i] contradictionis. *h heb. tonitrui i Meribah*

9 (Ac dixi,) Audi populus meus, & contestabor te: Israël, si audieris me.

10 (Si) non erit in te Deus extraneus, neque adorabis Deum alienum.

11 (Ego *enim sum Dominus, Deus tuus, qui [l] eduxi te de terra Ægypti:) dilata os tuum, & implebo illud. ** Deest hebraicè. l ad verb. educo*

12 Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non [m] attendit mihi.

m prop. acquieuit

13 Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: iuerunt in [n] adinuentionibus suis.

n consiliis

14 [o] Si populus meus audisset me, Israël in viis meis ambulasset.

o O si, vtinam

15 Breui inimicos eorum humiliassem, & super [p] tribulantes eos vertissem manum meam.

p hostes eorum

16 [q] Inimici Domini mentiti fuissent ei, & fuisset tempus eorum in [r] secula.

q Osores

r seculum.

17 Et cibasset [s] eos (Deus) ex adipe frumenti, & de petra, melle saturassem te.

s heb. eum

11 *Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israël non intendit mihi.*

12 *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.*

13 *Si populus meus audisset me: Israël si in viis meis ambulasset.*

14 *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.*

15 *Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in secula.*

16 *Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle saturauit eos.*

COMMENTARIVS.

Argumentû. *APparet ex versu 4°. scriptum esse hunc psalmum, qui decantaretur in solemni illo festo, quod Leuit. 23. 24. & Num. 29. 1. Deus primo die mensis septimi tubarum clangore celebrandum instituerat, quod, sic enim putant* Kimhi, *& alij, eo die Hebræi, non quidem Ægyptum exierint, (hoc enim est factum die quintadecima Martij) sed soluti laboribus sint, & libertati primùm redditi: quò & pertinet quod dicitur ver. 7.* Diuertit ab oneribus dorsum eius. *Idcirco illud festum clangoris festum appellatum, & clangore potissimùm celebratum: clangor enim in populo Hebræo signum fuit manumissionis: vnde & locum habuit in Iubilæo. Vocatum quoque hoc festum affirmant Hebræi* Initium anni, *quòd à mense Septembri, qui tamen esset mensis septimus ratione sacrorum seu anni sacri, Iudæi annum ciuilem inchoarent, indéque contractus ciuiles, & negotiationes omnes instituerent: etsi enim Leuit. & Num. locis citatis nulla anni noui fiat mentio, tamen traditio est apud Iudæos constans annum ciuilem ab isto mense initium habuisse. Vt hæc incerta sunt: sic probabile est propter versum quartum, festo clangoris seu tubarum, quod, vt diximus, primo mensis septimi die celebrabatur, fuisse destinatum hoc carmen, quemadmodum dictum est initio: vel certè Calendis seu primo diei cuiuscumque mensis, qui apud Hebræos erat festus, & tubarum clangore celebrabatur, vt & alia omnia festa, ex Lege Num. 10. 10. Non desunt, qui festum illud noui anni in memoriam Ioseph è carceris squalore educti institutum esse affirment, quod præsertim probant ex versu 6. Qua de re vide ad vers. illum. In hoc itaque carmine Israëlitas primo hortatur Vates, vt Dei laudes cùm voce, tum instrumentis canant: vtque buccinis concrepent, festum à Deo institutum celebrantes. Inducit postea Deum ipsum caussam instituti festi docentem, suáque in Israëlitas beneficia memorantem: tum quid his à contemptu Dei acciderit mali, econtrà quantum bonorum accepissent, si illi dicto audientes fuissent, summatim perstringentem.*

1 *Haggittith.* Vide ad vers. 1. ps. 8.

2 *Deo adiutori*, heb. *robori nostro*, qui scilicet diuertit ab oneribus dorsum nostrum, vt est versu 7. hoc est, finem laboribus imposuit, nósque ex tristi & dura seruitute, quâ in Ægypto premebamur, subtraxit, ac liberauit. Potest hoc patere latiùs, hoc modo, *Deo robori nostro*, hoc est, Deo, cuius vnius virtute ac potentiâ tuti sumus.

3 *Sumite*, seu potiùs *Attollite psalmum*,

A hoc, est vocem psalmi. Fortasse זִמְרָה *zimra*, quod vulgò hîc & alibi redditur *cantus, psalmodia, psalmus*, significat instrumentum musicum in genere, aut speciem alicuius instrumenti musici: perinde ac si diceretur, *Sumite instrumẽtum*, aut *Attollite instrumentum*, pro, sonum instrumenti: & sic *date tympanum*, pro, sonum tympani. Sic & *citharam iucundam*, &c. supp. *date*, hoc est, edite vocem suauem citharæ & nablij. Græcus & Lat. hîc mutarunt ordinem vocabulorum,

vocabulorum, & vbi cithara esse debebat, posuerunt psalterium, & econtrà, quæ quidem res etsi nullius est momenti, tamen maluimus adhærere hebræo Fonti, præsertim quia D. Hieronymus vertit *citharam decoram cum psalterio*: quod melius est: siquidem נֵבֶל *neuel*, à Græco & Lat. etiam, *psalterium*, non *cithara*, & כִּנּוֹר *cinnor*, *cithara*, non autem *psalterium*, aliàs verti soleat.

4 *In Neomenia* huius septimi, vel cuiuslibet mensis. *In statiua feria.* Quidam Hebræorum, teste Ezra, exponunt in nouilunio, quod Hebræis appelletur כֶּסֶה *cese*, מלשון כִּסָּה *casa*, id est, *tegere*, quòd tunc obtegatur luna.

5 *Quia præceptum* seu *statutum in Israël* (heb. *Israëli*) *est*: &c. Sẽsus ex Kimhi, Istud quod vobis dico, *Buccinate* &c. statutum est ac præceptum Genti Israëliticæ datum, & *iudicium Dei Iacob*, id est, lex est à Deo Iacob imposita. Sic ferè Kimhi, in cuius expositione ל, vocis לֵאלֹהֵי *lelohe*, est Gen. casus nota, vt interdum. Ezra vult hũc sensum esse, Istud est statutum & iudicium Israëlitis, vt clangant Deo Iacob hoc tempore. Sic vertendum est, *iudicium*, *Deo Iacob*: quo modo verterunt Græc. & Lat. Fauet accentus distinctiuus Reuia, qui est in voce מִשְׁפָּט *mischpat*, *iudicium*, qui accentus suæ dictionis sensum à sequentibus videtur diuellere ac separare.

6 *Testimonium in Ioseph posuit illud.* Sensus, Memoriam & testimonium posuit statutum & iudicium illud, clangoris tubæ videlicet, *in Ioseph*, hoc est, in Israëlitis, vt psal. præc. ver. 1. & Amos 5. 15. *Fortè miserebitur Deus exercituum reliquijs Ioseph.* Sic ferè Kimhi. *Quum exisset ipse super terram Ægypti.* Kimhi censet hoc ad Deum pertinere, quasi diceretur, quum exisset Deus super terram Ægypti vt maiores vestros redimeret, iuxta illud Exo. 11. 4 *Hæc dicit Dominus, Mediâ nocte egrediar in media Ægypto.* Admonet Kimhi esse qui hoc sic exponant, quum exissent Israëlitæ de terra Ægypti. Sic Græc. & Lat. acceperunt. Verùm in Fonte est præpositio עַל *al*, quæ *super* significat. *(Vbi) linguam (quam) non noueram, audiui*, seu potius *audiebam*, est enim in Hebr. verbum fut. temporis, quod tempus pro præt. imperfecto consueuit vsurpari. Periphrasis, pro, vbi eram peregrinus, apud Gentem scilicet extraneam, cuius idioma ignorabam, & cum quâ nullum linguæ commercium, quod præcipuum est societatis humanæ vinculum. Huc consonat illud Ps. 114. 1. *In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.* Non hoc dicit author psalmi, quasi

A ipse peregrinus in Ægypto fuerit, sed tanquam vnus aliquis è Gente Hebræa, & in personâ totius populi. Græcus & Lat. qui verterunt, *quum exiret de terrà Ægypti*, commodè correxerunt enallagen personæ subitam, quæ hîc est in Fonte, vertendo, *linguam quam non nouerat, audiuit*, supp. *vbi* vel *in quâ*, scilicet terrâ, *linguam quam non nouerat*, &c. Quidam Hebræorum, ac præsertim Chaldæus, &, qui eum sequi solet, Rasi, *Ioseph* hîc accipiunt, vt sonat, & dicunt eum initio anni è carcere fuisse eductum, atque idcirco in eius rei memoriam
B clangoris seu tubarum festum fuisse institutum. Ezra hoc refutat, quòd Ioseph nulli legatur fuisse sub oneribus, nec manus eius in ollis seu caldariis, id quod dicetur versu sequente, sed tantùm catenis vinctus, & carceribus addictus fuisse. Verùm Rasi versum sequentem exponit de ipso Ioseph, qui, vt alij conserui, (apud Phutipharem) ollis coquendis fuerat adhibitus. Quòd hic versus de Ioseph ipso possit accipi, probat hoc *quum exisset super terram Ægypti*: cui quidem par & geminum legitur de Ioseph, Gen. 41. 45. *egressus est* (*exiuit*) *ita-*
C *que Ioseph super terram Ægypti.* Pro eo quod hebraicè hîc dicitur, *quum exisset ipse super terram Ægypti*, Chaldæus habet, *hoc ipso die exiuit* (scilicet Ioseph) *de domo vinctorum, & dominatus est in omnem terram Ægypti.* Pari modo & ad vers. Gen. mox cit. habet idem Chald. *& exiuit Ioseph dominans super terram Ægypti.* Certè non omnino reiicienda postrema hæc opinio: nec sic incommodè exponetur hic psalmus.

7 *Diuerti ab oneribus* (heb. *onere*) *dorsum*
D (heb. *humerum*) *eius*: &c. Verba sunt ipsius Dei docentis cur festum clangoris (clangor signum erat libertatis) instituerit, & in cuius rei memoriam. Sermo Deo tribuitur, quò plus auctoritatis habeat oratio. *Diuerti* (inquit tum Deus supp.) ac subduxi ab onere humerum Israëlitarum, & finem imposui eorum laboribus. Dicit autem *humerum eius*, fortè quòd lateres Israëlitæ non modò conficerent, sed etiam suis humeris exportarent. *Manus eius ab ollâ recesserunt*, hoc est, ab ollis & caldariis conficiendis.
E Neque enim solos lateres Israëlitæ conficiebant, sed & opus terreum omnis generis, quemadmodum scribitur Exo. 1. 14. *Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris, luti, & lateris, & omnis operis rustici*, &c. Ad mentem Ezræ vertendum esset, *à cophino* seu *sporta recesserunt*, hoc sensu, à lateribus, aliisque luteis operibus conficiendis, & sportâ exportandis recesserunt. Græc & Lat. verterunt

in, cùm hebraicè sit ם, quod significat *à*: A necnon *seruierunt* pro *recesserunt*, quòd legerint תַּעֲבֹדְנָה *taauodhna*, pro תַּעֲזֹבְנָה *taauorna*, ו pro ז.

8 *In angustia inuocasti* me supple. Deus inducitur ampliùs declarans Israëlitis quid ipsorum causâ fecerit, vt sic magis ad clangoris, hoc est, libertatis festum celebrandum excitentur. *In angustia inuocasti*, &c. Huc pertinet illud Exo.2.23. & 24. *& ingemiscentes filij Israël propter opera, vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum propter opera. Et audiuit Deus gemitum* B *eorum*: &c. *Inuocasti*. Tertiam personam mutat in secundam, & omnes Israëlitas in sing. num. compellat. *Exaudiui te in abscondito tempestatis*, heb. *tonitrui*. Ezra exponendum hoc docet quemadmodum illud ps.118.5. *exaudiuit me in latitudine Dominus*, hoc est, constituendo me in latitudine: quasi diceretur, exaudiui te abscondendo ac propulsando à te tonitru illud, quo Ægyptios & rotas curruum ipsorum subuerti, vt est Exo.14.25. & ps.77.19. vbi dicitur, *vox tonitrui tui in rota*. Potest hoc commo- C dè accipi, & accipiunt Hebræorum nonnulli, teste Kimhi, de tonitru, & grandine, quâ Deus Ægyptios percussit, illæsis & saluis Israëlitis, Exo.9. Siue ad hoc, siue ad illud referas, τὸ *exaudiui te in abscondito tonitrui*, idem est atque abscondi à te tonitru, quo Ægyptios percussi. Potes vertere, *exaudiui te in abscondito, (in) tonitru*, ac sic exponere, *exaudiui te in abscondito*, deprecantem scilicet, atque opem clam implorantem Ægyptiorum metu. Sed quomodò exaudiui? *In tonitru*, & horribilibus & perspicuis D modis palàm faciendo meam virtutem ac potentiam. Hoc sensu acceperunt Rasi & Kimhi. Fortè *in abscondito tonitrui* quum ait, significare vult se nimbis, & nubibus, vnde horrifica illa tonitrua erumpebant, circumfusum atque obtectum Israëlitis affuisse, & pro ipsis propugnauisse. Ita putat Ant. Flaminius, qui censet videri hic innui tonitrua, & tempestatem illā, quā excitauit Deus in Ægyptios apud mare rubrū. Non desunt qui *in abscondito tonitrui*, exponant in columna illa nubis intonante ad- E uersus Ægyptios in mari Rubro. Vide Exo. 14.24. *Probaui te apud aquam Cōtradictionis*. Taxat Deus Israëlitarum perfidiam & cæcitatem, qui cùm tot ac tanta beneficia ab eo accepissent, tamen ingratos se, & immemores potentiæ & misericordiæ diuinæ statim à Maris rubri transitu in Raphidim ostenderunt. Quod igitur ait, *probaui te apud aquam Contradictionis*, hanc habet vim, etsi talis erga te fuissem, non multò pòst tamen apud aquas Contradictionis quod tuum esset ingenium expertus sum, quum tui explorandi ergò permisissem vt te aqua deficeret: tum enim tua in Moysen contumacia apparuit. Videnda historia Ex.17. *Contradictionis* seu *Meriba*. Est enim nomen proprium loci, qui ab euentu *Massa* & *Meriba*, hoc est, *Tentatio* & *Lis* dictus, vt videre est Exo.17.7.

9 (*Ac dixi.*) Necessariò hoc supplendum fuit: alioqui non bene flueret contextus. Sic ferè connectit Rasi, Postquam ita me gessi erga te, tuum est me audire. Ita etiam ferè Ezra. (*Ac dixi*) non multò pòst scilicet, quàm animum tuum probassem apud aquas Meriba. Summa huius, & duorum versuum qui sequuntur, hæc est, O Israel, si me audieris, si non erit penes te Deus aliquis extraneus, nec colueris alienum numen, (Ego enim solus sum Dominus, Deus tuus, qui te ex Ægypto eduxi) quiduis à me optato, optatum feres: pete quicquid volueris, nihil vnquam negabo. De hac promissione vide Exo. 19. 5. postquàm populus Raphidim (cui loco ab euentu *Meriba* nomen factum) egressus in Sinai montem peruenisset.

10 (*Si.*) Supplenda & repetenda hîc erat hæc particula ex præcedente versic. *Non erit in te Deus extraneus*, &c. sed in me vno spem pones. Veteres Hebræorum Magistri ad hoc, *non erit in te Deus extraneus*, Deum illum, qui est in corde hominis, non alium esse volunt, quàm concupiscentiam prauam. Sed hoc est allegoricum. Hoc sensu scripsit D. Paulus ad Philipp. 3. *quorum Deus, venter est*. Et ad Eph. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, (quod est idolorum seruitus*, Græc. ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης) &c.

11 *Ego (enim) sum Dominus*, &c. Necessariò prior huius versiculi pars per parenthesim est legenda, vt appareat contextus. *Dilata os tuum*, &c. id est, quicquid volueris, pete, & dabo: si me audieris, neque esuries, neque sities. Sic hoc explicat Kimhi.

13 *Et dimisi secundum desideria cordis eorum*. Extrema ac deplorata est miseria hominem spiritu Dei non agi, sed traditum à Deo in reprobum sensum in prauitate cordis sui ambulare, addendo ebrietatem siti- *Deut.29.19.* enti, & cupiditates omnes explendo. *Secundum* (videntur Græc. & Lat. legisse כ pro ב) *desideria*. Ex Rasi vertendum esset *in aspectu*: ex Kimhi, *in duritia* seu *obstinatione*. Chald. exposuit *in cogitationibus, imaginationibus*. Vocem שְׁרִירוּת *scherirûth*, Græcus Deut.29.19. ἀποπλανήσεως, Ierem.3.17. ἐνθυμήματα vertit: Lat. vtrobique *prauitatem*. *Iuerūt in adinuentionibus* seu *consiliis suis*, id *Ier.3.17.* est, ambularūt post prauitatē cordis sui pes- *Prou.1.31.*

fimi, & comederunt de fructu viæ suæ, & consiliis suis saturati sunt, à Deo scilicet deserti suis se consiliis rexerunt. *Iuerunt*. In Fonte verbum est fut. per præt. exponendum ob ea, quæ subsequuntur.

14 *Si populus meus audisset me*, לו versus 12. *Et non audiuit populus meus vocem meam. In viis meis ambulasset*, לו præcedentis versus, *iuerunt in adinuentionibus (consiliis) suis*. Sic Ezra. Vide simile quid huic & sequentibus versibus Deut. 48. 18. & 19.

15 *Breui inimicos eorum humiliassem*, hoc est, Eorum imperio protinus hostes subiecissem. *Breui*. Heb. כמעט *cimeat*, ad verbum *sicut parum*, temporis scilicet. Kimhi obseruat כ hoc loco esse literam affirmandi, vt sæpe aliàs. Citat exemplum ex 1. Sam. 9. 3. Gen. 25. 3. Adi tu locos, si lubet. *Et super tribulantes eos* (*hostes eorum*) *vertissem* seu *reduxissem manum meam*, id est, ab iis in ipsorum hostium capita manū meam conuertissem. Sic ex Ezra. Potes vertere *super tribulantes eos redire fecissem manum meam*, hoc sensu, hostes eorum, vt olim, cecidissem. Sic ex Exra. Vel ex Kimhi, toties *redire fecissem*, dum consumpsissem prorsus. Citat simile Kimhi ex ps. 23. 6. *& reuertar* (potest enim illic sic verti) *in domum Domini*, hoc est, iterum atque iterum adibo domum Domini. Necnon ex Ios. 5. 2. *& reuertere circuncide*, quod idem esse vult Kimhi ad istum locum, ac iterum atque iterum lustra atque obi castra, dum rem absolueris.

16 *Inimici* (*Osores*) *Domini* &c. Hoc seper referendum ad illud, *Si populus meus audisset me*, &c. *Inimici Domini*. Hostes sui populi hostes suos Deus vocat, ac de se loquitur in 3a persona: nisi forte quis existimabit hæc dicta ab auctore psalmi: quasi Dei verbis hæc subiiceret, Ita fuisset profectò: *inimici Domini* &c. *Mentiti fuissent ei*, populo meo scilicet, hoc est, præ timore negassent se quicquam aduersum illum molitos. Sic ex Ezra, & Kimhi. Vel, *mentiti fuissent ei*, hoc est, bello domiti simulassent beneuolentiam, & voluntariam seruitutem: vel *ei*, hoc est, eius causâ inita cum aliis fœdera rupissent ac violassent. Vide ad ver. 45. ps. 18. ad ver. 3. ps. 66. *Et fuisset tempus eorum* Israelitarum *in secula*. Sensus ex Kimhi, tempus benedictionis illorum fœliciter inchoatum æternum durasset, nec vnquam cessasset, aut interruptum fuisset, si obtemperantes fuissent. Rasi & Ezra hoc ad hostes referunt, *tempus* accipientes pro tempore vltionis, & exitij. Sic *diei* nomen sumitur ps. 37. 13. Theodoretus *tempus* hoc loco vocari calamitates censet, obseruatque sic Syros & Hebræos has nominare consueuisse.

17 *Et cibasset eos* (in Fonte *eum*, scilicet populum) Deus nimirum. *Ex adipe frumenti*, hoc est, pingui & optimo tritico. Sic Deut. 32. 14. *cum adipe renum tritici*. Ibi *renum*, id est, granorum, quæ renibus haud absimilia sunt. Ps. 147. 14. *Adipe frumenti satiat te*. Nota in hoc membro insignem enallagen personæ, pro, *& cibassem te*.

Et de petra, hoc est, vel de petra, hyperbolicôs. Nonnulli tamen credunt in terrâ Chanaan apes in petris & rupibus mellificare: ideòque optimè hîc dici *de petra* &c. Colligunt ex Deut. 32. 13. vbi dicitur, *& fecit vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. Kim. obseruat mel, quod in petris nascitur, famem explere. Significat porrò Deus in hoc versu, si Israelitæ obtemperantes fuissent, nulla re vnquam carituros fuisse, sed omnium rerum quæ ad victum pertinerent, copiam fuisse suppeditaturum: adeóque ipsorum culpâ factum esse, vt manum suam clauserit, & sterilitatem induxerit interdum.

PSALMVS

LXXXII. LXXXI.

VERSIO

NOVA.



SALMVS Asaph. Deus stat in cœtu Dei: in medio Deorum iudicat.

2 Vsquequo [a] iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum [b] sumitis?

3 Iudicate egenum, & pupillum: [c] humilem & pauperem iustificate.

4 Eripite pauperem & egenum: de manu [d] peccatoris liberate.

5 Nescierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant: mouentur omnia fundamenta terræ.

6 Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes vos.

7 Veruntamen vos sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.

8 Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hæreditas in omnibus Gentibus.

a ad verb. *iudicabitis*

b ad verb. *sumetis seu suscipietis?*

c *inopem*

d heb. *improborum*

VETVS.



SALMVS Asaph. Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.

2 *Vsquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?*

3 *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iustificate.*

4 *Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.*

5 *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: moucbuntur omnia fundamenta terræ.*

6 *Ego dixi, Dij estis: & filij Excelsi omnes.*

7 *Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.*

8 *Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus Gentibus.*

COMMENTARIVS.

Argumêtum. P*Vtat Kimhi editum hoc carmen aduersùs iniquos Indices, & fortasse temporibus Iosaphati Regis. Legimus profectò Regem Iosaphatum, quum rediret è Ramoth Galaad, à Iehu Propheta increpitum quòd cum impio Achab arma coniunxisset, vniuersam ditionem perlustrasse, subditorum animos ad veri Dei cultum reuocasse, Indices ac magistratus in omnibus Iudææ vrbibus constituisse, iisque ita mandasse, 2. Paral.* 19. 6. Videte quid faciatis: non enim homini exercetis iudicium, sed Deo, *hoc est, non enim vices hominis iudicando geritis, sed Dei, cuius est omne regnum. Versu seq.* Nunc igitur sit timor Domini vobiscum, & cum diligentiâ cuncta facite: non enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido (*ad verb.* acceptio) munerum. *Ex quo apparet, inquit* Kimhi, *ante illud tempus fuisse iniquos iudices, vt necesse habuerit Iosaphat alios iudices constituere, eósque adeo diligenter admonere de æquitate seruanda. Sequentem quoque psalmum vult ad tempora Iosaphati esse referendum, vti suo loco dicetur. Profectò incertum mihi est quo tempore hic psalmus editus sit: certum compositum ab Asapho, vel aliquo ex eius posteris, tribuitur enim Asapho, aduersùs iniquos indices. In eo Vates primo loco docet Deum omnibus iudiciis interesse, imò præesse: inde iudices obiurgat, qui nihil vereantur, Deo teste, ac spectatore, iniquè iudicare, & sceleratis fauere: monet postea illos sui officij, vt scilicet ius reddant pauperibus & pupillis: vt illos iniustè in iudicium vocatos absoluant, non metuentes diuitum impotentem potentiam:*

in iudicibus ignorantiam in iure, socordiam in cognoscendis caussis, denique & priuatis affectibus obsessam & excæcatam mentem damnat, quibus ex rebus fieri ait, vt omnis vitæ humanæ societas labefactetur, ac funditus euertatur: mox Iudices hortatur vt perpetuò meminerint se esse Deos, & Dei filios, sed mortales tamen, sicuti hominum quemlibet: tandem subitò ad Deum se conuertit, orans vt quandoquidem iudices ab æquitate prorsus deflexerint, ipse imperij habenas moderetur, iudicisque officio fungatur, qui plenum ius in vniuersas nationes obtinet. Vtile profectò esset nouis iudicibus, aut iamjam ad indicandum sessuris præcini hoc carmen.

1 *Deus stat* tanquam præses, (hoc importat verbum hebraicum נִצָּב *nitsfau*) qui alios doceat, quid facere debeant. *In cœtu Dei* fortis seu potentis, hoc est, in medio iudicum, quibus Deus præest, ideóque eorum cœtus *cœtus Dei* hîc appellatur. Idem per *cœtum Dei* videtur intelligere in priore membro, quod per *in medio Deorum* in posteriore, vbi *Deorum*, id est, Iudicum, qui quia Dei vices in terris gerunt, eiúsque ministri sunt in bonum, idcirco haud raro in Sacris litteris *Dij* appellantur, Exo. 21. 6. necnon 22. 28. & alibi, vt & mox versu 6. Monet porrò in hoc versu Iudices, vt meminerint Deum interesse, imò præesse iudiciis ipsorum, ideóque probè nosse qui à iustitia & æquitate deflectant. *Vsquequo* igitur, mox ait, *iudicatis iniquitatem*, &c.

Ad Rom. 13

2 *Vsquequo iudicatis* (heb. *iudicabitis*) *iniquitatem*, &c. Cùm ita sit, vt Deus iudiciis præses primarius intersit, quousque sceleratorum rationem habentes, iniquè in eorum gratiam iudicabitis? Sic restringo *iudicare iniquitatem*, cùm propter sequens membrum *facies peccatorum sumitis*, tum quòd, etsi iniquum iudicium esse potest in gratiam viri probi, tamen vt plurimùm peruertitur æquitas in gratiam sceleratorum hominum, qui & autoritate, quâ ferè inter cæteros mortalium excellunt, dum omnibus modis ad opes & potentiam nituntur, atque etiam perueniunt, quicquid volunt, facilè extorquent, & quibus artibus possunt iudicum animos expugnant, cùm ferè vir bonus minùs polleat, nec vnquam iudicia studeat corrumpere. *Facies peccatorum sumitis*, ad verb. *sumetis* vel *suscipietis*, id est, rationem illorum habebitis, seu, vt vulgò dicunt, personas illorum accipietis. Leuit. 19 15. legitur, *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis; non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iustè iudica proximo tuo.* In Fonte, *Non facietis iniquitatem; non suscipies faciem pauperis, neque honorabis vultum magni: iustè iudicabis proximum tuum. Facies peccatorum sumetis.* Ex Ezra vertendum esset *facies peccatorum attolletis*, seu *erigetis*, contra quàm dicitur Gen 4. 6. *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Illic mox sequitur, *Nonne si bene egeris, eleuatio* (seu *erectio*) *faciei*: ita enim ibi interpretatur Ezra vocem שְׂאֵת *seeth*, propter id quod præcessit, *& concidit vultus eius*, pudore videlicet, versu 5. Citat locum ex Iob 11. 15. *Tunc enim leuabis faciem tuam à macula:* & alium, vt puto, ex eiusdem cap. 42. 8. Igitur *facies peccatorum erigetis* nihil aliud erit quàm peccatores exhilarabitis, in eorum gratiam sententiam ferentes: lætitia quippe faciem erigit: econtrà mœror eandem deprimit, ac deijcit.

3 *Iudicate egenum & pupillum*, in Græc. & Lat. ad sensum *egeno, & pupillo*, hoc est, Ius illis dicite, illos prohibete ab iniuriâ & calumniis improborum. *Humilem & pauperem iustificate*, id est, tenuiores iniustè in iudicium vocatos absoluitote nihil verentes diuitum potentiã. *Humilem*. Græc. & Lat. *humilem* hîc, vt aliàs sæpe, pro paupere posuerunt.

4 *Eripite pauperem* &c. Idem inculcat. Cæterùm ex hoc & præcedente versu habes præcipuum Iudicum munus esse pauperum, pupillorum & viduarum caussas cognoscere ac defendere, pauperibus, & quotquot præsidio sunt destituti, patronos, pupillis patres, viduis quasi maritos se exhibendo, ex illo præcepto quod extat Ecclesiastici 4. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum.* Attende, Iudex, quid sequatur, *& eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.*

5 *Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant.* De peruersis iudicibus quasi per parenthesin loquitur in tertia persona, in iis damnans primùm ignorantiam in iure, quum ait *nescierunt*; deinde incuriam & oscitantiam in cognoscendis caussis, quum dicit *neque intellexerunt*: denique & cæcum iudicium, quum ait *in tenebris ambulant*, quasi hoc vellet, priuatis affectibus ac præsertim muneribus excæcati non amplius id, quod rectum est, cernere possunt, iuxta illud Exo. 23. 8. *Nec accipies munera: quia munera excæcant videntes,* (Vulg. *prudentes,*) *& subuertunt verba iustorum.* Ex tribus illis rebus fieri ait, vt totus orbis vel à fundamentis concutiatur, hoc est, pessundentur, & ruant omnia, omnis scilicet vitæ ratio & ordo peruertatur: hoc enim signifi-

cat, *mouentur omnia fundamenta terræ. In tenebris* cupiditatum, putà auaritiæ, & aliorum vitiorum, *ambulant*, non in verbo Dei, quod lucerna est pedibus, & lumen semitis, vt est psal. 119. 105. Huc refer illud Ecclef. 2. 14. *Sapientis oculi in capite eius; stultus autem in tenebris ambulat.*

6 *Ego dixi*, (pro dico.) *Dij estis*, hoc est, Dei vices geritis, Dei sedem obtinetis, tribunal enim iustitiæ tribunal est Dei. Sic Regium solium Dei solium appellatur, 1. Paral. 29. 23. *Seditque Salomon super solium Domini in Regem.* Sic & Angeli Dij vocantur, quòd Dei legationibus & vice funguntur in rebus humanis administrandis, & gubernando mundo. Hoc sensu Deus appellatur *Deus Deorum, & Dominus Dominorum*, hoc est, Angelorum, Ps. 136. 2. & 3. *Filij Excelsi* idē est quod Dij: qui enim Dij, sunt necesse est eosdem Dei filios esse, non natura quidem, sed conditione & dignitate muneris, secundùm quam Dij sunt. Porrò in hoc versu hoc sibi velle videtur, Vos Dij estis, & Dei vices geritis in terris. Sicuti igitur Deus non est acceptor personarum, sed condemnat im-
1. Reg. 8. 32. pium reddens viam eius in caput eius, iustificatque iustum retribuens ei secundùm iustitiam eius: sic & vos facitote.

7 *Veruntamen*, seu, *Profectò vos sicut homines moriemini*, &c. Sensus, Dij estis quidem & filij Excelsi, verùm mortales, sicuti aliquis è vulgo: & quanquam magni estis & potentes, non tamen propterea estis immunes à morte, sed interibitis sicuti principum quilibet. *Homines.* Heb. אָדָם *adham*, hoc est, *homo* vilis & abiectus, vt aliàs dictum ad verſ. 5. pſ. 8. Rasi accipit *Adam* pro nomine proprio, ad hunc modum, Veruntamen sicut primus homo moriemini, quando, sicut ille, prauè egistis. *Vnus*, id est, quidam, *de principibus*, seu *principum*. Sunt ex Latinis, qui postremum membrum sic vertant & exponant, *& sicut vnus*, id est, quidam, seu quilibet, *ò principes, cadetis.* Nihil obest אַחַד *achadh*, id est, *vnus*, formæ constructæ: hæc enim forma absolutè etiam vsurpatur. Chald. interpretatus est *vnus de principibus* seu *magnatibus*: Symm. εἷς τῶν ἀρχόντων. Sic Hebræi omnes, quos vidi, construunt.

8 *Surge Deus, iudica terram.* Subita ad Deum Apostrophe, quâ orat, vt quandoquidem iudices tam negligenter & peruersè suum munus exequuntur, ipse surgat, & iudicet terram, nec diutiùs tot & tanta scelera inulta patiatur: vel potiùs, vt surgat, & iudicis fungatur munere, quo ipsi ad tenuiorum perniciem tamdiu abutuntur. *Quoniam tu hæreditas in omnibus gentibus*, id est, quoniam tuæ sunt omnes gentes, suntque tua veluti hæreditas, in quam plenum ius & dominium obtines: tu iudex es vniuersæ terræ, sicuti dicitur Gen. 18. 25. fac igitur iudicium.

PSALMVS

LXXXIII. | LXXXII.

VERSIO

NOVA.


CANTICVM Psalmi Asaph.

2 Deus ne silentium tibi: ne taceas, neque [a] compescaris Deus.

a heb. quiescas

3 Quoniam ecce inimici tui [b] sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.

b tumultuati sunt

4 Super populum tuum callidè inierunt consilium, & consultauerunt [c] aduersùs absonditos tuos.

c super

5 Dixerunt, Venite, & succidamus

VETVS.


CANTICVM *Psalmi Asaph.*

2 *Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.*

3 *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.*

4 *Super populum tuum malignauerunt consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.*

5 *Dixerunt, Venite, & disperdamus*

eos de gente: & non memoretur nomen Israël vltrà.

6 *Quoniam cogitauerunt vnanimiter, simul aduersum te testamentum dispo-suerunt tabernacula Idumæorum & Ismaëlitæ:*

7 *Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

8 *Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Lot.*

9 *Fac illis sicut Madian, & Sisaræ: sicut Iabin in torrente Cisson.*

10 *Disperierunt in Endor: facti sunt vt stercus terræ.*

11 *Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana:*

12 *Omnes principes eorum, qui dixerunt: Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.*

13 *Deus meus pone illos vt rotam: & sicut stipulam ante faciem venti.*

14 *Sicut ignis, qui comburit siluam: & sicut flamma comburens montes:*

15 *Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.*

16 *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum, Domine.*

17 *Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur, & pereant.*

18 *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.*

eos de gente: & non memoretur nomen Israël vltrà.

6 Quoniam consultarunt vnanimiter simul: aduersùm te fœdus pepigerunt.

7 Tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitæ: Moab, & Agareni.

8 Gebal, & Ammon, & Amalec: [d] alienigenæ cum habitantibus Tyrum. [d] *Palæstina*

9 Etiam Assur [e] venit cum illis: facti sunt [f] in adiutorium filiis Lot. [e] heb: *coniunctus est* [f] heb. *brachium*

10 Fac illis sicut Madian: sicut Sisaræ, sicut Iabin, in torrente Cison.

11 Perierunt in En-dor: fuerunt stercus terræ.

12 Pone Principes eorũ sicut Oreb, & sicut Zeb: & sicut Zebee, & sicut Salmana, omnes principes eorum.

13 Qui dixerunt, [g] Hæreditate possideamus habitacula Dei. [g] heb. *possideamus nobis*

14 Deus meus, pone illos vt rotam: sicut stipulam [h] ante faciem venti. [h] *ad*

15 Sicut ignis comburit syluam: sicut flamma succendit montes:

16 Ita persequere eos in tempestate tua, & in turbine tuo turba eos.

17 Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.

18 Erubescant & conturbentur in [i] seculum seculi: & [l] confundantur, & pereant. [i] *æternum:* [l] *probro afficiantur,*

19 Et cognoscant quòd tu, nomen tuum Dominus, solus tu: altissimus super omnem terram.

COMMENTARIVS.

KIMHI *huncquoque psalmum ad Iosaphati refert tempora, quando Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi, saltem incolæ montis Seir, coniunctis viribus bellum ei intulerunt, vt narrat historia 2. Paral. 20. quibus & alias finitimas gentes sese adiunxisse haud dubium est, etsi ibi nulla illarum mentio fit. Idcirco in hoc psalmo præter illos populos nominantur Ismaëlitæ, Agareni, & Amalecitæ. Si vera est hæc sententia Kimhi, quæ nihil habet propter quod reijciatur, imò iuuatur posteriore membro versus 9. sicut ibi dicetur, profectò ad idem ferme tempus hic & præcedens psalmus spectabunt, ille ad historiam cap. 19. 2. Paral. hic ad historiam sequentis capitis eiusdem libri. Hic psalmus constat duabus partibus. In prima Deum orat populus, vel Poëta nomine populi, ne diutius auxilium differat, tot simul ingruentibus & conspirantibus hostibus, quos nominatim recenset. Deo, quò magis ipsum ad opem, & quidem subitò, ferendam extimulet, suam ipsius caussam agi suadet. In altera parte hostium similem stragem optat fieri, qualem Madia-* Argumẽtum.

nitarum Gedeon, & Sisaræ ac Iabin Chananæorum Regis Barac & Debora Israëlitarum duces olim edidere, sic vt cæsorum cadauera in agris computrescentia stercoris vicem facilè supplere possent. Inde seorsim hostium principibus similem exitum imprecatur, qualem habuerunt Oreb & Zeb Madianitarum principes, Zebee & Salmana eorundem reges, illi ab Ephrateis, hi à Gedeone ipso capti atque interfecti. Mox iterum vniuersis hostibus imprecatur, optans à Deo, vt consiliorum incerti rotæ instar versentur, & sic tanquam stipula à vento agitata, huc & illuc perpetuò ferantur: vt quemadmodum sylua densissima, aut nemorosus aliquis mons igne ventorum præsertim flabris accenso subitò deflagrat, arbore proximæ cuique arbori flammam iniiciente, ita illi diuini numinis turbine impulsi atque agitati vno momento à se ipsis absumantur, mutuisque vulneribus conficiantur: ac denique vt quotquot ex hostibus remanserint, pudeat eos sui consilij, & suscepti belli, seque frustratos spe cernentes perpetuò cohorrescant, atque adeo tandem miserè pereant, agnoscentes & fatentes eum, qui hostes populi sui tam acriter vlciscatur, solum esse Dominum.

2 *Deus* iudex *ne silentium tibi: ne taceas,* &c. in his nostris malis & periculis. *Neque compescaris*, heb. *quiescas*, *Deus* fortis, qui potes nos seruare. Propositionem continet hic versus. *Ne silentium tibi.* Græc. & Lat. verterunt *quis similis erit tibi?* respicientes ad alteram significationem verbi דָּמָה *dama*. Sed in fonte est אַל *al, ne*, non מִי *mi, quis*. Deinde melius est vt ter idem repetatur ad exprimendam magis vehementiam sollicitudinis & metus.

3 *Quoniam ecce inimici tui* &c. Propositioni ratio subiicitur à necessitate ducta. Particula *ecce* rem subitam & improuisam notat, qualis tum fuit, quum *venerunt nuntij, & nũtiauerunt Iosaphat, dicentes, Venit contra te multitudo magna* &c. 2. Paral. 20. 2. *Inimici tui.* Dicit *tui* rhetoricè simul & verè. Nam qui populo Dei iniuriam facit, Deo facit; & habet ille communes cum Deo aduersarios.

4 *Absconditos tuos*, hoc est, Israëlitas, quos semper tutissimâ custodiâ munis ac tegis: quos sub vmbra & velamento alarum tuarũ protegis: quos abscõdis in abscondito faciei tuæ ab elationibus hominum, quos occultas in tabernaculo à contradictione linguarum, vt est ps. 31. 12. Hoc sensu dicebat Dauid ps. 27. 5. *Quoniam abscondet me in tabernaculo suo in die mali, abscondet me in abscondito tabernaculi sui.* Græcus & Lat. *sanctos tuos* interpretati sunt, respicientes magis ad sententiam, quàm ad vocem.

5 *Succidamus eos de gente*, hoc est, funditus deleamus, & eradicemus, ne sit ampliùs gens. Præpositio מִן *min*, id est, *de*, *à*, sæpe habet vim negandi, & respondet τῷ α στερητικῷ, præsertim si iungatur infinitiuo, & cum nomine, vt hic, & Es. 7. 8. *frangetur Ephraim à populo*, id est, vt Latinus interpretatur, *desinet Ephraim esse populus.* Es. 17. 1. *Ecce Damascus remouetur à ciuitate*, hoc est, ne sit ciuitas, in Vulg. *desinet esse ciuitas.* Es. 43. 13. *Etiam à die*, hoc est, Quum non-

A dum esset, vel antequam esset dies, *ego ipse.* Hunc esse sensum τοῦ *de* seu *à gente*, probat sequens membrum.

6 *Quoniam consultarunt vnanimiter* &c. Quatuor sequentibus versibus, quò Deum ad opem promptiùs ferendam excitet, superiorem rationem expolit, atque amplificat distributione, omnes hostes enumerans. *Quoniam consultarunt vnanimiter* (heb. *corde*) &c. Perinde est ac si dicat, Etsi aliàs à se inuicem hæ gentes diffidere soleant, & propter vicinitatem odia inter se B exercere, nihilominus nunc concordibus animis vnà consilium inierunt, & conspirarunt, atque ne ab eo, quod semel placuit, discedere liceat, fœdere se constrinxerunt, non tam aduersùm nos, quàm aduersùm te, Deus, quem negant posse nos seruare: & cuius nomen, videlicet Dei Israël, cupiũt extinguere, nobis extinctis, & deletis, qui soli te Deum Israël agnoscimus & colimus. *Vnanimiter*, heb. *corde*. Sunt qui explicent *corde*, hoc est, seriò, & ex animo. *Aduer-* C *sùm te.* Rhetoricè, quò magis Deum extimulet, & populum animet ad fiduciam.

7 *Tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitæ*, vel, *Ismaëlitarum.* Quum ait *tabernacula*, respicere videtur ad consuetudinem eius gentis, quæ sub papilionibus, & tentoriis ageret: vel ad morem belli, vbi sub tentoriis degitur. *Idumæorum.* Loco Paral. notato in Arg. *filiorum Seir*, qui Idumæi erãt, fit mentio. *Agareni*, hoc est, reliqui populi ex Agar oriundi, sed ex alio viro, quàm Abraham, nisi ipsa eadem fuerit, quæ Cetu- D ra. Hoc ex Kimhi.

8 *Gebal* siue Giblij, quorum mentio fit 1. Reg. 5. 18. *Alienigenæ.* In Fonte *Palæstina.* In Sacris litteris ijdem sunt Alienigenæ seu Allophyli & Palæstini.

9 *Etiam Assur*, hoc est, Assyrij, &c. *Etiam* ait, propterea quòd Assyrij à terra Israëlitica remotiores essent, quàm hi, quos hactenus nominauit. Sic ex Kimhi. Author Deras iudicat dici *Etiam Assur*, quasi di-

ceretur, Etiam Assur (populus,) qui olim, quòd pietatem coleret, consilium Nembrod probare non potuit, ideoque ab eo digressus est, quemadmodum scribitur Gen. 10. 11. *De terrà illà egressus est Assur*, nunc impiis se adiunxit ad excidendam domum tuam. Ioseph Kimhi, filio teste, existimat dicere *Etiam Assur*, quasi hoc velit, Adhuc [2. Reg. 19. 35. & 2. Paral. 32. 21.] perseuerat in malitia immemor cladis, quã ad mœnia vrbis Hierosolymæ ab Angelo percussore accepit. Verùm hęc expositio ad historiam Iosaphat non quadrat, qui diu fuit ante illam cladem. *Facti sunt in adiutorium*, ad verb. *fuerunt brachium*, hoc est, auxiliares manus præbuerunt, Assyrij nimirum. *Filijs Lot*, id est, Moabitis, & Ammonitis, ex Rasi & Kimhi. Atque hoc facit vt assentiar ipsi Kimhi, qui, vt dictum est in Arg. existimat fieri in hoc psalmo mentionem eius belli, quod describitur 2. Paral. 20. fuerunt enim Moabitæ & Ammonitæ istius belli & conspirationis autores.

10 *Fac illis* &c. In hoc & duobus, qui sequuntur, versibus texitur catalogus hostiũ populi Israëlitici, qui Deo pœnas dederunt: id quod fit tum vt istis exemplis populi animus recreatus bene de Deo speret, tum vt Deus ipse ad opem ferendam excitetur. *Fac illis sicut Madian*, seu Madianitis fecisti operâ Gedeonis. Israëlitæ ob peccata Madianitis à Domino traditi duro imperio habebantur per continuos septem annos. Tum igitur conuersi ad Dominum, misericordiam solitam flagitantes, impetrauerunt, Gedeone duce validissimo dato, qui non sine arte cum trecentis tantùm armatis castra Madianitarum latè patentia, erat enim ingens hominum & camelorum numerus, noctu aggressus, ita turbauit, vt alij se mutuis vulneribus conficerent, alij, occurrentibus omni ex parte Hebræis, passim fugientes caderent. Hæc est historia, quam hoc loco attingit, & quæ describitur Iud. 6. & 7. *Sicut Sisaræ, sicut Iabin, in torrente Cison*, per Barac & Deboram. Israëlitæ, quum se ad cultum Idolorum recepissent, à rege Chananæorum Iabin nomine subiugati & viginti iam annorum tyrannide oppressi, Deboram prophetidem, quæ tunc Israëlitis præsidebat, adeunt, rogantes ne diutius patiatur se à Chananæis opprimi. Illa igitur accersit Barac: iubet eum, siquidem Deus velit, conscripto decem millium virorum exercitu, in hostem ducere. Ille verò negare iturum, nisi illa se comitem præbeat. Tum profecta est Debora cum Barac. Quod quum audisset Sisara dux copiarum Regis Iabin, mox illis occurrit, nec longè ab hoste cum exercitu cõsedit. Pugnâ commissâ, Deus ita Sisaram, omnémque eius aciem conturbauit, vt ipse de curru desilire, & pedibus fugere coactus sit: quem Iaël vxor Haber Cinæi latebras petentem excepit, statimque, Deo sic volente, ei sopito ferreum clauum per tempora malleo adegit, eumque solo affixit. Nec longo post tempore ipse Rex Iabin cæsus atque interfectus. Hanc historiam attingit in posteriore membro versus, & primo loco quidem Sisaram, deinde Iabin nominat, quòd ille prior sit interfectus. Vide Iudic. 4. *In torrente Cison*. Cap. mox cit. vers. 7. legitur, *Et pertraham ad te ad torrentem Cison Sisaram principem exercitus Iabin*, &c. Cap. seq. vers. 21. *Torrens Cison traxit cadauera eorum*, Heb. *scopauit eos*. Aduerte porrò in hoc versu non seruari ordinem historiæ. Nam quæ primo loco recitatur, posterior est tempore. Aliter fortè non ferebat lex carminis.

11 *In En-dor*. Rasi dubitat quod bellum sit commissum in En-dor, Gedeonis, an Barac. Ezra ad cladem Madianitarum refert, per Gedeonem scilicet. Kimhi quoque, etsi, inquit, nulla in libro Iud. facta est mentio istius loci. Obseruat esse, qui ad cladem Sisaræ hoc velint attinere. Sanè hoc puto, tum quia proximè Sisarę & Iabin meminit, tum quia En-dor erat in tribu Manasse prope Thanac, & Mageddo, quæ memorantur in Cantico Deboræ, Iud. 5. 19. *Venerunt Reges, pugnauerunt; tunc pugnauerunt Reges Chanaan in Thanach, iuxta aquas Mageddo*. Quòd En-dor fuerit prope Thanach, & Mageddo, patet ex Ios. 17. 11. *habitatores quoque En-dor cum viculis suis; similitèrque habitatores Thanach cum viculis suis; & habitatores Mageddo cum viculis suis*. *Fuerunt stercus terræ*, id est, cadauera eorum iacuerunt insepulta, & stercorandis agris profuerunt, ac fimi vicem suppleuerunt. *Terræ*, in Dat. Græcè τῇ γῇ. Vnde non probo hanc quorsidam expositionem, etsi est Kimhi, proculcati sunt à victore exercitu instar stercoris. Chald. interpretatus est, *fuerunt sicut stercus conculcatum terræ*.

12 *Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb*. De Oreb, & Zeb principibus Madianitarum interfectis ab Ephraimitis per Gedeonis nuncios excitis, vide Iud. 7. in fine. *Pone principes eorum*, ad verb. *Pone eos, (nempe) principes eorum*. Prius relatiuum abundat ad elegantiam. Ezra & Kimhi citant simile ex Ex. 2. 6. *vidit ipsum, (nempe) paruulum* seu *infantem*. *Et sicut Zebee, & sicut Salmana*, &c. *De Zebee & Salmana* Madianiticis Regibus, quos Gedeon cepit, atque interfecit, lege Iud. 8. Roget quis, cur hæc exempla alleget. Respondeo, vt horũ

mentione ſuam & aliorum fidem ac ſpem magis accendat, docens videlicet Deum antehac ſæpe in iſto populo ſuam potentiam oſtendiſſe.

13 *Qui*, ſcilicet principes hoſtium, vel omnes ſuprà nominati hoſtes, *dixerunt, Hæreditate poſſideamus* (ex fonte, *Poſſideamus nobis*) *habitacula Dei*, hoc eſt, ex Kimhi, terram Iſraël. Huc pertinet illud Ioſaphati, 2. Paral. 20. 11. *nituntur eijcere nos de poſſeſſione tuâ, quam iure hæreditario tradidiſti nobis. Habitacula Dei.* In Græc. & Lat. *Sanctuarium Dei.* Raſi etiam interpretatus eſt, habitaculum domus Dei. Sed melius eſt per *habitacula Dei* accipere terram Iſraël, quæ, vt conſtat ex loco Paral. mox cit. poſſeſſio ſeu hæreditas erat Dei, quam ipſe Iſraëlitis tradiderat. Poſſet aliquis vertere, *caulas Dei*, ipſam nempe terram Iſraël, in quâ Dei oues ſunt.

14 *Deus meus, pone illos vt rotam*, alii *feſtucam*: &c. Antea exemplis, nunc ſimilitudinibus modum pœnarum declarat. *Pone illos vt rotam*, hoc eſt, inſtabiles inſtar rotæ: ſic illos verſa, vt nunquam quieſcant: fac vt ipſi tanquam rotâ acti citò in præceps ferantur, & ſua ipſorum volubilitate ac inſtabilitate decidant de ſuis conſiliis. Eòdem ſpectat poſterius membrum. Sunt, in quibus Kimhi, qui גַּלְגַּל *galgal*, pro *feſtuca* ſeu *ſtipula*, ſcilicet ob ſequens membrum, exponant hoc loco, ſicut & Eſ. 17. 13. *& rapietur ſicut gluma montium à facie venti, & ſicut* גַּלְגַּל *ghalgal*, hoc eſt, vt apparet, *ſtipula* ſeu *feſtuca coram tempeſtate.* Adiiciam id, quod ſtatim ibi ſequitur, quia ad oſtendendum repentinum & ſubitum hoſtium populi Dei interitum, de quo hîc agitur, pertinet: *In tempore veſperæ & ecce turbatio; antequam ſit mane non erit: hæc* (*eſt*) *pars eorum qui vaſtant* (*prædantur*) *nos, & ſors diripientium nos.*

15 & 16 *Sicut ignis comburit* &c. Huius & ſequentis verſus hæc eſt ſententia, Quemadmodum ignis in aliquâ denſæ cuiuſdam ſyluæ, aut nemoroſi montis arborem impactus vno momento totam ſyluam aut montem latè peruadit ac depopulatur, flammâ huc & illuc ſubitò volante, & proximam quamque arborem corripiente, præſertim ſi vento adiuuetur: ſic tu, Deus, iræ tuæ vento, ac turbine agitatos & turbatos hoſtes perſequere, dum ex vno ad alterum mutuum veluti exitium deferatur. Fuit hoc impletum, dum, vt legitur 2. Paral. 20. 22. *vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, filiorum ſcilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egreſſi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percuſſi ſunt*, vel potiùs *percuſſerunt ſeſe.* 23. *Namque filij Ammon, & Moab conſurrexerunt aduerſum habitatores montis Seir, vt interficerent, & delerent* (*eos:*) *quùmque hoc opere perpetraſſent, etiam in ſemetipſos verſi mutuis concidère vulneribus*, in Fonte paulò aliter, ſed eodem ſenſu, *quùmque finem feciſſent in habitatoribus Seir, adiuuerunt quiſque proximum ſuum ad internecionem.* Imprecationes ſeu execrationes propheticæ, non tam ſunt imprecationes, quàm prædictiones rerum futurarum ſpeciem imprecationum habentes, ſicuti iam alibi obſeruatum. Apta porrò eſt ſimilitudo ſyluæ cum exercitu. *Montes* nemoroſos ſcilicet aut herbidos: alioquin non poſſent ſuccendi.

Paulò aliter hic in Hebræo, ſed idem ſenſus.

17 *Imple facies eorum ignominia*, &c. Senſus, Facito vt quotquot remanſerint ex hoſtibus qui *extulerunt caput*, verſu 3. magnòque cum faſtu dixerunt, *Venite, & ſuccidamus eos de gente*: &c. verſu 5. nec-non, *Hæreditate poſſideamus habitacula Dei*, verſ. 13. ſuâ ſpe fruſtrati toto ore, ac vultu erubeſcant, & quærant quiſnam ſit is, & quod illius nomen, cuius tanta eſt potentia, vt tot tàque ingentes copias tam ſubitò delere poſſit. *Imple* emphaticè, hoc eſt, totos obrue.

18 *Erubeſcant* &c. Senſus, Ob irritos conatus pudefacti nunquam, quamdiu viuent, cohorreſcere deſinant, atque adeo tandem pereant.

19 *Et cognoſcant quòd tu, nomen tuum Dominus*, in Fonte יהוה nomen illud ſcilicet, quod ipſe Deus Moyſi primum imperium detrectanti, & ſcire eius nomen, ſi id fortè populus quæreret, ad quem legabatur, percupienti primùm reuelauit, vt eſt Exo. 3. 14. *Tu, nomen tuum Dominus, tu ſolus*, id eſt, quòd tu ſis, cuius nomen Dominus, tu ſolus inquam. לְבַדְּךָ *leuaddecha*, id eſt, *tu ſolus*, propter accentum diſtinctiuum athnach ad præcedentia potiùs quàm ad ſequentia trahendum eſſe exiſtimo: quanquam ſi quis ad ſequentia volet trahere, non repugnabo, ſiquidem Athnach in Pſalmis non ſemper diſtinguat, vt alibi ſæpe obſeruatum.

PSALMVS

LXXXIII. LXXXIV.

VERSIO

VETVS.

IN finem pro torcularibus filiis Core Psalmus.

2 Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

3 Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

4 Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.

5 Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.

6 Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.

7 Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum: in loco quem posuit.

8 Etenim benedictiones dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

9 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

10 Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

11 Quia melior est dies vna in atriis tuis super millia.

12 Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

13 Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

14 Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

NOVA.

PRÆCENTORI super
Haggittith, [a] filiis Core
Psalmus. *a vel filiorum*
2 Quàm dilecta tabernacula tua, Domine exercituum!
3 Concupiscit, & etiam deficit anima mea [b] in atria Domini: cor meũ *b ad*
& caro mea exultant [c] in Deum vi- *c ad*
uum.
4 Etiam passer inuenit domum, &
hirundo nidum sibi, vbi ponat pullos
suos: altaria tua Domine exercituum,
Rex meus, & Deus meus.
5 Beati habitatores domus tuæ,
(qui) assiduè [d] laudabant te: *d aliis laudant*
6 Beatus vir [e] cuius fortitudo in te: *e cui*
viæ in corde eorum.
7 Transeuntes in Valle mori fon-
tem [f] ponebant eam: etiam piscinas, *f ponunt*
(quas) [g] operiret pluuia. *g operit*
8 [h] Ibant de turma in turmam, do- *h Eunt*
nec [i] videretur Deus Deorum in *i videatur*
Sion.
9 Domine Deus exercituum exaudi orationem meam: [l] auribus perci- *l ausculta*
pe Deus Iacob.
10 Clypeus noster aspice, Deus, & respice faciem christi tui.
11 Quia melior (est) dies in atriis tuis præ mille: elegi ad limen sedere in domo Dei mei, magis quàm habita- *m heb. impietatis.*
re in tabernaculis [m] peccatorum.
12 Quia sol & scutum Dominus Deus; gratiam & gloriam dat Dominus: non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentiâ.
13 Domine exercituum, beatus homo qui sperat in te.

COMMENTARIVS.

Argumētum. *EXiſtimat Kimhi hunc pſalmum intelligendum eſſe de Dauide exule apud Philiſtæos, & cupiente videre locum Arcæ & altaris : aut nomine exulum (in Babylonia ſcilicet) eſſe conſcriptum : id quod magis probat, & rectum eſſe putat. Ego credo idem eſſe huius pſalmi argumentum, quod quadrageſimi ſecundi. Illinc ergò cenſeo repetantur, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur. Si Dauidis ſit hic pſalmus, (quod non putarim,) conueniet etiam eius argumentum cum pſ. 63°. Verùm quiſquis eſt huius pſalmi author, quòd à ſacris exularet, primo loco deſiderium adeundi ſacram Dei ædem exponit, eorum, quibus olim conceſſum fuit in æde Domini verſari, aut ipſam adire, felicitatem ex intimo affectu prædicans. Deinde Deum ipſum precatur, votis ſuis annuat, dètque domum Domini aliquando videre, ſui populi ac ducis præſertim pietate impulſus. Tandem dictum veluti corrigens ſtatuit ad felicitatem ſatis eſſe in hac vita, ſi quis Deo & Sacris animo & fide præſens ſit.*

1. *Haggittith*. Vide ad tit. pſ. 8. *Filiis* vel *filiorum Core*. Vide ad tit. pſ. 42.

2 *Quàm dilecta tabernacula tua*, &c. Hoc & ſequentibus duobus verſibus Dauid ſeu quiuis alius à ſacris altaribus, ac cœtibus exulans deſiderium ſuum exponit. Orditur autem pſalmum ab exclamatione, quæ ingentis deſiderij ſignum eſt. *Tabernacula* dicit in num. multitudinis ob plures partes vnius Tabernaculi. Sic *Sanctuaria*, pſ. 68. 36. & alibi.

3 *Et etiam* (emphaticè) *deficit* præ deſiderio. *In (ad) atria Domini*. In atriis Templi ſeu Domus Sanctuarij ſtabat populus, ita vt ipſi non liceret penetrare in eam partē, quæ peculiariter appellabatur הֵיכָל *hechal*, id eſt, *Templum*, quemadmodum hîc obſeruat Kimhi. Si vis hunc pſalmum eſſe Dauidis, dic per *atria Domini* intelligendum eſſe locum Arcæ, aut Tabernaculi. *Cor meum & caro mea* &c. id eſt, totus tam mente quàm corpore geſtio videre Deum viuum, hoc eſt, locum ac ſedem Dei viuentis. Similiter dicit Dauid pſ. 63. 2. *ſitit ad te anima mea, deſiderat ad te caro mea. Deum viuum*. Require ad verſ. 3 pſ. 42.

4 *Etiam paſſer* &c. Sic ferè habet Kimhi ad hunc verſum : Si intelligendus eſt hic pſalmus de Dauide exulante apud Philiſtæos, profectò tum vbique paſſim conſtruebantur Excelſa & altaria, ita vt auiculæ in ipſis nidularentur. Verùm in Templo ſeu Domo Sanctuarij nunquam ſunt nidulatæ aues, ne quid immunditiæ adferrent. Namque etiam tecto Templi neſcio quid erat impoſitum ad abigendas aues, ne ibi hærerent, quod vocabant כולא עורב *coleoreu, prohibens coruum*. Dicit igitur Dauid in hoc verſu, Vtinam idem mihi liceret quod auiculis : namque hæ nidos ponunt ad tua altaria, cùm mihi illic eſſe non liceat. Si verò intelligendus eſt de exulibus, hoc ſibi

A velle videtur author pſalmi, Aues ipſæ ſedem & nidum inueniunt ac figunt in ruinis tuorum altarium, cùm nobis illic feſtum agere & offerre ſacrificia nō liceat. *Rex meus & Deus meus* in hoc etiam exilio. Sic ferè Kimhi. *Altaria tua* videlicet *paſſer inuenit domum*, &c. appoſitiuè. *Hirundo*. Græc. & Lat. verterunt *turtur*, quia fortaſſe legerunt תור *tor*, id eſt *turtur*, pro דרור *deror*, quod *hirundinem* ſignificat à libertate, quoniam ea auis liberè cum hominibus agit, & in domibus nidulatur. Chald. interpretatus eſt

B שפנינא *ſchaphnina*, id eſt, *turtur*.

5 *Beati habitatores domus tuæ*, &c. Exul præ deſiderio, quo tenebatur, videndi Templi fœlices eos prædicat, quibus olim datum fuit Templum adire ac frequentare. Ac primò, O beatos, inquit, Sacerdotes, & Leuitas, qui ibi tuas laudes aſſiduè celebrabant, ac decantabant. Per *habitatores domus Dei* intelligere oportet Sacerdotes, & Leuitas, qui dies noctéſque in Templo

C verſabantur ſacris operantes, Deique laudes perpetuò canentes. Idcirco bene ſubiecit, (*qui*) *aſſiduè laudabant te*, ſcilicet in domo tua : quòd nimirum Sacerdotum & Leuitarum præcipuum munus eſſet Dei laus. Si Dauid eſt, qui loquitur, vertendum ſic, & quidem per præſens, (*qui*) *aſſiduè*, ſeu *perpetuò laudant te* ibi. Senſus erit, O verè nunc ego abſens à ſacris & domo tua beatos iudico Sacerdotes & Leuitas, quibus conceſſum eſt in domo tuâ, hoc eſt, apud Arcam, aut in Tabernaculo perpetuò

D ac toto vitæ tempore verſari, ibíque tuas laudes celebrare. Quòd עוד *odh*, *perpetuò* ſignificet nonnunquam, affirmant vulgò Lexicographi , & putat Kimhi ad hunc locum. *Laudabant* ſeu *laudant*. In Fonte verbum eſt fut. temp.

6 *Beatus vir cuius* (vel *cui*) *fortitudo in te*: &c. Senſus, O fœlicem illum, qui tua ſolius ope

lius ope nixus proponeret olim (si de Daui- A de, proponit nunc) in animo suo sese longo & arduo itineri accingere ad adeundum domum tuam. Hanc iudico simplicissimam huius versus sententiam, qui profectò obscurus est ob breuitatem. *Vir.* In Fonte *homo* plebeius propriè. Aptè: quasi diceret, Beati etiam illi, qui pedites illud iter susciperent, aut suscipiunt, non modò qui in equis aut curribus, vt solent diuites. Accipe tamen potiùs τὸ *homo*, in genere. *Viæ*, hoc est, iter ad domum Dei. *In corde eorum*, pro eius: præcesserunt enim singu- B laria: sed tamen collectiuè accipienda, ideoque haud incongrua est hæc Enallage numeri. Pro *viæ in corde eorum*, Græcus & Lat habent *ascensiones in corde suo disposuit*, eo sensu, quo dictū est, hoc est, qui viā qua ascenditur in domum Dei, habet in animo, iamque se itineri accingit. Scire oportet singulos Israelitas mares ter in anno debuisse se sistere coram Domino, ex Lege à Domino lata Exo. 23. 14. & seq.

7 *Transeuntes in Valle* (seu *per Vallem*) *mori fontem ponebant eam.* Longum esset C omnes huius loci interpretationes adferre. Accipe tantùm meam, quæ ferè est Kimhi. Videtur hoc velle: Mihi videre videor turmas illas proficiscentium ad templum, qui per Vallem mori iter facientes nequaquam loci ariditate deterrebantur pergere, sed potiùs quàm iter inceptum relinquerent, puteos seu fontes certatim vbique aperiebant atque effodiebant. Ac sicubi soli ariditas non pateretur fieri puteos, & scaturigo aquæ viuę non occurreret, saltem piscinas aut cisternas effodiebant, quæ plu- D uiam exciperent, quò sitim restinguere possent: id quod significat posterius membrum, *etiam piscinas* sup. ponebant eam, (*quas*) *operiret pluuia.* Oportet Vallem mori, cuius fit mentio in hoc versu, fuisse aridam & sitientem. Et certè morum aiunt in locis siccioribus nasci. Ezra putat הַבָּכָא *habbacha*, quod vertimus *mori*, nomen esse proprium loci: aut *morum* significare, & *Vallem mori* fuisse, in quā essent mori. Huc forte pertinet, nihil affirmo, illud 2. Sam. 5. 23. *& venies ad eos ex aduer-* E *so mororum*, vbi Lat. habet *pyrorum*, Græcus τῶ κλαυθμῶνος: quo modo & hic idem Græcus habet, quem & Latinus sequutus est vertens *in Valle lacrymarum*: vterque scilicet ex בָּכָה *bacha*, quod *flere* significat, interpretatus est. Iud. 2. 5. memoratur locus, qui vocatur *Flentes*, vel *Locus flentium.* Siue vertas *mori*, siue *lacrymarum*, vel *fletus*, parum refert ad sensum, nec est de hac re admodum contendendum, modò illud teneatur, vallem, de quā hic fit mentio, fuisse prorsus aridam: istud enim series videtur postulare. *Fontem ponebant eam*, hoc est, faciebant vt tota Vallis vnus fons videretur: tot vbique excauabant fontes ac puteos. Græcus & Lat. pro *fontem* vertunt *locum*, quia legerunt מָעוֹן *maon*, pro מַעְיָן *maian. Piscinas.* Iudico post Kimhi vocem בְּרָכוֹת *berachoth*, hoc loco exponendam esse *piscinas*, ac si scriberetur cum tsere sub ר. Kimhi affirmat בְּרֵכָה *beracha*, Iof. 1. 15. quod Græc. Lat. & alij ex Hebræis exponunt *benedictionem*, significare *piscinam.* Vide locum ttu. *Pluuia.* Vocem מוֹרֶה *more*, quam nos ex sensu Hebræorum pluuiam reddimus, Græc. & Lat. interpretantur pro legislatore, ex תּוֹרָה *tora*, quod legem significat. De Dauide eodem modo exponi potest hic versus, nisi quòd verba verti atque accipi debent in tempore præs. sic, *ponunt*, necnon *operit*, vel etiam *operiat.* In Fonte verba sunt futuri. Verùm, vt iam sæpe dictum, nulla in Psalmis certa temporum ratio: vt magis interdum attendere oporteat quid postulet contextus, quàm cuius temporis sint verba. Metri necessitate id fit scilicet. Præteritum autem magis huic loco videtur conuenire, quàm futurum.

8 *Ibant* (vel *Eunt*) *de turmā in turmam*, id est, Pergebant (vel Pergunt, si Dauid loquitur) turmatim, turma turmæ subinde per vias accrescente. (*Donec*) *videretur* (vel *videatur*) *Deus Deorum in Sion.* Quòd hic fit mentio *Sion*, argumentum est perspicuū, vt puto, hunc psalmum non esse explicandum de Dauide exule apud Philistæos ob metum Saulis. Namque eo tempore neque Arca, neque Tabernaculum erat in Sion. Idcirco sunt qui ad Dauidem ex vrbe per Absalomum expulsum referendum esse iudicent. *Deus Deorum.* Ita Græc. & Lat. Nonnulli quoque ex recentioribus sic vertunt אֵל־אֱלֹהִים *el-elohim*, indicantes אֵל *el*, quamquam per segol scriptum, *Deum* significare, siquidem segol hic fit ex tsere propter Makkaph. Alij vulgò vertunt hoc posterius membrum hunc in modum, (*donec*) *videretur*, seu *videatur*, (*quisque eorum*) *ante Deum in Sion.*

9 *Domine Deus exercituum exaudi orationem meam:* &c. Altera pars psalmi, in quā Deum precatur, vt votis suis annuat, détque domū Dei aliquando adire, ibique sacros cultus peragere. Templum instauratum intellige, si hic psalmus ab exule aut nomine exulum conscriptus est. Atque hæc est propositio psalmi. *Deus exercituum*, hoc est, Deus, qui non modò cælestibus, sed etiam terrenis imperas. Vide ad vers. 3. ps. 24. nec non ad vers. 6. ps. 59. אֱלֹהִים צְבָאוֹת *Elohim tseuaoth*, i. *Deus exerci-*

tuum, Ezra affirmat breuitatis gratia di- A ctum pro אֱלֹהִים אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *elohim elohe thsuaoth*, hoc est, *Deus*, *Deus exercituum.*

10 *Clypeus* (vel *Clipee*) *noster*, id est, O Deus, qui es clypeus noster. *Respice faciem christi tui*, hoc est, regis quem vnxisti. Si Dauid loquitur, hoc clarum est, perinde ac si diceret, aspice vultu placido seruum tuum supplicantem, quem tu regem populi tui constituisti. Res obscurior, si aliquis in exilio Babylonico. Nam tunc desierant reges Iudæorum: nisi fortasse velis intelligere Iechoniam aut Sedechiam, qui B ipsi quoque in captiuitatem sunt abducti. Dicere possis aliquem tunc etiam Iudæos habuisse & agnouisse ducem, qui illis vice regis fuerit, & hic Rex appelletur, necnon *clypeus*: verti enim potest ex Ezra, *Clypeum nostrum aspice* (*vide*) *Deus. Clypeum*, hoc est, regem, qui populo esse debet instar clypei. Sic ps. 89. 19. quem locum hic citat Ezra, *Quia Domini* (*est*) *clypeus noster*, *& Sancti Israël Rex noster.* Sic reges & principes ps. 47. 10. *scuta* seu *clypei terræ* appellantur. Nonnulli, quorum C est Diodorus, christum hoc loco vocari ipsum Zorobabel existimant. Igitur *christum* pro duce exponendo, dic precari exulem, vt Deus insigni ducis pietate commotus sui populi tandem misereatur, ipsumque è captiuitate vindicet. Illud *christi tui*, fatendum enim est, non parum iis fauet, qui Dauidis hunc esse Psalmum autumant.

11 *Quia melior* (*est*) mihi *dies* vnus *in atrijs tuis*, etiam ea lege vt postridie moriar, quàm viuere mille dies aut annos D alibi, aut in hac terra & exilio. Sic ex Kimhi & Rasi. Accipe, si vis, simpliciùs, hunc in modum, Quia præstat vel vnum diem in domo tuâ, quàm mille alibi vspiam transigere. *Elegi*, id est, malo, *ad limen* portæ tantùm *sedere in domo Dei mei, magis quàm habitare* & commorari in summâ tranquillitate & pace *in tabernaculis peccatorum*, ad verb. *impietatis*, hoc est, in ædibus magnificentissimis Babyloniorum, aut diuitum, vbi plerumque regnat impietas. *Ad limen sedere.* Græcus & Lat. sensum E duntaxat sequuti verterunt *abiectus esse.* Quod in hoc versu liminis fiat mentio, non leue est argumētum Coritam authorē esse huius carminis: Coritis enim ianitorum officium erat demandatum, vti constat ex 1. Paral. 25. Nota. De domo Dei loquens vsurpat nomen בַּיִת *bayith*, quod domum & ædificium permanens significat: de impiorum verò domibus quum agit, vtitur nomine אֹהָלִים *ohalim*, quod significat tabernacula, seu tentoria, & domos quasdam vagas seu ambulatorias, quę ad exiguum duntaxat tempus extruuntur, & ex loco in locum facilè moueri possunt: quò scilicet instabilitatem & inconstantiam conditionis impiorum designet.

12 *Quia sol & scutum Dominus Deus* &c. Ratio est præcedentis versus. Cur malim vel vnicum diem in atriis tuis viuere, quàm alibi mille? Cur optem potiùs ædis tuæ esse ianitor, quàm in ædibus splendidis vnà cum profanis & sceleratis versari? Quia, inquit in hoc versu, alibi sunt horrendę tenebrę, apud Deum vnum lux solis instar hominum mentes exhilarans, omnésque errorum & ignorantię tenebras depellēs: alibi tuti prorsus nihil, in Deo verò certissimum semper præsidium. Vtrumque hoc significare voluit his verbis *sol & clypeus Dominus Deus.* Contextus reliquę partis versus facilis est. Vbi ex Hebręo transtulimus, *Quia sol & scutum Dominus Deus*, Græcus & Lat. verterunt, *Quia misericordiam* (in Græco ἔλεος, quod quidam suspicantur obrepsisse pro ἥλιος) *& veritatem diligit Dominus Deus.* Theod. etiam vertit ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ. At Aquila, Symm. D. Hieron. verterunt, quemadmodum nos. Quid caussæ sit cur aliter transtulerit Theodotio, non liquet. *Gratiam & gloriam dat Dominus*, hoc est, facit Deus vt grati sint, adeóque in honore apud alios, quotquot synceri sunt animi, de quibus totus intelligendus est versus. Nota *dare gratiam alicui*, pro, reddere aliquem gratiosū & charum. Probat hoc illud, *Intellectus bonus*, hoc est, ingenium benignum, *dat gratiam*, hoc est, conciliat fauorem, & reddit hominem gratum, Prou. 13. 15. Adde illud Gen. 39. 21. *Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius*: (heb. *& inclinauit ad eum misericordiam*) *& dedit illi gratiā* (heb. *gratiam illius*) *in conspectu principis carceris. Non priuabit bonis &c.* Heb. *non prohibet bonum ambulantibus in integritate.*

13 *Domine exercituum*, &c. Roganti Deū spes certa affulsit salutis & reditus in Templum. Itaque precationem & psalmum hoc epiphonemate concludit, O verè nūc beatum illum esse experior, Deus omnipotens, qui in te vno fiduciam suam collocat. Nam ille nihil non consequitur. Dic, si vis, Postquàm seriò eorum felicitatem prædicauit, qui Templum adirent, aut olim adiissent, Deúmq; idcirco ex animo precatus est, vt sibi hæc felicitas contingat, nunc tandem agnoscere se verbo lapsum, ideóque corrigere se, sicque statuere, ad veram hominis felicitatem satis esse, si omnem suam spem

in Dei bonitate collocet: vtcunque enim miserum sit à Sacris corpore exulare, præcipuam tamen hominis in hac vita felicitatem in hoc positam esse, si quis animo & mente præsens sit Deo, ipsum solum cogitet, ad ipsum vnum sua omnia referat. Potes sic accipere, vt dicat, Vt miseri nunc simus, quòd procul à tua ęde absumus, tamen hoc nos solatur & valde recreat, quòd speramus te nos ex hac captiuitate liberaturum, & Templum instauraturum. Ex Ezra coniungendus hic versus cum præcedente hunc in modum, Ei, qui sperat in Deo, nil boni vnquam deerit.

PSALMVS

LXXXIV. LXXXV.

VERSIO

VETVS.

IN finem, filiis Core, Psalmus.

2 *Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.*

3 *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.*

4 *Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.*

5 *Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.*

6 *Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?*

7 *Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.*

8 *Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.*

9 *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam;*

10 *Et super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*

11 *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.*

12 *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.*

13 *Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit.*

NOVA.

PRAECENTORI [a] filiis Core a vel filiorum
psalmus.

2 Complacuisti Domine terræ tuæ: reduxisti captiuitatem Iacob.

3 Remisisti iniquitatem [b] plebis b populi, & sic per totũ psalmum.
tuæ: operuisti [c] omnia peccata eorum. c heb. omne peccatũ

4 Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.

5 [d] Conuerte nos Deus salutaris noster, d Restitue
& [e] auerte iram tuam [f] à nobis. e prop. cessare fac f heb. nobiscum.

6 Nunquid in æternum irascêris
[g] nobis? extendes iram tuam in generationem & generationem? g heb. in nos?

7 Annon tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te?

8 Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

9 Audiam quid loquatur Deus Dominus: quoniam loquetur pacem super plebem suam, & super sanctos suos, & [h] (eos qui) non conuertentur ad stultitiam. h Potiùs ne conuertantur

10 Profectò propinqua (est) timentibus eum salus ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.

11 Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.

12 Veritas de terra germinabit, & iustitia de cælo prospiciet.

l bonum. 13 Etiam Dominus dabit [l] benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustitiam ante se ambulare faciet (quisque,) & ponet in via gressus suos.

14 *Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.*
15 *Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *EGo, omißis breuitatis ergò aliorum sententiis, puto hunc psalmum ad tempus illud referendum, quod reditum ex captiuitate Babylonica est consequutum. Toto enim isto tempore vicinarum gentium odio & aßiduis incursionibus fœlicitas Iudæorum sæpe turbata est, nec modò cultura agrorum, sed etiam templi & vrbis structura non semel est impedita. Nostram sententiam probat ordo psalmi. Nam postquàm beneficium liberationis, ex captiuitate Babylonicà scilicet, tribus versibus persequutus est Psaltes, Deum orat totius populi verbis, iram tandem deponat, faciàtque vt sopitis vndiquaque bellis, & omnimodà salute concessà, sua ipsius misericordia appareat. Inde, à versu scilicet 9. loquitur ferè ad istum modum, & hic altera pars psalmi, in qua de promissa fœlicitate gloriatur. Sed quid, inquit, conqueror pluribus? Præstat Deum ipsum loquentem attentè audire, ac consulere. Is enim dubio procul suæ genti prospera omnia pollicitiurus est, dummodo malis erudita sapiat, sibique caueat in posterum. Ecce igitur id, quod ex oraculo diuino accipio. Non longè à nobis veri Dei cultoribus abest salus, & propè adest tempus, quo regio nostra florebit: quo omne genus virtutum, atque imprimis misericordia & fides, iustitia & concordia studiosè inter nos colentur: quo, inquam, extincta perfidia, quæ omnium pene animos occupauit, reflorescet veritas ac fides: ideòque Deus pro sua iustitia è cælis prospiciet, genus omne boni in nos effundens, terrámque ipsam largis imbribus fœcundans, sic vt illa cultores suos ditet omni frugum copia. Ac tunc quisque Dei benignitate prouocatus iustitiam & rectam rationem, quodcumque aget, ducem sequetur.*

2 *Complacuisti Domine* &c. Vel *Fauore prosequutus es Domine terram tuam*: &c. His tribus versibus beneficium liberationis è captiuitate Babylonica cõmemorat. *Fauore prosequutus es.* D. Hieron. vertit. *Placatus es Domine terræ tuæ.* Pag. *Cõplacuisti* &c. Lat. *Benedixisti* &c. quippe qui græcè legerit Ευλόγησας, pro Ευδόκησας, quo modo omnes ferè Græcos codices, & Interpretes, & auctores habere affirmat Agellius.

3 *Remisisti iniquitatem* &c. Causa namque captiuitatis fuerant peccata. Si quæ reliqua sunt, quæ pertineant ad hunc versum, vide ad vers. 1. & 2. ps. 32.

4 *Mitigasti*, heb. *Abstulisti. Auertisti* te sup. ex Rasi. Ex Ezra & Kimhi vertendum, *auertisti ab irascendo* (putant enim hi חָרוֹן *charon*, esse infinit. modi pro חָרוֹת *charoth*) *furorem tuum.* Chald. vertit *reuersus es ab ira* (seu *vehementia*) *indignationis tuæ.*

5 *Conuerte* (seu *Restitue*) *nos* omnino in pristinum statum. *Deus salutaris noster*, ad verb. *salutis nostræ*; à quo scilicet solo pendet nostra salus.

7 *Annon tu conuersus* (ad verb. *reuertèris*) *viuificabis nos*, hoc est, iterum, vt aliàs, fecisti, viuificabis nos. Verbum שׁוּב *schuß*,

A id est, *reuertendi*, iunctum immediatè cum alio verbo induit naturam aduerbij, vt obseruatum aliàs. Alij explicant *conuersus viuificabis nos*, hoc est, reconciliatus nobis, & mutata sententia tanquam pœnitentia ductus vitam nobis salutémque donabis, tu qui solus potes. *Viuificabis nos*, hoc est, vitam nobis restitues, qui in tantas calamitates, animíque dolores incidimus, vt pene mortui, aut saltem morti addicti videri possimus. *Lætabitur in te*, id est, alacriter & maxima cum lætitia te collaudabit, quasi dicat, tui laudandi occasionem habebit vitæ & saluti restituta.

B 8 *Ostende nobis Domine misericordiam tuã*, &c. Sensus huius versus est, Fac vt tuam benignitatem, & salutarem tuam dexteram experiamur: age nobiscum, precor, pro tua misericordia, non pro tua iustitia: tot enim scelerum reos nos agnoscimus, vt si summo iure nobiscum agere vis, prorsus perire debeamus.

9 *Audiam quid loquatur Deus Dominus*; &c. Incipit altera pars psalmi, in qua corrigit se, quasi dicat, Quid conqueror, aut quid loquor? Quin potius mihi auscultandum est, quid loquatur Deus. Prophetam agere volens ita præfatur. Sic ipse Habacuc cap.

2. 1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum (consistam) super munitionem: & contemplabor, quid dicat in me (Dominus,)* &c. *Loquatur*, addiderunt Græcus & Lat. *in me*, ex loco scilicet Habacuc mox cit. & 2. Sam. 23. *Spiritus Domini loquutus est in me*, in Græco ἐν ἐμοί, in Vulg. tamen *per me*. *Deus* potens scilicet, cuius decretis nulla tanta vis est, quæ possit obsistere, & exitum seu veritatem eius oraculi impedire. *Quoniam loquetur pacem* &c. Ratio cur Deum velit audire aut consulere. *Quoniam*, inquit, *loquetur pacem*, i. tandem nobiscum redibit in gratiam promittens prosperum statum ac felicē. *Super* vel *ad*. Quòd אֶל *el, ad*, significet interdum *super*, vide ad vers. 27. ps. 69. *Super sanctos* seu *pios suos*, hoc est, eos qui piè & sanctè ipsum colunt. *Et (eos qui) non conuertentur ad stultitiam*, hoc est, idololatriam, ad quam hostes nos quotidie sollicitant, & ad quam nonnulli è nostris interdum turpiter deficiunt metu mortis & periculorum. Potes vertere, & fortasse melius est, *& ne conuertantur ad stultitiam*, quasi hoc etiam sit quod loquetur Deus, sensúsque sit, *loquetur pacem* &c. *&* (sup. loquetur,) *ne conuertantur ad stultitiam*, hoc est, Israëlitæ malo admoniti deinceps desinant stultè agere, deinceps discant sapere. Græc. & Lat. longè discedunt ab Hebræorum lectione hodierna: quin & hîc præter morem non conueniunt inter se: ille enim habet, καὶ ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας καρδίαν ἐπ᾽ αὐτόν: hic verò, *& in eos qui conuertuntur ad cor*. Vterque legit pro אֶל־יָשׁוּבוּ *al iaschuuu, & non conuertentur*, אֶלֵי שָׁבֵי *ele schaue, ad* vel *super eos qui conuertunt* vel *conuertuntur*. Ille pro לְכִסְלָה *lechisla*, diuisis dictionibus, & בם pro כם, sic, לִבָּם לוֹ seu לה *libbam lo*, id est, *cor suum ad ipsum*: hic verò, vt existimo, duabus quoque vocibus, & solum ב pro כ, sic, לֵב סֶלָה *leu sela*, hoc est, *cor, Sela*, quæ vox musica est, de qua aliàs dictum. Quoquo modo vertas, eadem pene sententia efficitur. Nam *non conuerti ad stultitiam, conuertere cor ad* Deum, & *conuerti ad cor* idem sunt: *conuerti* enim *ad cor* nihil aliud est quàm ad se redire, ac seriò & ex animo resipiscere.

10 *Profectò propinqua (est) timentibus eũ salus ipsius*: &c. Etsi quæ in hoc & sequentibus versibus Psaltes, vt vates, pronuntiat, ad tempus aliquod referri possunt, quando restituta quodammodo post captiuitatem Babylonicam libertate, & sublata vastitate, quam effecerant assidua bella, floruit status reipublicæ: nihilominus tamen fatendum est, nec repugnant Hebræi, hæc omnia ad illud tempus præsertim pertinere, quando *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* (Ioh. 1) *Profectò propinqua (est) timentibus eum salus ipsius* Dei per Christum. Edisserit nunc, quæ ex oraculo diuino accepit. *Vt inhabitet gloria* &c. Verbo *inhabitandi* significare voluit illam fœlicitatem aut gloriam non fore momentaneam, sed firmam & durabilem. Manifestum est igitur hanc promissionem ad regnum Christi esse referendam, cuius regni summa gloria est, eáque perpetua, quòd assiduè Deum habet præsentem, à quo ita seruatur & defenditur, vt aduersus ipsum portæ inferi præualere non possint. Plerique Hebræorum, in quibus Kimhi, per *gloriam* hoc loco Deum seu diuinam maiestatem intelligunt, quam negant habitasse in domo secunda, hoc est, in Templo post captiuitatem Babylonicam extructo, sed in tertio, quod per Redemptorem, hoc est Messiam, extruendum frustra iamdiu sperant, habitaturam, vt in primo, affirmant.

11 *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi*: &c. Non dubium est quin præterita in hoc versu pro futuris more prophetico sint vsurpata: id quod probant verba futuri temp. in versibus qui sequuntur. Dicere vult igitur, Certò futurum prædico, vt sopitis bellis, & restituta pace, misericordia, veritas, iustitia, & cõcordia studiosè colantur. Per *misericordiam* intelligit beneficentiam, per *veritatem* fidem in pactis, per *iustitiam* iudiciorum authoritatem, per *pacem* animorum concordiam: quibus omnibus nullus est in bello locus, vt quotidiana experientia demonstrat. Cæterùm notanda loquutio, qua significat prædictarum virtutum summam fore coniunctionem. Primò enim ait misericordiam & veritatem sibi obuiam occursuras, seséque mutuò excepturas. Optimè hoc: harum enim duarum virtutum vna absque altera prorsus esse non potest. Deinde ait iustitiam, & pacem sese osculaturas. Optimè & hoc. Nam iustitia & pax ita inter se agglutinatæ sunt, eóque vinculo inter se coniunctæ, vt vbi non est iustitia, ibi non sit pax, & contrà. Posterior loquutio *osculatæ sunt*, ex consuetudine Orientalium, hodiéque apud nos vsitata, sumpta est, qui occurrentem amanter excepturi exosculabantur. Ita Luc. 15. Pater prodigi, quum illum adhuc procul absentem conspicatus esset, *misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est.* Verùm haud scio an vllum post captiuitatem Babylonicam tempus fuerit, lõgum saltem, ad quod hæc, quæ diximus, accommodari possint. Lyranus igitur hunc versum de Christo

ſic exponit: *Miſericordia & veritas obuia-* A
uerunt ſibi, id eſt, ſimul conuenerunt in per-
ſonâ Chriſti: quia ex Dei miſericordiâ Ver-
bum aſſumpſit carnem ad complendum ve-
ritatem promiſſionis factæ patribus veteris
teſtamenti de incarnatione Filij Dei. *In-
ſtitia & pax oſculatæ ſunt*, quia Chriſtus
in ſua paſſione ſatisfecit pro nobis per viam
iuſtitiæ: quam iuſtitiam ſtatim pax fuit oſ-
culata: quia per ſuum ſanguinem pacifica-
uit ea, quæ ſunt in cælis & in terra, Co-
loſſ. 1. Hactenus Lyranus. Hebræorum
quoque multi, in quibus Kimhi, de Chri- B
ſto hos verſus interpretantur, ſed frigidè,
vt qui Chriſti myſteria ignorent, rebellan-
Iob 24. 13. tes lumini, & neſcientes vias eius, nec
Iob 11.15 ſtantes in ſemitis eius, ſed errantes quaſi
ebrij.

12 *Veritas de terra germinabit*, &c. Huius
verſus, mea quidem opinione, hæc eſt ſen-
tentia, Futurum eſt, inquam, vt veritas ſeu
fides quaſi flos è terrâ germinet, hoc eſt,
reuiuiſcat veritas inter mortales, quæ bel-
lorum iniuriâ prorſus videbatur extincta. C
Ac tunc Deus cernens homines virtutis
ſtudio deditos, ijs pro ſua iuſtitia è cælis
proſpiciet ac prouidebit, terram etiam ip-
ſam omni bonorum genere fœcundans:
quò pertinet ſequens verſus, *Etiam Do-
minus dabit benignitatem*, ſeu *bonum, & ter-
ra* &c. Quòd per *iuſtitiam* in hoc verſu in-
telligenda ſit Dei iuſtitia, liquet ex eo
quod eſt additum, *de cælo*. Quòd iterum
veritatis fiat mentio, hac de cauſa fortaſſe
factum, quòd, quo tempore ſcriptus eſt hic
Pſalmus, maximè laboraretur perfidia. D
Quamquam *veritatis* nomine intelligi
poſſunt omnes virtutes ſynecdochicôs:
omnes quippe virtutes inter ſe fœderatæ
ſunt, vt vna ſine aliis ægrè nomen ſuum
obtineat. De Chriſto ſic porrò hunc ver-
ſum explicat Lyranus: *Veritas*, id eſt,
Chriſtus, qui dicit de ſeipſo Ioh. 14. *Ego
ſum via, veritas, & vita. De terra orta eſt*,
id eſt, de virgine, quæ terra vocatur, Eſaiæ
45. *Aperiatur terra, & germinet Saluato-
rem*: illa enim, quæ oriuntur de terra, non
oriuntur ex commixtione maris & fœmi-
næ. Sic beata Virgo concepit & peperit ſi- E
ne virili conſortio: & propter hoc de iſto
conceptu & ortu prædixit Eſa. 53. *Aſcendet
ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de
terra ſitienti*, id eſt, de Virgine non fœcun-
data ſemine virili: & ſecundùm Doctores
Catholicos & Hebræos antiquos cap. 53um
Eſaiæ loquitur de Chriſto, ſicut magis de-
clarabitur ibidem, Domino concedente.

Et iuſtitia de cælo proſpexit, id eſt, Pater
iuſtus, vel tota Trinitas diſpoſuit vt Dei
Filius acciperet de virgine carnem, vt ſic
per viam iuſtitiæ homo verus ſatisfaceret,
ſicut primus homo Deum offendit. Ha-
ctenus Lyran.

13 *Etiam Dominus dabit benignitatem* ſeu
bonum. Senſus, Deus variis etiam corporis
bonis Gentis ſuæ pietatem tunc remunera-
bit. Tenendum hoc loco illud Apoſt. 1. Ti-
moth. 4. *pietas ad omnia vtilis eſt, promiſ-
ſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*.
Raſi, Ezra, Kimhi, & alij Hebræorum
propter ſequens membrum per *bonum* hîc
intelligunt pluuiam ex loco Deut. 28. 12.
*Aperiet Dominus tibi theſaurum ſuum opti-
mum, cælum, vt det pluuiam terræ tuæ* (in
gen.) *in tempore ſuo*. De Chriſto ſic ex
Card. Bellarmino ferè hunc verſum acci-
pio: *Etiam Dominus dabit benignitatem*, id
eſt, emittet de cœlo Spiritum ſanctum
ſuum, qui Virginem obumbrabit, & ſic
terra noſtra neque arata, neque ſata, ſed
omnino Virgo intacta, ac ſolo Spiritu ſan-
cto, quaſi pluuia, fœcundata dabit fru-
ctum ſuum, quo modo terra flores in agris
abſque hominum cultura ſola pluuia & ra-
diis ſolaribus fœcundata profert.

14 *Iuſtitiam ante ſe ambulare faciet* quiſ-
que. Sic mihi viſum eſt vertendum, vt ſit
ſenſus, Quiſque denique tunc Dei beni-
gnitate inuitatus, quodcumque agere aut
ſuſcipere volet, iuſtitiam ſibi ſemper ob
oculos proponet, eamque, quaſi quæ fa-
cem in tenebris huius vitæ præferat, ſibi
præmittet: poſteáque *ponet in via* (heb. *ad
viam*) *greſſus ſuos*, id eſt, ſe accinget itineri,
& opus aggredietur. Per *iuſtitiam* hoc lo-
co intellige in genere rectam rationem, quę
iuſta eſt viuendi norma ac regula. In Grę-
co & Lat. *Iuſtitia ante eum ambulabit*.
Nam יְהַלֵּךְ *iehallech*, poteſt eſſe trāſitiuum
& intranſitiuum. Lyranus per *Iuſtitiam*
intelligi vult Ioannem Baptiſtam, (Chriſti
ſcilicet Præcurſorem) qui dicatur *Iuſtitia*,
eò quòd pœnitentiam prædicauit, per
quam fit, vt ipſe loquitur, iuſtitia de offen-
ſis commiſſis: propter quod dicit Saluator
Matth. 21. *Venit ad vos Iohannes in via
iuſtitiæ*. Addit, Et quia non ſolùm iuſtitiam
pœnitentiæ prædicauit, ſed etiam primò
ipſam tenuit in aſperitate veſtitus, & parci-
tate victus, ſecundùm quod dicitur Matth.
3. *Iohannes habebat veſtimentum de pilis
camelorum, & zonam pelliceam circa lum-
bos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ & mel
ſylueſtre*, ideo ſubditur, *& ponet in via*, ſci-
licet pœnitentiæ, *greſſus ſuos*, vt facto
oſtenderet in ſeipſo, quod aliis prædica-
ret verbo.

PSALMVS

LXXXV. LXXXVI.

VERSIO

VETVS.

ORATIO *ipsi Dauid.* *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me : quoniam inops & pauper sum ego.*

2 *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te.*

3 *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.*

4 *Quoniam tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.*

5 *Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.*

6 *In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.*

7 *Non est similis tui in diis Domine: & non est secundùm opera tua.*

8 *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.*

9 *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.*

10 *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.*

11 *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.*

12 *Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

NOVA.

ORATIO ipsius Dauidis. Inclina Domine aurem tuam, exaudi me: quoniam inops & pauper (sum) ego.

2 Custodi animam meam, quoniam [a] sanctus sum: saluum fac seruum tuum, tu Deus meus, sperantem in te.

3 Miserere mei Domine, quoniam ad te clamo [b] tota die.

4 Lætifica animam serui tui: quoniam ad te Domine animam meam [c] leuaui.

5 Quoniam tu Domine [d] suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

6 Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci [e] deprecationis meæ.

7 In die tribulationis meæ [f] clamaui ad te, quia [g] exaudisti me.

8 Non (est) similis tui in diis Domine, & non (est) secundùm opera tua.

9 Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

10 Quoniam magnus (es) tu, & faciens mirabilia: tu (es) Deus solus.

11 Doce me Domine viam tuam; ambulem in veritate tua: vni cor meũ vt timeat nomen tuum.

12 Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

13 Quia misericordia tua magna (est) super me, & eruisti animam meam ex [h] inferno inferiori.

a *pius*
b vel *omni*
c *leuo.*
d prop. *bonus & propitius,*
e heb. *deprecationũ mearum.*
f *clamo*
g *exaudis*
h *sepulchro*

i contra l cógregatio m truculentorum 14 Deus, superbi insurrexerunt [i] super me, & [l] synagoga [m] potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

15 Et tu (es) Domine Deus miserator, & misericors: patiens, & multæ n heb. veritatis. misericordiæ, & [n] verax.

o heb. ad p servo 16 Respice [o] in me, & miserere mei; da robur tuum [p] puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.

17 Fac mecum signum in bonum, q & [q] vt videant qui oderunt me, & confundantur: quòd tu Domine adiuueris me, & consolatus fueris me.

13 *Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.*

14 *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.*

15 *Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.*

17 *Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.*

COMMENTARIVS.

Argumentū. PSALMVS *hic cuius sit, & quale habeat argumentum, indicat titulus. Nam inscribitur* Oratio ipsius Dauidis. *Vnde perspicuum fit hoc carmine contineri precationem, quam scilicet ad Deum fudit Dauid, quum adhuc, vt censet* Kimhi, *aulà Saulis exularet, ipsumque fugitaret. Apparet quodammodo hoc ex eo quòd se in primo versu inopem & pauperem vocat. Toto enim tempore, quo exulauit, vix habuit vnde victitaret, ac nisi cognati, & qui è tribu Iudæ erant, clàm subuenissent, sæpe illi pereundum fuisset fame. Et in Siceleg, quem locum ei ad incolendum Achis rex Geth donauerat, commorans, inde clancularijs incursionibus vicinos infestabat, magnas iumentorum & camelorum prædas abigens, quò nimirum ipse omnium rerum inops haberet, vnde cum suis miseram vitam sustentaret. Vide, si vis, illam historiam 1. Sam. 27. Hic psalmus porrò constat ex pluribus partibus. In priore petit Dauid, & ardenter quidem, ac sæpe, se exaudiri, seruari, defendi & iuuari à Deo in præsentibus ærumnis ac periculis, quòd nimirum sentiat valde se imbecillem, ideòque in vno Deo spem ponat, quem non modò bonum esse & mitem erga illos, qui eius opem implorant, sed & potentem, & solum ex ijs, qui dij nominantur, mirificorum operum effectorem cognoscat. Si seruetur, fore ait vt omnes Gentes, vel saltem aliqui ex omnibus Gentibus eiusmodi miraculo exciti Deum veniant adoratum, abdicatis falsis numinibus. Quanquam hic crederem potiùs inseri vaticinium de Gentium vocatione, & loco quidem, vt dicetur in Comment. Hinc transit ad aliam partem, in qua postulat à Deo ea scientia & robore instrui, per quæ perferre fortiter poßit imminentia mala. Inde artificio rhetorico, vt se Deo præteritorum beneficiorum memorem probet, sicque ipsum faciliùs ad opem ferendam in præsentibus malis prouocet, ea beneficia seriò ac perpetuò celebraturum promittit. Postremò Dei opem iterum imploraturus, hostium ferociam, multitudinem, truculentiam, crudelitatem, & impietatem vna ex parte Deo proponit, ex altera verò, eius clementiam, lenitatem, & in seruandis promissis constantiam extollit.*

1 *Inclina Domine aurem tuam, exaudi me.* Propositio psalmi, quæ subinde postea repetitur, & variatur: est enim precatio ardentissima. *Quia inops & pauper* &c. Prima ratio propositionis sumpta à necessitate, seu ab obiecto, cuius intuitu sperat Dei opem se impetraturum. Naturæ Dei propriū est miseris succurrere. Probat hoc illud Es. 66.2. *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* *Inops & pauper.* Bis idem ad exag- A gerandum. Imò in Hebræo vox posterior priore fortior est, vt alibi notatum, ad vers. 21. psal. 74. Repete quæ dicta sunt in Argumento.

2 *Custodi animam meam.* Animam dixit, quoniā nouerat vitam suam peti. *Quoniam sanctus* seu *pius sum*, hoc est, sanctè & piè tuum numen veneror & colo, ac seruus tuus sum, vti mox in hoc eodem versu profitetur. Absit vt Dauid apud Deum ineptè superbiat, affirmans se culpæ omnis aut offensæ expertem. Tantùm ait se religiosè & sanctè, vt potest, Deum colere, ac vereri.

Tu, emphaticè, *Deus* & iudex *meus*, hoc est, tu, inquam, cuius est officium me innocentem ac nihil de hostibus malè meritum defendere. *In te.* Ad verb. *ad te.* Verùm Kimhi probat ex Exo. 25. 16. אֶל *el* particulam interdum *in* significare. Sunt qui, teste Ezra, existimantes שָׁמְרָה *schamera*, esse præt. temporis, exponant, *Custodiuit anima mea* id, quod est custodiendum. Non malè cohærebit id, quod subsequitur. Ezra & Kimhi censent prædictum verbum esse imper. modi, etsi, inquit Kimhi, sub ש sit latum cum accentu rhetorico ad dilatandum tonum musicum.

3 *Miserere mei* &c. Verbum *miserere* efficax est & potens apud Deum, cuius nomen clemens, & misericors, &c. *Quoniam ad te* solum *clamo tota*, vel ex Kimhi, *omni die*. Ostendit hoc Deum assiduè esse orandum. Nimis enim frigidus est, qui vnâ prece defunctus, nisi Deus exaudiat, deficit, & fiduciam abiicit.

4 *Lætifica animam serui tui*, quæ nunc in mœrore & tristitia iacet. *Ad te animam meam leuaui*, id est, ad te vnum respicio, in te vno spem pono. *Animam suam leuare ad aliquid*, est totam spem suam in re aliqua ponere. Occurrit hæc locutio Deut. 24. 15. *& ad eam leuat animam suam*, hoc est, totam spem in ea ponit. Paulò aliter hic est in Vulgata. Ier. 22. 27. *Et in terram, ad quam ipsi leuant animam suam, vt reuertantur illuc*, hoc est, ad quam cupidè inhiant, & summis votis redire exoptant. Ex Kimhi potest etiam, *animam suam leuare ad Deum*, vsurpari pro toto corde Deum precari: quo sensu dicitur Thren. 3. 41. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Gallicè *leuer son ame ou son cœur à Dieu.* Hæc phrasis iam explicata est ad vers. 1. ps. 25.

5 *Suauis*, prop. *bonus*, bonis, imò omnibus, ex illo ps. 145. 9. *Suauis (Bonus) Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* *Et mitis*, heb. *propitius* seu *parcens* ac facilis ad ignoscendum peccatoribus. *Omnibus innocantibus te* suis in malis, etsi antè peccauerint, modò resipiscant, & ad te confugiant, ac verè se conuertant. Hæc summa huius versus: Æquum est, etsi hæc mala meritus sum, vt me inuocantem exaudias, qui nullius synceras respuis preces.

6 *Auribus percipe* &c. Sua vota quum toties ac subinde repetit, ostendit se tunc fuisse in summo discrimine: ac deinde nos admonere vult assiduè Deum orare in malis, nec fatiscere, si mox precibus non annuat. Tenere profectò omnes debent multùm valere deprecationem iusti assiduam, & sacrificium boni odoris esse apud Deum flagitandi importunitatem: tantùm abest vt illi sit grauis ac molesta. Christus sanè apud D. Lucam cap. 18. parabolâ viduæ cuiusdam, quæ vel à nefario iudice postulatum importunitate extorsit, docet Deum sine intermissione esse orandum. Adde quòd mulier Chananæa importuna flagitatione à Christo tandem postulatum expressit.

Iacobi 5.

7 *In die tribulationis* &c. Sensus, Non quò tentem, aut experiar te, neque de nihilo te inuoco, sed vrgentibus periculis. *Clamaui.* In Fonte verbum est fut. temp. pro soleo clamare. *Exaudisti.* In Fonte verbum quoque fut. temp. pro soles exaudire. Potes tamen vtrumque verbum in futuro vertere, perinde ac si diceret, Certum est, quicquid aduersi accidat, tamen opem implorare: certò enim scio te me exauditurum. Nam quicumque te synceto animo orat, tu illum exaudis. Neque tu es sicut falsa illa numina, quę frustra à suis cultoribus quotidie coluntur & rogantur: ac nullus deorum sicut tu: hùcque pertinet sequens versus.

8 *Non (est) similis tui in dijs* Domine, &c. Venditent & iactent, quantum voluerint, idololatræ suorum deorum potentiam, hæc & illa opera præstigijs aut somnijs delusi ijs accepta referant: nunquam tamen probabunt deos esse tui similes. Et quàm sæpe idolorum cultores inuocant nomen Baal à mane vsque ad meridiem, dicentes, Baal, exaudi nos: nec interim est vox, nec qui respōdeat, vt cùm Elia 3. Reg. 18. 27. ijs iure merito aliquis sic possit illudere, *Clamate voce maiore: deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, (* paulò aliter in Hebræo *) aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* *Non (est) similis tui &c.* Refer huc illud Mosis Deut. 4. 7. *Quæ enim (est) natio (tam) grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* *Et non (est) secundum opera tua*, hoc est, in ijs, qui tecum paria faciat nullus est: nullus, qui possit imitari opera tua.

9 *Omnes gentes quascumque fecisti*, &c. Sensum hunc aliqui esse volunt, Nulla gens in terris est, quæ quum audierit è maximis ærumnis me à te liberatum, cùm nullius ope niterer, præterquàm tuâ vnius, non veniat te adoratum, & prædicatum tuum nomen, falsis abdicatis numinibus. Simile est fermè ps. 22. 28. quod mox citabitur. Sed vbi legimus omnes gentes, vel saltem aliquos ex omnibus Gentibus Dauidis salute ac liberatione excitos Deum coluisse? Poterit existimare aliquis hæc oratio-

rie tantùm ad exorandum Dominum dici, non prophetice. Meliùs qui prophetiam conuerſionis & vocationis Gentium hoc verſu contineri putant, quando, vt eſt pſ. 22. 28. *Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu tuo vniuerſæ familiæ Gentium:* quando Deus, vt eſt Eſ. 43. 5. ab Oriente adducet ſemen Iſraël, & ab Occidente congregabit illud, & dicet *Aquiloni, Da, & Auſtro, Noli prohibere: affer (adduc) filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ*: quando, vt eſt ibidem, verſu 9. omnes gentes congregabuntur ſimul, & colligentur populi: quando, vt ait Zacharias cap. 14. 9. *erit Dominus Rex ſuper omnem terram*, & *erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*. At iſthæc prophetia minimè eſt ad rem. Eſt. Nam poſtquàm de Dei potentiâ dixit, ſic ait, Verum me dicere euentus ipſe oſtendet: futurum eſt enim tandem vt omnes gentes te ſolum colant, tuā vnius potentiam prædicent, repudiata ſuperſtitione, & à Chriſto ad veram religionem & pietatem perducantur. *Quaſcumque feciſti*. Aptè additum hoc. Gentes Dei ſunt creatura non minùs quàm Iudæi. Ergò æquum erat vt ad ſocietatem regni cæleſtis tandem vocarentur, omneſque Deum cognoſcerent. Huc pertinet illud Eſ. mox cit. cap. 43. 7. *Omnem qui vocatur in nomine meo, & ad gloriam meam creaui eum, formaui eum, etiā finxi eum. Venient*, ſcilicet vocatæ per Chriſtum.

10 *Quoniam magnus (es)* &c. Omnes Gentes venient te adoratum, quia intelligent & cognoſcent vel ex miraculo meæ liberationis, vel ex Chriſti Euangelio, te verè magnum eſſe, ac potentem, imò te ſolum Deum eſſe.

11 *Doce me Domine viam tuam*, id eſt, Fac nunc vt intelligam, qua ratione te geris cū tuis, quo modo illos interdum affligi ſinis ad exercendam eorum patientiam, aut caſtigandam proteruitatem: fac, inquam, vt hoc nunc intelligam, ac ſentiam, ne fractus magnitudine periculorum, aut calamitatum mole oppreſſus à te deficiam. Eòdem pertinet id, quod ſequitur, *ambulem in veritate tua*, id eſt, fac vt ſemper & totum me componam ad normam verbi tui, quod qui ſequitur, errare aut labi nunquam poteſt. *Viam tuam*, hoc eſt, tuam agendi rationē. Sic Deut. 32. 4. *omnes viæ Dei iudicium*, hoc eſt, quicquid agit, iuſtum eſt & æquum. Pſ. 67. 3. *Vt cognoſcant in terra viam tuam* Potes, & eòdem ſenſus recidet, hoc loco per *viam Dei* intelligere verbum diuinitus patefactum, quod normam agendi ac viuendi præſcribit, ac veluti iter monſtrat. Sic

A pſ. 18. 22. *Quia cuſtodiui vias Domini.* Pſ. 27. 11 *Doce me Domine viam tuam.* Pſ. 119. 33. *Doce me Domine viam ſtatutorum tuorum.* *Vni* ſeu *aduna*, atque ita cōpone *cor meum*, vt non feratur huc & illuc, ſed tibi ſoli adhæreat, & *timeat nomen tuum*, id eſt, te. Potes interpretari, *vni cor meum ad timendum nomen tuum*, hoc eſt, fac vt non ſcindatur cor meum, vt non ſim duplici aut multiplici corde, dum te colo, hoc eſt denique, fac vt animo integro te colam, néue vlla de cauſſa à te vnquam deficiam. Græcus & Latinus verterunt *lætetur cor meum* &c. Legerunt
B quippe ex חָדָה *chadha*, quod eſt *lætari*, יִחַד *ijchad*, quod occurrit Exo. 18. 9. pro יַחֵד *iachedh*, id eſt, *vni*, quod Symm. vertit ἕνωσον.

12 *Confitebor tibi Domine* &c. Nunc, quò magis Deum ad opem ferendam prouocet, præteritorum beneficiorum memorem ſe oſtendit, eáque perpetuò celebraturum pollicetur. Sunt qui Dauidem exiſtiment inter preces opem Dei ac præſentiam ſenſiſſe, ideóque, id quod non ſemel facit in Pſalmis, quaſi perfunctum iam malis Deo gratitudinem polliceri. Verùm prius magis eſt in promptu. De gentibus dixerat *glorificabūt*
C ſimpliciter, de ſe ait amplificās *glorificabo in æternum*, hoc eſt, nunquam deſinam, quoad viuam, celebrare &c. Hoc ex Ezra.

13 *Quia miſericordia tua magna (eſt) ſuper me*, hoc eſt, Toties enim iam, vel in his malis, immenſam bonitatē tuam erga me ſum expertus. *Eruiſti* ſæpe aliâs, vel toties iam *animam meam* è manu inimicorum, huius etiam Saulis, & aſſeclarum, qui meæ vitæ inſidiantur, quò pertinet quod mox ſequitur, *ex inferno* ſeu *ſepulchro inferiori*: vbi addidit *inferiori* ad amplificandum. Sic
D Prou. 9. 18. *in profundis inferni hoſpites* ſeu *inuitati* (Vulg. *conuiuæ*) *eius*. Per *ſepulchrum* autē *inferius* vult notare grauiſſima pericula, ac mortem certam & manifeſtam. *Eruiſti*. Ex Kimhi hîc poteſt eſſe præt. pro fut. more prophetico. Sunt, inquit Kimhi, qui per *ſepulchrum inferius* Gehennam intelligant. Annotabo quod habet Raſi, etſi eſt præter noſtrum argumentum: *Ex inferno inferiori*. Adulteri in profundum inferni detruduntur: tu autem inde me eruiſti, quū mihi dixit Nathan, *Dominus quoque tran*-
E *ſtulit peccatum tuum*. 2. Sam. 12. 13.

14 *Deus, ſuperbi inſurrexerunt* &c. Dauid iterum Dei opem efflagitaturus argumentum ducit primò à periculi magnitudine, videlicet à ſuperbia, multitudine, truculentiâ, crudelitate, & impietate hoſtium: deinde à Dei naturâ, vt dicetur ad verſ. ſequentem. *Non propoſuerunt* ſeu *poſuerunt te* &c. hoc eſt, non cogitant quòd ſit Deus vindex ſcelerum, ideóque in me

crudeliter sæuiunt impunitatem sperantes.

15 *Et tu (es) Domine Deus* &c. Aliud argumentum sumptum à natura Dei, qui verè sit misericors, patiens & lentus, clemens idemque verax. Sumptus est hic versus ex Ex.34.6. *Verax*, hoc est, seruās promissi. Promiserat autem Deus Dauidi regnum. Promisit & opem ad se confugientibus. Quî differant *misericordia* & *veritas* iam sæpe dictum. Vide ad vers.10.ps.25.

16 *Respice in (ad) me*, &c. Cùm tot, támque feroces hostes adorti me sint, túque sis misericors & clemens, ad iram tardus, & verax, tuum est mei misereri, ac quod deliqui, ignoscere, & promissum regnum tandem tradere. *Robur*. Lat. habet *imperium*. At Græcus κράτος. *Filium ancillæ tuæ*, id est, vernam. Hoc dicit ad exaggerandam seruitutis conditionem. Audi quid dicat ad hoc Rasi. Filius ancillæ, inquit, summissiùs se gerit erga Dominum, quàm seruus emptitius, siquidem ille domi nascitur, & in sinu heri educatur. Non possum præterire id quod habet Kimhi. Mentionem facit matris, quoniam ipsa præcipuas partes obtinet in filij procreatione: ac sic idem Dauid ps. 116 16. *ego seruus tuus, ego seruus tuus filius ancillæ tuæ*. Nam

A in vtero materno fœtus efformatur atque enutritur, ibique ad certum tempus sensim crescit atque augescit: & vbi in lucem exiit, matris vberibus alitur. Ex quo fit vt filij naturam & ingenium matrum magis referant quàm patrum: ideóque dicitur de Regibus Israël, *& nomen matris eius*, quò detur intelligi vt plurimùm filium sic se gerere, quemadmodum se gessit mater, eiusque mores præsertim imitari. Licet enim actiones hominis, siue bonæ, siue malæ, à libero sint arbitrio, necnon ab assuetudine

B atque educatione, nonnullæ tamen sunt, quæ ex naturâ & modo procreationis pendent. Idcirco hîc ait *seruo tuo*, & *filium ancillæ tuæ*, duobus modis seruitutis conditionem exprimens, quasi vellet significare se Dei seruum esse, & quòd seipsum in seruitutem tradiderit, & quòd naturâ talis sit, quippe qui ex matre ancillâ Dei ortus sit. Sic ferè ille.

17 *Fac mecum signum in bonum*, &c. hoc

C est, Ede palàm illustre aliquod exemplum tuæ erga me bonitatis, vt vel inimici mei fateri cogantur me tibi charissimum esse. Vel, Ede insigne aliquod miraculum meâ caussâ, regnum tandem, quod es pollicitus, in manum tradens.

PSALMVS

LXXXVI. LXXXVII.

VERSIO

VETVS.

FILIIS *Core, Psalmus Cantici.*

Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

2 *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.*

3 *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me.*

4 *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

5 *Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?*

6 *Dominus narrabit in scripturis*

NOVA.

[a] FILIIS Core Psalmus Cantici. a vel Filiorum

Fundamentum eius in montibus sanctis.

2 Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

3 Gloriosa [b] dicta sunt de te, ciuitas Dei. b dicuntur

4 Memoro Raab, & [c] Babylonem cognoscentibus me; ecce Palæstina, & Tyrus cum Æthiopia: iste natus est ibi. c Babyloniam

5 Et de Sion dicetur, [d] Homo & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus. d Vir & vir

6 Dominus numerabit in [e] scripturis e heb. describendo populos,

populorum, Iste natus est ibi.

7 Et cantores vt tibicines: omnes fontes mei in te.

populorum, & principum: horum, qui fuerunt in ea.

7 *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

COMMENTARIVS.

Argumentū.

DIFFICILE *est certò statuere quando scriptus sit hic Psalmus. Propter hæc verba tit.* Filiis *vel* Filiorum Core, *de quibus vide ad Ps. 42. Kimhi existimat Dauidem huius carminis esse authorem, qui ipsum filijs Core decantandum tradiderit, vel ipsosmet filios Core. Quo tempore, non statuit, neque hac de re, vt quæ ad intelligendum Psalmum nihil aut parum pertineat, magnopere est laborandum. Ego probabiliùs censeo Coritas, vel potiùs quempiam ex illis, incertum quem, hunc Psalmum edidisse. Cur sic sentiam, mox audies. Ex his verbis,* Fundamentum eius, *Psalmi cantici scilicet,* in montibus sanctis, *facilè conijci potest de argumento. Nam istis verbis nihil aliud significari puto, quàm huius Psalmi materiam versari* in montibus sanctis, *hoc est, in celebrandis laudibus vrbis Hierosolymæ, quæ ex duobus montibus, Sion, in quo arx regia, & Moria, in quo Templum, coaluerat, quorum montium vterque sanctus fuit: ille propter Arcam Domini in eo à Dauide repositam, hic ob extructum in eo Templum, vel, si Dauidi psalmum placet adscribere, extruendum, sicuti traditione, quemadmodum ex Hebræis alibi docuimus, credebatur. Haud absurdè tamen dicet aliquis per* montes sanctos *hic intelligendos vniuersos vicinos montes, qui Hierosolymam cingerent, putà montem oliuarum, & alios, qui omnes sanctorum montium propinquitate ac vicinitate iure merito sancti censeri poterant. Sed melius, & magis in promptu, meo quidem iudicio, per* montes sanctos *intelligere Sion, & Moriam, illum, vt dictum est, Arcæ domicilio, hunc Templi extructione consecratum. Vnde hunc Psalmum Dauidi haud tribuerim, sed Coritis, vel potiùs illorum alicui, qui, extructo iam templo, ipsum ediderit ac cecinerit. Si quis tamen aliter sentire volet, per me licet. Breue est, sed insigne hoc carmen, quo celebratur vrbs Hierosolyma. Ad Ecclesiam Christi, cuius illa vrbs vmbra fuit, Græci & Latini interpretes ferme omnes hunc Psalmum transferunt, piè quidem & fœliciter. In hoc porrò psalmo magnæ vbique tenebræ.*

1 *Psalmus Cantici.* Hoc sunt qui interpretentur psalmum in eum vsum compositum, vt publicè in Templo & sacro cœtu decantaretur. Nihil certi. *Fundamentum eius*, supple ex Hebræis *Psalmi.* Malè qui censent esse hoc loco relatiuum absque antecedente, & subaudiendum esse *vrbis.* Nã pronomen in Hebræo, & Græco est masc. gen. ideóque referri non potest ad nomen vrbis, quod in consuetudine & Hebraici & Græci idiomatis fœminei est generis. Reliqua, quæ ad hunc versum pertinent, exposita sunt in Arg.

2 *Diligit Dominus portas Sion*, hoc est, vrbem Hierosolymam: est enim cùm in voce *portas*, tum in voce *Sion* synecdoche. In portis ciuitatum fiebant conuentus, & iudicia, vt patet ex Deut. 25. 7. Ruth 4. 11. Sion autem præcipua erat vrbis pars. Vnde per *portas Sion*, vt præcipuam vrbis partem, synecdochicũs hoc loco totam vrbem oportet intelligere. Sensus huius versus hic est, Etsi omnia Israëlitarum tabernacula, adeóque omnes illorum ciuitates diligit Deus, dicente Balaam Num. 24. 5. *Quàm*

A *pulchra tabernacula tua Iacob: habitacula tua Israël!* præcipuo tamen amore prosequitur vrbem Hierosolymam. Consonat sententiæ huius versus illud ps. 78. 67. & 68. *Et repulit tabernaculum Ioseph, & Tribum Ephraim non elegit. Sed elegit Tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.*

3 *Gloriosa dicta sunt*, seu *dicuntur* &c. Apostrophe ad Hierosolymam, quam *ciuitatem Dei* vocat, quòd in ea sibi Deus domicilium templúmque fixisset. *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.* Ps 132. 13. Multa, inquit, præclara dicuntur de te,

B ô Ciuitas Dei ac Regis magni. Kimhi ad hunc versum obseruat longè præstare vrbem Hierosolymã cæteris regionibus. Nã, inquit, terra habitabilis in septem partes diuiditur, in media autem parte sita est Hierosolyma, adeóque in media terra habitabili: quo modo dicitur Ezech. 38. 12. *habitantes in vmbilico terræ.* Idcirco, inquit, optima est eius aëris temperies, cùm ad corporis valetudinem, tùm ad sapientiam acquirendam: quò pertinet illud ps. 48. 3. *Pulcher situ, gaudium vniuersæ terræ mons Sion.*

Temperie cæli corpusque animusque iuuatur.

Necnon

Necnon veterum Hebræorum illud, *Aër terræ Iſraël ſapientem reddit.*
4 *Memoro* ſeu *Memorare ſoleo* (eſt enim
in fonte verbum fut.) *Raab, & Babylonem*
ſeu *Babyloniam cognoſcentibus me.* Verba
ſunt Pſaltis. In ſermonibus, inquit, & col-
loquiis amicorum & popularium Ægypti
& Babyloniæ laudes commemorare inter-
dum ſoleo. Eódem & ſpectat quod ſubſe-
quitur, *Ecce Palæſtina, & Tyrus cum Æ-
thiopia*, quæ ſcilicet aliquid eſſe videntur,
& ipſæ mirificè ſeſe oſtentant. Verùm, vt
vel tantùm ſpectemus dignitatem, quæ pro-
uinciis & vrbibus accedit ex ingeniis &
moribus incolarum, pernimiùm profectò
intereſt inter illas prouincias, & hanc ciui-
tatem, quòd illarum maxima laus ſit, ſi di-
catur, *iſte natus eſt ibi*, hoc eſt, in hac aut illa
prouincia, aut etiam in omnibus ſimul, iſte
natus eſt, qui nomen aliquod obtineat. At
de Sion dicetur, Hic, & hic natus eſt in ea, vt
eſt in ſequente verſu. *Raab*, hoc eſt, Ægy-
ptum, ex Raſi, Kabuenaki, Ezra, & Kimhi,
quorum duo poſtremi citant exemplum ex
Eſ. 51. 9. Omitto aliam Ezræ expoſitionem,
quæ non placet. *Ecce.* Hac particula notat
faſtum ſuperbè ſeſe oſtentantium. *Palæſti-
na.* Græc. & Lat. *Alienigenæ.* Allophyli
ſeu Alienigenæ vocantur peculiariter Pa-
læſtini, vt notatum alibi.
5 *Et* (pro At) *de Sion*, id eſt, Hieroſolymâ,
dicetur, Homo & homo, ſeu *Vir & vir na-
tus eſt in ea*, hoc eſt, Non iſte tantùm, ſed hic
& ille, hoc eſt denique, non vnus ſolùm, ſed
multi pietate, doctrina, ingenio, rerum bel-
licarum gloriâ, aliiſque virtutibus inſignes
ibi nati ſunt. Quid id autem mirum? *Et
ipſe fundauit*, ſeu *aptauit* (in Fonte verb.
fut. pro præt.) *eam Altiſsimus*, id eſt, eſt
enim eo loco à Deo ſita ac fundata ciuitas
illa, vt aliter fieri non poſſit, quin magna
ſemper & excellentia ferat atque alat inge-
nia. Eſt hîc porrò ſynchiſis, pro, *& ipſe Al-
tiſsimus fundauit eam.* Similis figura occur-
rit 1. Sam. 20. 29. *& ipſe præcepit mihi fra-
ter meus*, pro, & ipſe frater meus præcepit
mihi. Sunt qui in poſteriore mēbro preca-
tionem eſſe autument, atque ideo vertant,
& ipſe ſtabiliat eam & ſtare faciat diu. *De
Sion.* ל hîc pro *de*, vt aliàs ſæpe. Symm.
vertit ἐκεῖ δὲ σιών.
6 *Dominus numerabit in ſcripturis popu-
lorum*, ad verb. *in deſcribendo populos, Iſte*
&c. Quò probet ſecundum verſum, *Dili-
git Dominus portas Sion* &c. oſtendátque
quàm æſtimet, quóue in loco habeat
Deus ortos Hieroſolymis, pingit, vt in
poëmate, Deum cenſum agentem ſuo-
rum populorum, & numerantem ſeor-
A ſim qui & quot ſint Hieroſolymis orti, &
ad ſingulorũ nomina annotantem ſic, *Iſte
natus eſt ibi*, Hieroſolymis videlicet, id
eſt, Iſte eſt Hieroſolymitanus. Ergò
hæc verba, *Iſte natus eſt ibi*, hîc & verſu
4. variè accommodantur. Poëtę enim in-
terdum de induſtria ludunt ambiguitati-
bus. Si vis τὸ *ibi*, ad Ægyptum, Babylo-
niam, & cæteras ſuprà nominatas prouin-
cias referre, & accipere, vt verſu 4. ſen-
ſus erit, commodus ſanè, Quum numera-
bit ac recenſebit Dominus populos, ſimul
notans ac deſignans ſingulos vniuſcuiuſ-
B que gentis heroas, & eximios viros, *iſte*, id
eſt, vnus aut alter tantùm, reperietur na-
tus *ibi*, id eſt, in illis prouinciis, cùm tot il-
luſtres & claros omni virtutum genere vi-
ros Hieroſolyma in omnibus ætatibus tule-
rit. Alij aliter de ſententiâ huius verſus iu-
dicant. Ego quod puto, & ſentio, hoc libe-
rè dico, doctorum & piorum ſemper iudi-
cium faciens, libentérque aſſenſurus, ſi quis
commodiorem interpretationem in me-
dium protulerit.
7 *Et cantores vt tibicines.* Obſcurum eſt
hoc. Dicam quòd ſentio. Alter hic locus
eſt & poſtremus celebrandę vrbis Hieroſo-
C lymæ à Muſicâ, cuius olim apud Hebræos
magna laus fuit. Sic dicit igitur, Tam fre-
quentes ſunt in iſta vrbe egregij muſici, &
cantores, quàm alibi tibicines. Idcirco *om-
nes* (conuertit iterum orationem ad Hiero-
ſolymam) *fontes mei in te*, hoc eſt, vt exiſti-
mo, omnes venæ meæ, eo ſenſu, quo Galli
dicunt, *la veine poëtique*, vel iuxta Kimhi,
& alios, omnes venæ cordis mei, (cor ad co-
gitationes eſt inſtar venæ ſeu fontis ſcatu-
rientis) erumpent in tuas laudes, nouáſque
D ac nouas ſemper proferent. Ex Kimhi ex-
poni ac verti poteſt, eodem ſenſu, *omnes co-
gitationes meæ.* Vide Theſaurum Pagnini in
rad. עַיִן *ajn, oculus.* Prius membrum ex
Kimhi ſic explicandum eſſet, *Et cantores vt
tibicines*, id eſt, Hi & illi vnà laudes tuas ce-
lebrabunt: vt ſit nimirum conciſa locutio,
quales multæ eſſe ſolent apud Poëtas. Ve-
rùm melius eſt prius illud membrum acci-
pere, vt initio dictum. Si quis aliter ſentire
volet, ſcitum illud, πλατεῖα κέλευθος. Non-
nulli accipientes שָׁרִים *ſcharim*, quod verti-
E mus *cantores*, & חֹלְלִים *cholelim*, quod *tibi-
cines*, pro participiis temporis præſ. hunc
verſum ſic vertunt, *Et* (pro Igitur) *canunt,
ſicut* (hoc eſt, æquè ac) *tripudiant omnes fon-
tes mei*, (hoc eſt, fontes vitæ meæ) *in te*, hoc
ſenſu, Igitur quicquid in me eſt vitæ con-
ſpirat quodammodo, vt concentum quen-
dam & quaſi harmoniam ſymphonicam
edat tuarum laudum, ô Hieroſolyma.

PSALMVS

LXXXVIII. LXXXVII.

VERSIO

NOVA.



ANTICVM psalmi [a] filiis Core, Præcentori super Mahalath leannoth: Didascalicon Heman Ezrahitæ.

2 Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, in nocte coram te.

3 Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad [b] precem meam.

4 Quia repleta est malis anima mea, & vita mea ad sepulchrum [c] appropinquauit.

5 Æstimatus sum cum descendentibus in foueam: factus sum sicut homo sine viribus.

6 Inter mortuos, liber sicut interfecti dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi à manu tuâ excisi sunt.

7 Posuisti me in fouea inferiori: in tenebrosis, in profundis.

8 Super me confirmatus est furor tuus: & [d] omnes fluctus tuos induxisti super me.

9 Longè fecisti notos meos à me; posuisti me abominationes illis: conclusus sum, & non egrediar.

10 [e] Oculi mei languerunt præ afflictione; clamaui ad te Domine [f] tota die: expandi ad te manus meas.

11 Nunquid mortuis facies [g] mirabilia? an mortui resurgent, (&) confitebuntur tibi?

12 Nunquid narrabitur in sepulchro misericordia tua, veritas tua in perditione?

13 Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?

a vel *filiorum*

b *clamorē meum.*

c *peruigit.*

d ad verb. *omnibus fluctibus tuis afflixisti*

e heb. *Oculus meus languit*

f *omni*

g heb. *mirabile*

VETVS.



ANTICVM Psalmi, Filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Emā Ezrahitæ.

2 *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.*

3 *Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.*

4 *Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.*

5 *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.*

6 *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.*

7 *Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in vmbra mortis.*

8 *Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me.*

9 *Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.*

10 *Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.*

11 *Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.*

12 *Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?*

13 *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?*

14 *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?*

15 *Et ego ad te Domine clamaui : & manè oratio mea præueniet te.*

16 *Vt quid Domine repellis orationem meam : auertis faciem tuam à me?*

17 *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea : exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.*

18 *In me transierunt iræ tuæ : & terrores tui conturbauerunt me.*

19 *Circumdederunt me sicut aqua tota die : circumdederunt me simul.*

20 *Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria.*

14 Et ego ad te Domine clamo, & manè oratio mea præuenit te.

15 Vt quid Domine repellis animam meam? [h] auertis faciem tuam à me? — h heb. *abscondis*

16 Pauper (sum) ego, & moribundus à iuuentute; porto terrores tuos: [i] conturbatus sum. — i *animi dubius sum.*

17 Super me transierunt iræ tuæ: terrores tui [l] succiderunt me. — l vel *constrinxerunt*

18 Circundederunt me, sicut aqua, omni die: circundederunt super me simul.

19 Elongasti à me amicum & proximum : noti mei (sunt in) tenebris.

COMMENTARIVS.

PSalmus hic, vt contextus docet, ab aliquo editus est, vel in exilio, vel in carcere, id quod haud obscurè innuere videtur postremum membrum versus 9[1]. Fortassis forma est orandi in malis vnicuique præscripta. Quisquis est huius Psalmi author, de quo mox in Tit. opem Dei implorat, sua ei mala prolixè, & patheticè quidem, exponens, vsque ad versum 11. & de ijs postremò cum ipso vehementer expostulans. Porrò hic & sequens Psalmus eiusdem ferè sunt argumenti, nisi quòd hic ad priuatam, ille autem ad publicam calamitatem, & euersum statum Reip. pertinet. Cæterùm operæpretium facturum me puto, si hunc Psamum breui paraphrasi explanem, quam sic aggredior, O Domine Deus salutis meæ, vnum meum perfugium, opem tuam dies noctésque imploro. Ne, quæso, respue meas preces, sed æquis auribus accipe. Namque eò nunc redactus sum malorum, vt parum absim à morte. Si qui me fortè intuentur, videre se putant cadauer exanime; ita prorsus me vires deficiunt. Inter mortuos iam censeor, hominum expers consortij, non secus atque ij, qui fortè interfecti iacent in sepulcris: quin & cæteris mortalibus odio est vel nomen meum, sicuti esse solet eorum, qui singulari aliquo tuæ seueritatis iudicio, ac veluti tuâ ipsius manu, vnà cum liberis omnibus, maioris horroris ergò, ex hominibus prorsus sublati sunt. Quippe me in tetram, tenebricosam & profundam hanc foueam detrusisti, ò Deus. In me vis iræ tuæ tota incubuit: tu meum caput omnium calamitatum procellis obruisti. Tu amicos & familiares meos procul à me summouisti, imò odiosum ijs atque execrabilem me effecisti : sic conclusus teneor, vt exire prorsus nequeam. Oculi languent mœrore, dum interim quotidie sublatis in cœlum manibus te appello, ò Domine. Ne patere me nunc è viuis tolli. Nunquid enim erga mortuos declarabis tuam potentiam? nunquid semel vitâ functi excitabuntur à morte tuarum laudum prædicandarum caussâ? An in sepulchro celebrabuntur misericordia & fides tua? An in mortis tenebris cognoscentur mirifica tua opera? an tua iustitia in terrâ obliuionis & silentij? Ad te, Domine, vociferari non desino, téque statim à prima luce supplex adeo. Cur me igitur, Domine, duriùs abs te aspernaris? cur ita à me vultum auertis? Miser sum ego, & à primis vsque annis mortem in singula momenta expecto: diris terroribus à te immissis percellor, incertus & perpetuo in metu. Vis iræ tuæ totum me obruit : terroribus tuis veluti constrictus teneor, atque obsessus; imò penitus ijs absorbeor, quasi rapidis aquarum vorticibus. Denique amicos & sodales meos longè à me remouisti: ac nusquam magis illos mihi datur conspicere, quàm si in obscuras tenebras essent abditi. — Argumētum.

1 *Super Mahalath leannoth.* Ego existimo has voces ad musicam pertinere, ac probabile iudico initium fuisse vulgaris carminis, ad cuius modulos hic psalmus erat decantandus. Kimhi fatetur se ignorare quid significent istę voces, quòd sint musicæ. *Heman Ezrahitæ.* R. Iesua putat hunc Heman fuisse Samuelis nepotem, & dictum esse אזרחי *ezrachi*, q. d. originis & generis Cantorum auto-

rem, à זָרַח *zarach*, quod eſt *oriri*, quoniam plerique Cantorum, vt legere eſt in Paral. ex illius poſteris fuerint. Kimhi affirmat ſe neſcire cur Heman dictus ſit Ezrahites, ac fieri poſſe vt hic Heman ſit ex filiis Zaræ filij Iudæ. Ego ſic ſentio, neque Heman, neque Ethan, cuius fit mentio in Tit. ſeq. Pſalmi, & qui itidem *Ezrahites* appellatur, eſſe filios Zaræ, de quibus 1. Paral. 2. 6. ſed eſſe aliquos ex eorum poſteris, qui eadem, vt fit, nomina habuerint. Nam qui, amabò, in ætatem primi illius Ethan filij Zaræ filij Iudæ ſententia ſeq. pſalmi quadrare poſſet? Vtrumque autem puto dici Ezrahitam à Zare ſuæ familiæ capite. De hoc liberum ſit cuique ſentire, vt volet. Nam eiuſmodi res non ſunt magni momenti: ac pene nihilo magis iuuat eas ſcire quàm neſcire.

2 *Domine Deus ſalutis meæ*, &c. Propoſitio eſt in hoc & ſequente verſu. *Deus ſalutis meæ*, hoc eſt, Deus qui toties iam mihi ſalutem attuliſti: Deus vnum meum perfugium. Hoc quum ait, perſpicuè oſtendit ſe, etſi grauiter afflictum, non deſpondere animum, ſed bene ſperare, qui Deum habeat protectorem. Hæc vnica ſpei ac fidei vox in hoc Pſalmo, quâ antequam exponere aggrediatur ſua mala, tempeſtiuè ſeſe munit, ne fortè horum commemoratione frangatur, & triſtiſſimis querelis, quæ tum mentem ſubibant, frænum veluti iniicit. Hoc exemplum imitari debent quotquot in calamitatibus verſantur, & primos illos doloris motus, quum primù ratio patitur, ſpe ac fide in Deum, veluti quodam lupato, cohibere.

4 *Quia repleta* (prop. *ſaturata*) *eſt malis* &c. Ratio propoſitionis. Hinc ad verſum vſque vndecimum ſua narrat mala, & calamitates, & omnino quidem patheticè. *Anima mea*. Animam dixit, non corpus, ſignificare volens grauiſſima mala, quæ non ſolùm corpus, ſed etiam animam attingerent, ac penetrarent.

5 *Æſtimatus* ſeu *reputatus ſum cum deſcendentibus* &c. Ita debilis ſum, atque ita deprauatus color, vt iis iam annumerer, quorum cadauera efferuntur ad ſepulchrum. In hoc & ſequente verſu nimirum hyperbolica eſt loquutio.

6 *Inter mortuos*, repete ex præcedenti verſu *æſtimatus ſum*. Omnes ferè trahunt ad hoc mox ſequentem vocem, ſic, *Inter mortuos liber*. Verùm propter reuia in voce בַּמֵּתִים *bammethim*, quæ *inter mortuos* ſignificat, exiſtimamus τὸ *liber* ab eâ eſſe diuellendum, ac trahendum potiùs ad ea quæ ſequuntur. *Liber ſicut interfecti* (Græc. & Lat. *vulnerati*, hoc eſt, ex vulnere mortui)

A *dormientes* ſeu *iacentes in ſepulcris*. Senſus, tam ſemotus ſum ab omni hominum conſortio, quàm qui interfecti iacent in ſepulcris. Vulgò dicuntur ciuiliter mortui, vernaculè *morts au monde*, quibus nihil eſt cum cæteris hominibus commercij. Vide porrò vt creſcat oratio. Antea dixerat haberi ſe inter mortuos, vulgari morte ſcilicet: nunc ſe interfectis comparat, quò magis ſuam miſeriam exaggeret. Nam interfectorum longè immitius ac crudelius factum habetur, quàm eorum, qui ſuâ & ſim-

B plici morte extinguuntur. Addit denique *quorum non es memor ampliùs: & ipſi à manu tua exciſi ſunt*, vt rem iterum magis amplificet, atque oſtendat ne ſe de vulgari modo occiſis loqui velle, ſed de iis, quos ipſius Dei manus percuſſit ac peremit, hoc eſt, de iis, qui ſingulari aliquo Dei iudicio perierunt. Quum hoc igitur addit, ſignificare vult, meâ quidem opinione, ſe non modò expertem omnis hominum commercij, ſicuti omnes vulgò mortuos, aut

C peremptos, ſed ſuum nomen etiam ac memoriam omnibus eſſe horrori, ſicut eſt illorum, qui ſingulari Dei iudicio perierunt. Ait autem, *quorum non es memor ampliùs* hoc eſt, ipſis hominibus non videris eſſe memor, vt oſtendat ſe de hominibus intelligere, quorum nullam ampliùs memoriam apud mortales extare Deus patiatur, ſublatis ad vnum vel liberis, qui parentum memoriam conſeruaſſent; quò pertinet verbum *exciſi ſunt*, quo quidem verbo omnimoda exterminatio notatur, metaphorâ

D ductâ ab arbore, quæ radicitus euellitur, ſic vt eius nihil in terrâ remaneat, quod poſſit iterum ſuccreſcere. Porrò ne ſit fortè aliquis cui mirum videatur, quòd *liberum* hîc exponam pro ſemoto ab hominum conſortio, audiat illud 2. Reg. 15. 5. *Percuſſit autem Dominus regem* (*Oziam*,) *& fuit leproſus vſque in diem mortis ſuæ, & habitabat in domo libera:* (eadem ibi vox in fonte, quæ hîc) hoc eſt, ſeorſum à cæteris hominibus: & ideo Lat. addidit *ſeorſum*. Simile habetur 2. Par. 26. 20. vbi Lat. interpretatus eſt, *in domo ſeparata*. Nota lex

E ex Leuit. 13. 46. qua cautum erat, vt toto tempore, quo quis lepra laboraret, ſolus habitaret extra caſtra. Porrò alij aliter atque aliter hunc verſum exponunt. Nos dum liberè dicimus, quod ſentimus, nemini præiudicatum volumus.

7 *Poſuiſti me in fouea* &c. Etſi fortaſſe figurata eſt loquutio in hoc verſu, quâ ſignificet ſe in ſummas anguſtias, ingentéſque pauores à Deo eſſe coniectum: (anguſtias enim deſignant in ſacris literis tenebræ & profunditates) nihilominus haud erit ab-

surdum per *foueam inferiorem*, *tenebrosa*, & *profunda* intelligere tetrum ac tenebricosum carcerem & ergastulum, vel sanè terram exilij. Chald. sanè תו *in fouea inferiori* interpretatus est, *in exilio quod simile est foueæ infimæ*. Nota quod ait, *posuisti*, Deum alloquens. Nam pietatis est Deum suarum calamitatum autorem agnoscere, idque facere conuenit: alioquin quomodò in malis ad Deum confugiet, nisi qui illa à Dei manu proficisci persuasus fuerit? *In fouea inferiori*, ad verb. *inferiorum*, vernaculè *en vne fosse des plus basses*. *Profundis*, seu *profunditatibus* aquarum: in Hebræo enim est מְצֹלוֹת *metsoloth*: per *profunditates* autem *aquarum* notare vult vel ingentia mala & pericula, vel profundissimam fossam, eámque lutulentam. Scilicet in hoc quoque versu est hyperbole. Græcus & Lat. pro *profundis* verterunt *vmbrâ mortis*, siue quia duntaxat sensum secuti sunt, siue quia legerunt inuersis literis צַלְמָוֶת *tsalmaueth*, quod *vmbram mortis* significat, pro מְצֹלוֹת *metsoloth*. *In profundis* vertit D. Hieronymus. Sed hoc nihil refert ad summam rei. Græcus quoque & Lat. hîc, sicut & versu 9. verterunt *posuerunt me* pro *posuisti me*, quia legebant שָׁתוּנִי *schathuni*, pro שַׁתַּנִי *schatthani*, vel sensum tantùm respiciebant.

8 *Super me confirmatus est*, ad verb. *sustentauit se*, id est, In me incubuit. *Omnes fluctus tuos induxisti super me*, ad verb. *omnibus fluctibus tuis afflixisti*, me sup. id est, omnium calamitatum procellis me obruisti. Quid per *fluctus* sit intelligendum, vide ad vers. 8. ps. 42. vbi huic simile loquendi genus occurrit.

9 *Longè fecisti notos meos à me*, &c. Vide vt crescit oratio. Primò queritur se ab amicis & familiaribus desertum, deinde se odio illis esse, ac denique se carcere clausum, vnde exire nequeat. Postremum grauius est. Nam amicorum cõtemptus, imò & odium ferri possit, si adsit libertas & lucis vsura, ac detur facultas redeundi in gratiam cum amicis, séque illis purgandi, si fortè aliquam offensionis caussam habuerint. *Abominationes* in num. multitudinis emphaticè. *Cõclusus sum* in carcere, vel saltem in exilio, neque inde exire possum. Hæc pars videtur manifestè probare hoc carmen editum, vel animo conceptum saltem, in carcere aut exilio. Quanquam explicare potes *conclusus sum*, &c. obsessus & circumuentus sum tot malis, vt nulla euadendi spes supersit.

10 *Oculi mei languerunt*, ad verb. *Oculus meus languit* &c. Sensus, Languet oculus meus præ malis, quæ patior, & ita assiduè ad te respexerunt oculi mei, vt deficiant: & *clamaui ad te, Domine, omni* vel *totâ die*, & *expandi ad te manus meas*, & ecce non mihi fers opem. Sic ferè Kimhi. *Afflictione* Vox hebræa עֳנִי *oni*, & *afflictionem* & *inopiā* significat. Inde est quod Græc. & Lat. verterunt *inopiam*. Malo *afflictione*, quò latiùs pateat. Verba præt. temporis in hoc & præcedentibus versibus præsens etiam includunt.

11 *Nunquid mortuis facies mirabilia?* &c. Sensus, Fac erga me adhuc viuentem aliquod insigne miraculum, méque eripe ex his malis: nam si nunc pateris vt moriar, ac peream, nunquid erga me mortuum tuam potentiam ostendes? nunquid resurgam, téque potero celebrare? q. d. non. Istud autem significat hoc & duobus sequentibus versibus, & quidem generali sententia, de cuius sensu vide ad vers. 6. psal. 6. nec-non ad vers. 10. psal. 30. *An mortui resurgent, (&)* &c. Similis est sententia ps. 115. 17. *Non mortui laudabunt Dominum*. Græcus & Lat. haud incommodo sanè sensu, hîc verterunt, *medici* (ex רֹפְאִים *ropheim*, pro רְפָאִים *rephaim*, aliis duntaxat punctis) *suscitabunt*, mortuos videlicet, ex יָקִימוּ *iakimu*, pro יָקוּמוּ *iakumu*, mutatione vnius litterulæ, ׳ pro ו) &c. *Resurgent (&) confitebuntur*. In Fonte deest *&*, quod magnum signum est duo hæc verba ad eosdem pertinere, non ad diuersos, ad mortuos videlicet, quasi diceret, an mortui resurgentes confitebuntur tibi? Istum esse vsum duorum verborum absque copula, *&*, vt primum per participium exponendum sit, probant innumera Scripturæ loca.

12 *Nunquid narrabitur in sepulchro misericordia tua*, &c. Idem dicitur quod in præcedente versu ad maiorem rei expressionem. Et *perditio* dicitur sepulchrum, quia in eo corpus perit, & consumitur. Sic Kimhi.

13 *Terra obliuionis*, id est, sepulcro, in quo mortui obliuioni traduntur, iuxta illud ps. 31. 13. *Obliuioni datus sum, sicut mortuus, à corde*. Kimhi. Existimo, & hoc magis ad rem, de quâ agitur, *terram obliuionis* dici sepulchrum, quòd illic Dei laudes taceant hominum linguæ. Hinc est quòd Hebræis sepulchrum appellatur דּוּמָה *duma*, quod sonat *silentium*, vt ps. 94. 17. nec-non 115. 17.

14 *Et ego ad te* solum *clamo*, &c. Queritur se frustra Dei opem assiduè precari. *Manè oratio mea præuenit te*, hoc est, singulis matutinis priusquàm quicquam aggrediar, te oro, tibi supplico, opem & salutem expetens.

15 *Vt quid Domine repellis animam meam*,

hoc est, Cur mihi in tantis malis non fers opem, sed durius abs te aspernaris: hoc enim importat *repellendi* verbum. *Animam meam*, hoc est, me, synecdochicῶs. De hoc dictum nimis sæpe.

16 *Pauper* seu *Miser sum ego*, &c. Πα-θος habet hoc. Cùm vel ab ineunte ætate in his tantis verser miseriis, cur tandiu respuis meas preces? *Et moribundus*, agens animam & fatiscens præ doloribus, vel à primis annis. Græc. & Lat. verterunt *& in laboribus*, vel quia tantùm sensum sequuti sunt, vel quia paulò aliter legerunt, nimirum וְיָגֵעַ *vijaghea*, *& defatigatus, laborans*, pro וְגֹוֵעַ *veghouea*, id est, *& moribundus* seu *expirans*. *Portaui terrores tuos*, repete *à iuuentute*, q.d. iamdiu ceruicibus meis durissimum hoc iugum imposuisti, hos, quibus nunc crucior, terrores iamdiu immisisti. *Portaui*. Græc. & Lat. hîc habent *exaltatus sum*, ex נִשֵּׂאתִי *nissathi*, passiuè in Niphal, pro נָשָׂאתִי *nasathi*, in Kal, aliis duntaxat punctis. *Terrores tuos*. Græc. & Lat. hîc habent *humiliatus sum*, ex אֵמַּךְ *immach* fut. Niphal à themate מָכַךְ *machach*, pro אָמֻכָה *emecha*. D. Hieron. vertit *portaui furorem tuum*. *Conturbatus*, prop. *animi dubius sum*, semper in metu, ne hoc aut illud mihi contingat.

17 *Super me transierunt iræ tuæ*: &c. Sensus, Totus veluti obrutus sum iræ tuæ vi: terroribus à te immissis ita constrictus teneor, vix vt halitum queam trahere. *Succiderunt*, seu *constrinxerunt me*. Heb. צִמְּתוּתֻנִי *tsimmethuthuni*, quo in verbo ex Kimhi repetitur tertia radicalis ad ampliandam atque augendam significationem pro more linguæ. Similis est hic versus priori parti versus 8.[1]

18 *Circundederunt me*, iræ & terrores tui scilicet, *sicut aqua*, &c. Sensus, Tot malis & calamitatibus diuinitus immissis, non secus atque immensâ aquarum mole, totus quotidie, imò singulis momentis, obruor: vertere enim potes *omni* vel *totâ die*. Ha- A bet singularem vim, quod dicit in posteriore membro, *circundederunt super me*, quasi hoc velit, non tantùm vndique ingruentibus malis obsideor, sed & planè absorbeor. Plus est aquarum vorticibus absorberi, quã obsideri: obsesso enim interdũ patet aliquid effugij. Crescit ergò oratio in hoc versu. Quod addit denique *simul*, non caret emphasi, quasi dicat, ira tua tota simul effusa est in caput meum, vt sic tanquam naufragio proximo, quoquò vertam oculos, mors sese offerat. Itidem similis est B hic versus posteriori parti versus 8.[1] Sic porrò habet Kimhi ad hunc versum, *Circundederunt me sicut aqua* &c. Quemadmodum aquæ mundum circumeunt, ita me terrores tui. Addit, Idem autem bis dicitur in hoc versu, vt aliàs sæpe.

19 *Elongasti à me amicum*, &c. Queritur postremò de amicorum perfidiâ, vt suprà, versu 9. Nec abs re hanc querelam vltimò loco videtur reseruasse, quòd extrema hæc sit miseria ab amicis deseri in rebus afflictis. Nam amici multùm valent ad mitigandas C res aduersas, dum eas veluti inter se partiuntur, réque, aut saltem consolando, aut consilio opitulantur. Ac perinde esse videntur ij quos destituunt amici in rebus aduersis, atque is qui pallii iacturam faceret hyemali tempore. *Noti mei (in) tenebris*, Prou. 25. in Vulg. hoc est, ex Ezra & Kimhi, videntur versari in tenebris, quoniam illos nullus video. Ego sic explico, Non audent amici præ metu me palàm defendere, sed suis se domibus ac tectis, quantùm possunt, occultant, & quærunt latebras. Græcus & Lat. D verterunt *notos meos à miseria*: pro מַחְשָׁךְ *machschach*, quippe legerunt aliis punctis מֵחֹשֶׁךְ *mechoschech*, hoc est, *à tenebris*, & per *tenebras* putarunt hoc loco miseriam, vt alibi, significari, ideóque sententiam magis respicientes quàm verba, verterunt *à miseria*, mea scilicet. Quæ interpretatio sanè non est aliena, & bene conuenit huic loco.

PSALMVS

LXXXVIII. LXXXIX.

VERSIO

VETVS.

INTELLECTVS *Ethan Ezrahitæ.*

2 *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

3 *In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.*

4 *Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.*

5 *Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo: vsque in æternum præparabo semen tuum.*

6 *Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam.*

7 *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.*

8 *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?*

9 *Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.*

10 *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.*

11 *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.*

12 *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.*

13 *Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem & mare tu creasti.*

14 *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.*

15 *Firmetur manus tua, & exaltetur*

NOVA.

DIDASCALICON Ethan Ezrahitæ.

2 Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem & generationem [a] annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

3 Quoniam dixi, In æternum misericordia ædificabitur: in cælis firmabis veritatem tuam.

4 Percussi fœdus cum electo meo: iuraui Dauid seruo meo.

5 Vsque in [b] æternum [c] præparabo semen tuum, & ædificabo in generationem & generationem [d] sedem tuam.

6 Et confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etiam veritatem tuam in [e] ecclesia sanctorum.

7 Quoniam quis in [f] nubibus æquabitur Domino? similis erit Domino in filiis [g] Dei?

8 Deus formidabilis in concilio sanctorum [h] magno, & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

9 Domine Deus exercituum quis similis tibi? [i] potens (es) Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

10 Tu dominaris elationi maris: [l] motum fluctuum eius tu mitigas.

11 Tu contriuisti, sicut vulneratum, Ægyptum: in brachio fortitudinis tuæ dispersisti inimicos tuos.

12 Tui (sunt) cæli, etiam tua (est) terra: orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti.

13 Aquilonem & Meridiem tu creasti: Thabor & Hermon in nomine tuo [m] exultabunt.

14 Tibi brachium cum potentia: fir-

a *notam faciam*
b vel *sæculum*
c *firmabo*
d heb. *thronum tuum.*
e *cœtu*
f *æthere*
g ad verb. *Deorum.*
h *multo,*
i *fortis*
l ad verb. *cum eleuauerint se fluctus eius, tu compesces eos.*
m *cantabunt.*

ma est manus tua, exaltata est dextera tua.

15 Iustitia & iudicium basis solij tui: misericordia & veritas præcedunt faciem tuam.

n clangore. 16 Beatus populus qui scit [n] iubilationem: Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.

17 In nomine tuo exultabunt omni die, & in iustitia tua exaltabuntur.

o fortitudinis 18 Quoniam gloria [o] virtutis eorum tu (es:) & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

19 Quia Domini (est) clypeus noster, & Sancti Israël Rex noster.

20 Tunc loquutus es in visione
p pij [p] sanctis tuis, & dixisti, Posui adiutorium super potentem: exaltaui electum de populo.

21 Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum.

q ad verb. Cum qua manus mea parata seu firma erit: 22 [q] Manus mea auxiliabitur ei: etiam brachium meum [r] confortabit eum.
r roborabit
s heb. in 23 Non exiget inimicus [s] ab eo: & filius iniquitatis non [t] nocebit ei.
t non affliget eum.
u contundam 24 Et [u] concidam à facie ipsius inimicos eius, & odio habentes eum percutiam.

25 Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

26 Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

27 Ipse inuocabit me, Pater meus (es) tu: Deus meus, & rupes salutis meæ.

x dabo 28 Etiam ego primogenitum [x] ponam illum: excelsum præ Regibus terræ.

29 In æternum seruabo illi misericordiam meam: & pactum meum fidele (erit) ipsi.

30 Et ponam in perpetuum semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.

31 Si (autem) dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint:

dextera tua: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.

16 *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit iubilationem.*

17 *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die: & in iustitia tua exaltabuntur.*

18 *Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*

19 *Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israël regis nostri.*

20 *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium in potente: & exaltaui electum de plebe mea.*

21 *Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum.*

22 *Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.*

23 *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

24 *Et concidam à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam.*

25 *Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.*

26 *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.*

27 *Ipse inuocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ.*

28 *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

29 *In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi.*

30 *Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.*

31 *Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudiciis meis non ambulauerint:*

32 *Si iustitias meas profanauerint: & mandata mea non custodierint:*

33 *Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.*

34 *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea:*

35 *Neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.*

36 *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in æternum manebit.*

37 *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis.*

38 *Tu verò repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum.*

39 *Euertisti testamentum serui tui: profanasti in terra Sanctuarium eius.*

40 *Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.*

41 *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.*

42 *Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.*

43 *Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.*

44 *Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius in terram collisisti.*

45 *Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.*

46 *Vsquequo Domine auertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?*

47 *Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?*

48 *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?*

49 *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua?*

50 *Memor esto Domine opprobrij*

32 Si statuta mea prophanauerint,
& mandata mea non custodierint:
33 Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.
34 Misericordiam autem meam
non irritam faciam ab eo, neque [y] decipiam in veritate mea. — [y] *mentiar.*
35 Non prophanabo [z] testamentum meum, & [a] quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. — [z] heb. *pactum* [a] ad verb. *egressum labiorum meorum non mutabo.*
36 Semel iuraui in [b] sancto meo: Si Dauid mentiar. — [b] *sanctitate mea:*
37 Semen eius in æternum [c] manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo. — [c] heb. *erit*
38 Sicut luna stabilietur in æternum: & testis in cælo fidelis.
39 Tu verò [d] repulisti, & despexisti: iratus es contra christum tuum. — [d] prop. *elongasti,*
40 Euertisti pactum serui tui: prophanasti in terram diadema eius.
41 Destruxisti omnes sepes eius: posuisti munitiones eius contritionem.
42 Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.
43 Exaltasti dexteram [e] opprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius. — [e] *hostium eius:*
44 Etiam retudisti aciem gladij eius, & non stare fecisti eum in bello.
45 Cessare fecisti (eum) à munditia eius, & [f] sedem eius in terram collisisti. — [f] *thronum*
46 [g] Minorasti dies adolescentiæ eius: perfudisti eum confusione. — [g] *abbreuiasti*
47 Vsquequo Domine [h] auertes te in [i] finem? exardescet sicut ignis ira tua? — [h] heb. *abscondes* [i] *æternum?*
48 Memorare ego cuius æui: quàm vanè creaueris omnes filios hominũ.
49 Quis (est) homo (qui) viuet, & non videbit mortem? eruet animam suam de manu [l] inferi? — [l] *sepulchri*
50 Vbi (sunt) misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, (quas) iurasti Dauid in veritate tua?
51 Memor esto Domine opprobrij

m heb. tui. seruorum tuorum : (quòd) [m] continui in sinu meo omnia multarum gentium.

52 Quòd exprobrauerunt inimici tui, Domine : quòd exprobrauerunt vestigia Christi tui.

n amen, & amen. 53 Benedictus Dominus in æternum : [n] fiat, fiat.

seruorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

52 Quod exprobrauerunt inimici tui Domine, quod exprobrauerunt commutationem Christi tui.

53 Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

COMMENTARIVS.

Argumentū. *HOc carmine deplorat, quisquis est, grauißimam populi Iudaici calamitatem, & horribilem istius regni vastationem, quæ, meo iudicio, non alia esse potest, quàm quæ, regnante Sedechia, abs Babylonio rege Nabuchodonosore contigit. Quoniam autem de illa tanquam de re præsenti, & quasi spectator agere videtur, omnino apparet non Ethan filium Zaræ filij Iudæ hic loqui, sed quempiam ex eius posteris, qui esset in captiuitate Babylonica. Duabus partibus constat hic psalmus. In prima parte fœdus Dei initum cum Dauide de regno Hebræorum eius posteris perpetuùm conseruando prolixè enarratur: simul & Dei potentia prædicatur ac probatur, necnon eius iustitia, misericordia ac veritas. Hæc pars ad vers. vsque 38. continuatur. In secunda parte expostulatio est cum Deo, qui nimirum facilè poßit, quod pollicitus est, præstare, nec præstet tamen. Vehementißima est illa quidem, & quæ primà fronte Deo, & viro pio indigna videri poßit. Talis est ferme: Istæ sunt tuæ pollicitationes, ò Domine: & tamen Regem illum tuum, regem Israëlitarum, iratus repulisti: fœdus cum seruo tuo sancitum abrogasti, eiúsque diadema in terram proiectum prophanasti: omnibus ipsius mœnibus ac propugnaculis dirutis, quibusuis iter facientibus diripiendum, vicinisque populis deridendum præbuisti: hostium dexteras firmasti, eorúmque animos nostris cladibus exhilarasti: quid? aciem gladij ipsius hebetasti, sic vt in bello stare haud potuerit: maiestatem & splendorem illum deleuisti, & sublime illud solium in terram deturbasti: regnum ipsum inter initia succidisti, omnique dedecore operuisti. Sed, eheu, Domine, túne tuos sic semper auersaberis? siccine perpetuò ira tua ignis instar ardebit? Reputa quantulum sit vitæ nostræ spatium, & quàm fragiles abs te homines sint facti? Nemo hominum mortem effugere potest, sic vt nobis, nisi properè succurras, necessariò in hac captiuitate moriendum sit. Eheu, Domine, vbi sunt vetera illa beneficia, quæ æternùm mansura Dauidi pollicitus fueras? Considera Domine quot & quantis iniuriis afficiamur nos serui tui, idque non ab vna Gente, & quidem silentes ac taciti: cogita, inquam, quòd hostes nostri, ijdem & tui, quotidie exprobrant Christi tui, quem expectamus, nimis longam moram, adeóque inanes spes nostras.*

1 *Didascalicō.* Vide ad vers. 1. ps. 32. *Ethā Ezrahitæ.* Vide ad vers. 1. superioris psalmi.

A

2 *Misericordias Domini* &c. Prima pars psalmi vsque ad vers. 39. in qua copiosè recitatur Dei fœdus initum cum Dauide de regno eius posteris conseruando: simul & prædicatur atque exemplo probatur immēsa eiusdem Dei potentia. Porro fœdus illud enarraturus Vates primùm ait se agnoscere summam pariter in Deo benignitatem, & veritatem seu fidem. Scilicet hoc præmit-

B

tit, quasi prooemij loco, ne videatur dubitare ob præsentem regni Iudaici vastitatem de veritate istius pacti. Notatum est aliàs, ac, nisi fallor, ad vers. 1. ps. 73. solere prophetas ac viros pios, vbi querelā ad Deū instituunt, eiusmodi ferme præfationibus vti. *Misericordias.* Emphaticè. *Misericordiam* autem definiunt Ezra & Kimhi, quæ præcedat promissionem & pactum, *veritatem* verò, quæ sequatur. Idcirco in hoc & sequente versu illa primo loco ponitur. Quum ait in æternum se cantaturum, necnon in generationem & generationem annuntiaturum, videtur velle significare se scripturum posteritati carmen de Dei misericordia ac fide: vel simpliciùs, se, quoad viuet, celebraturum Dei misericordiam ac fidem.

3 *Quoniam dixi* apud me, *In æternum misericordia ædificabitur:* &c. Ratio cur celebrare velit Dei misericordiā & veritatē, quasi dicat, Sic enim dico apud me, Etsi præsens rerum status suadere primâ fronte videatur inconstantiam in Deo, nihilomi-

nus certò tenendum, quicquid ex mera etiam benignitate promisit, dubio procul præstiturum. Illud est quod dicit, *In æternum*, id est, semper, *misericordia ædificabitur*, id est, quicquid ex misericordia pollicitus est Deus, ratum erit, & licet nunc irrita atque euersa videri possint Dei promissa, tamen aliquando instaurabuntur: quò spectat quod mox sequitur, *in cælis firmabis veritatem tuam*, hoc est, è cælis illis, peculiari tuo domicilio, solues fidem, & rata facies promissa, atque implebis. *Veritatem tuam*, illud scilicet promissum, quo statuisti ad hunc modum, *Percussi fœdus* &c. vt mox. Cæterùm notanda vis verbi *ædificandi* pro *instaurari* hoc loco, vt & Ierem. 31. 6. *Rursùmque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël*: metaphorâ ductâ ab ædificiis ruinosis aut euersis, quæ instaurantur.

4 *Percussi fœdus* &c. Intellige fœdus partim per Samuelem, partim per Nathan & Gad Dei prophetas ac legatos cum Dauide initum. *Cum electo meo*, Dauide nimirum, vti ex sequente membro constat. De Dauide Deus ait 1. Reg. 8. 16. *sed elegi Dauid, vt esset super populum meum Israël. Iuraui*. Verbum Dei, inquit Kimhi, iuramentum est. Quodnam sit illud Dei fœdus, ac iuramentum, mox explicabit.

5 *Vsque in æternum præparabo*, seu *firmabo* &c. Hæc promissio facta est Dauidi per Nathan prophetam præsertim, 1. Paral. 17. 11. vbi scribitur, *Cúmque impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis: & stabiliam regnum eius*. 12. *Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum*. 14. *Et statuam eum in domo mea, & in regno meo vsque in sempiternum: & thronus eius erit firmus in perpetuum*. Simile etiam legere est 2. Sam. 7. Quæ omnia, vt & quod hîc dicitur, vera esse non possunt, nisi ad Christum æternum regem referantur. Scio vbi Latinus vertit *æternum*, aut simile aliquid, in Fonte esse עוֹלָם *olam*, quod *æternum*, & *seculum* seu longum tempus significat. Similis est porrò versus 30.us huic.

6 *Et confitebuntur* seu *confitentur cæli* &c. Nunc cœlos ipsos ait admirabilem Dei potentiam quotidie testari, ac veluti celebrare: imò & ipsam Dei veritatem & fidem in seruandis promissis. Sed quando cæli veritatem Dei prædicant? Dum Deus scilicet iuxta promissionem piis mandatorum obseruatoribus factam *aperit thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ in tempore suo*, sicuti legere est Deut. 28. 12. Cœlos hîc latè sumere videtur pro

A ipsis etiam nubibus: id quod satis perspicuè docet sequens versus. *In ecclesia* seu *cœtu sanctorum*, id est, apud fideles, Deo, haud naturæ, omnia, quæ in terris fiunt, adscribentes. Stolidi & carnei homines pluuiam cæcâ naturæ vi excitari putant. At ij, qui Dei verbo edocti rectè sentiunt, quòd tempestiua pluuia terram emolliat, fœcundet, id verò Deo præsertim acceptum referunt, & summum eius beneficium certò credunt. Sunt ex Hebræis qui *veritatem* in hoc versu interpretentur veri-
B tatem existentiæ, quasi hîc cælorum motus dicantur palàm declarare veritatem existentiæ diuinæ. Hoc sensu dicitur Ierem. 10. 10. *Dominus autem Deus veritas (est,)* cùm reliqui Dij sint commentitij, ac nihil sint.

7 *Quoniam quis in nubibus (æthere)* &c. Ratio præcedentis versus, per quam probat quicquid admirandi in cælo, aut à cælo ac nubibus fit, ad Deum esse referendum, quòd in nubibus & cælis nullus Angelorum sit cum Deo comparandus. Hîc more vul-
C gi loquitur, & per nubes cælos etiam, Angelorum domicilium, comprehendit, sicuti econtrà mox & aliàs cælorum nomine nubes etiam intelliguntur. *In filijs Dei*. Angelos hîc puto propter ea, quæ præcedunt, & sequuntur, esse intelligendos. Angeli בְּנֵי הָאֱלֹהִים *bene haelohim*, hoc est, filij Dei nominantur, Iob 2. 1. At hîc, dicet aliquis, est בְּנֵי אֵלִים *bene elim*, quod sonat *filios Deorum* seu *fortium*. Respondeo fortasse hoc loco esse plurale pro singulari honoris ergô, vt aliàs fit, etsi non in hoc nomine.
D Genebrardus plurali numero vult significari Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: & Septuag. vertisse singulariter, ne suspicionem inducerent πολυθείας Gentibus, quibus vertebant. Fortasse magis erit è consuetudine linguæ hebraicæ dicere *filios Deorum* seu *fortium* appellari pro diis seu fortibus absolutè, hoc est, Angelis, etsi hi Angelos patres non habent. Angeli quippe *filij Deorum* videntur hîc appellari, vt ita dicam, ἀνθρωποπάθως, quo modo homines *filij hominum* dicuntur, non quòd Angeli
E ex Angelis nascantur. Chald. interpretatus est, *in cœtibus Angelorum*.

8 *Deus* (fortis) *formidabilis in concilio sanctorum magno* seu *multo*. Sensus, Adeo verum est nullum Angelorum cum Deo esse comparandum, vt Deus, quippe cuius immensa sit potentia, toti Angelorum cœtui, magno licet & hominibus formidabili sit formidabilis. Rasi, Ezra, Kimhi, & alij hîc per *sanctos* intelligunt Angelos. Eódem spectat posterius membrum, *& terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt*, scilicet

tanquam ministri & satellites. Græcus & A Lat. aliter hunc versum distinxerunt, ac verterunt, sic, *magnus & terribilis* &c. legerunt quippe רַב *rau*, hoc est, *magnus* seu *multus*, vbi hodie Hebræi, רַבָּה *rabba*, quod licet fœm. gen. Rasi & Ezra construunt cum nomine substantiuo סוֹד *sodh*, i. *concilio*: interdū enim fit dissidium generis. Ex Kimhi exponendum *multa*, & supplendum מַעֲרָצָה *maaratsa*, id est, *formidine*, vel יִרְאָה *jira*, id est, *timore*. Non est profectò nouum verba aut participia sua nomina sic includere. Citat Kimhi ex gr. illud ps. 62. 3. *non mouebor* רַבָּה *rabba*, i. B *multa*, sup. מוֹטָה *mota*, id est, *motione*: vbi nos quidem cum Latino vertimus *multùm*, sensum duntaxat reddentes.

9 *Potens (fortis) es Domine, &* &c. Vide. Potentem Deum esse ait, vt possit promissa præstare, & veracem, vt intelligatur non posse fallere: quæ conditiones duæ ad promissa seruanda omnino sunt necessariæ. *Veritas tua in circuitu tuo*, hoc est, vndiquaque cingit te veritas, poëtica loquutione, pro, nusquam non ostendis aut præbes te veracem. Aliter distinguunt C hunc versum, qui vertunt ex Hebræo. D. Hieron. & Felix sic, *Domine Deus exercituum, quis similis tui fortissime Domine? & veritas tua* &c. Pagninus sic, *Domine Deus exercituum, quis sicut tu fortis Domine?* &c. Nos Græcum & Lat. sequi voluimus, quòd illorum distinctio & commodior videatur ad sensum, nec accentibus hebraicis repugnans.

10 *Tu dominaris elationi* &c. A rebus cœlestibus, quæ à sapientibus & naturæ peritis solùm cognoscuntur, ad ea, quæ om- D nibus obuia sunt, transit, ad mare videlicet, cuius superbiam, & insanos fluctus Deum reprimere ait, quoties vult, sicuti in Mari rubro, quum scissum est, móxque refusum Ægyptios inuoluit, id quod tangitur in seq. versic.

11 *Tu contriuisti, sicut vulneratum* seu potiùs *interfectum*, hoc est, Non contriuisti leuiter, sed sicut in bello miseri homines conteri solent. Videtur ad eos, qui in bello pereunt, comparatio restringenda, quia ibi interfectorum corpora mise- E rè dilaniantur. Huc referatur illud Ex. 14. 24. *& contriuit exercitum Ægyptiorum*. Nec-non Ex. 15. 6. *dextera tua confregit inimicum*. Quibus duobus in locis de Ægyptiis in mari Rubro submersis sermo est, quemadmodum & hîc. *Ægyptum*. Quid רַהַב *rahau*, significet vide ad vers. 4. ps. 87. vbi eam vocem non interpretatus est Latinus, sed retinuit, & vt erat in Fonte, sic eam expressit, Raab videlicet; hîc verò vertit *superbum*, quo modo & exposuit Chald. qui addit præterea *Pharaonem*. Rasi, Ezra, Kimhi & alij *Ægyptum* exponunt, vt & loco mox cit. Et quidem Kimhi ait hanc vocem argumento esse præcedentem versum de scissione maris Rubri intelligendum. *In brachio fortitudinis tuæ*. Huc consonat illud Cantici Mosis post submersos Ægyptios, Ex. 15. 6. *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, confregit inimicum*.

12 *Etiam tua (est) terra*. *Etiam* emphaticè, quasi hoc velit dicere, terra tua est, etsi peculiare tamen tuum domicilium est cœlum. *Et plenitudinem eius*, id est, & quicquid in ea est, quicquid eam replet. Kimhi censet *plenitudinis* voce hîc notari Orientem & Occidentem super lineam Æquinoctialem, quod quidem spatium à primo Oriente ad vltimum vsque Occidentem est totum habitabile, ac veluti plenum. Sed ea vox sumenda latiùs, vt ps. 24. 1. *Domini (est) terra, & plenitudo eius*. Vbi tamen per *plenitudinem terræ* nihil repugnat accipi incolas terræ, præsertim cùm mox sequatur, *orbis terrarum, & qui habitant in eo*. Similiter & Es. 42. 10. *descendentes in mare*, (hoc est, nautæ,) *& plenitudo eius; insulæ, & habitatores earum*. *Tu*, emphaticè, *fundasti*, ideóque tua iure dici possunt.

13 *Meridiem*. Græc. & Lat. vertunt *mare*, decepti harum vocum similitudine יַמִּים *iammim*, id est, *maria*, & יָמִין *iamin*, id est, *dextera*, indéque *meridies*, dextera mundi pars Solem orientem aspicientibus. *Tabor & Hermon*. Illo monte, qui Occidentem spectat, Occidentem, hoc verò, qui Orientem, Orientem notari putat Ezra. Kimhi istis nominibus montes ipsos vult significari, atque montium hîc quoque mentionem fieri, quòd montes magnum & eximium quiddam sint in rerum natura. *In nomine tuo exultabunt*, prop. *cantabunt* cum lætitia, hoc est, te creatorem & autorem suum sponte agnoscunt. Prosopopeia Sacris literis familiaris.

14 *Tibi brachium* longum, vt dici solet, quod in omnem partem potes extendere, & ipsum quidem potens ac robustum: *firma est manus tua* sinistra; *exaltata est dextera tua*, atque par vtrique manui competit robur ac virtus. Sic ex Hebræis. Hac videlicet metaphora immensam Dei potentiam vult exprimere. *Tibi brachium cum potentia*. Græcus videtur aliud expressisse: non enim vertit *ὁ σὸς βραχίων μετὰ δυναστείας*, sed *σὸς ὁ βραχίων*, quasi hoc vellet,

vellet, Tuum solius est brachium cum potentia, *brachium*, subiectum, *tuum* prædicatum; non verò illud, Brachium tuum est cum potentia, id quod hebraica vocabula videntur tantùm significare. Lat. & Hier. verterunt, *Tuum brachium cum potentia*, seu *fortitudine*.

15 *Iustitia & iudicium basis solij tui*: &c. Non solùm potens es, sed iustus etiam, clemens & verax. *Iustitia & iudicium basis solij tui*, hoc est, Iustitia tuum nititur solium. *Misericordia & veritas præcedunt faciem tuam*, tibi præeunt, quasi satellites regi, & magistratui.

16 *Beatus populus qui scit iubilationem*, seu, *clangorem*, tuum scilicet, vti sequentia manifestè declarant, hoc est, qui tui pro se præliantis clangores audit, qui te scit sibi adesse. *Iubilatio* seu *clangor* nota ac signum erat Dei præsentiæ in populo Iudaico. Testis est ille locus Num. 23. 21. *Dominus Deus eius cum eo (est,) & clangor* (Lat. addit *victoriæ*) *Regis in illo*. Necnon Es. 42. 13. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur*, (*clanget*,) *etiam clamabit, super inimicos suos confortabitur* seu *prævalebit*. Sic ex Kimhi. *Domine*, tunc sup. *in lumine vultus tui ambulabunt*, téque præeunte nunquam in bello cadent, sicuti nos cecidimus, tua ope ac præsentia destituti.

17 *In nomine tuo*, hoc est, in te vel in recordatione nominis tui, *exultabunt omni die*, quoties nimirum tua ope & præsentia se esse seruatos recordabuntur, *& in iustitia tua exaltabunt se*, hoc est, tuam iustitiam experti deinceps ea semper nitentur, eáque freti sument animos aduersus hostes.

18 *Quoniam gloria virtutis* seu *fortitudinis eorum tu (es.)* Sensus, Quoniam tuis, non suis viribus fortes se esse gloriantur, & si quod est in illis robur, id tibi omne referunt acceptum. *In beneplacito tuo* (*in voluntate tua*) *exaltabitur cornu nostrum*. Vide vt subitò tertiam personam mutat in primam, quasi hoc velit, & verò nos fœlices, quibus, quum primùm libitum fuerit, vires nostras, adeóque pristinum regni nostri statum restitues. Cur istam spem concipiat mox in seq. versu declarat. *Exaltabitur*. Accipe, vt sonat, in fut. vel pro præs. *exaltatur*, nimirum quoties tibi placet. *Cornu nostrum*, hoc est, robur nostrum. Sic 1. Sam. 2. 1. *exaltatum est cornu meum in Domino*. Et infrà versu 25. Kimhi reges Israël, seu regnum Iudaicum intelligit. Chald. *cornu eorum*, eadem seruata persona, interpretatur.

19 *Quoniam Domini (est) clypeus noster.* Ego puto cum Ezra & Kimhi idem significari priore membro huius versus, ac posteriore, & per *clypeum* regem intelligendum esse. Ps. 47. 10. Reges & principes *scuta terræ* vocantur. Itaque hæc sententia est huius versus, & quæ rationem continet posterioris membri præcedentis versic. Rex quippe noster Dei iussu & voluntate electus est, Dauid scilicet, Salomon, eorúmq; successores in Regno Iudæ. Quidni ergo speremus te, vbi visum fuerit, pristinas vires redditurum, nósque regno restituturum? Domini est rex noster: igitur fœliciter, ac prosperè aget, præualebitque, quoties Deo visum fuerit. *Sancti Israël*, hoc est, Domini. Chald. *Domini sancti Israël*.

20 *Tunc*, quando scilicet cum Dauide fœdus, cuius vers. 4. facta est mentio, iniisti. Redit igitur ad promissiones Dauidi factas, iámque copiosiùs fœdus illud enarrat. *Sanctis* seu *pijs tuis* prophetis, Samueli, Nathan, & Gad, qui tres de Dauide promissiones à Deo acceperunt. Kimhi exponit *pio tuo* Samueli. Verùm Lat. Chald. etiam, Rasi, & Ezra accipiunt in numero multitudinis, & Rasi quidem de Nathan propheta, & Gad vidente, Ezra verò de Heman & Ethan cantoribus, qui prophetæ vocantur. *Posui adiutorium* (addit Chald. *populo meo*) *super potentem* Dauidem. Sensus, constitui virum strenuum ac fortem, qui auxilio futurus sit populo meo. Potes vertere *contra potentem*, hoc sensu, constitui regem qui vindicet populum à potentioribus inimicis. Hoc enim postulauerant Israëlitæ, 1. Sam. 8. sub finem. *Exaltaui electum è populo*, id est, Dauidem selectum è populo extuli. Verbo *exaltandi* notat humilem Dauidis conditionem ante electionem, ac simul significat supra alios extolli oportere, qui in alios imperium obtineat. D. Paulus Rom. 13. & 1. Timoth. 2. sublimitatē potestatibus tribuit. Sublimitas verò illa, vt subditos admonet reuerenter obsequi séque summittere regibus & magistratibus, *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, sic ipsos reges & magistratus, tantò magis ruinæ & casus periculum timere, sollicitiúsque cauere, quantò in altiore loco sunt positi, siquidem periculosiùs cadere possunt, iuxta illud cuiusdam, *Qui cadit ex alto, præceps cadit, ima ruina*. Animaduersione dignum quod ait *è populo*, meo scilicet, quod pronomen Græcus addit, & post eum Lat. Magnum enim Dei munus est regem aut principem habere, qui sit è populo Dei, non alienum, non extraneum. Namque rex si alienus est, tanquam in alienos imperium exercet, si verò eiusdem gentis,

tanquam in fratres. Hinc est quòd Dauid in medio fratrum vnctus legitur 1. Sam. 16.13. vt admoneretur quibus ipse præficeretur, fratribus nimirum. Potest accipi, *è populo*, simpliciter, pro, ex infima plebe. Dauidem autem Deus delegit è plebe, non è magnatibus, vt suæ stirpis memor sese semper deijceret, nec tenuiores contemnendi caussam vllam haberet.

21 *Inueni Dauid* &c. Vide 1. Sam. 16.1. *Seruum meum*, id est, quem ego noui esse seruum meum, nec illi reperiri posse similem. *Oleo sancto meo vnxi eum.* Si Samueli hoc dicitur, expone, eum selegi quem vngas oleo vnctionis sacro, vt hoc respondeat ad illud Sam. loco cit. *imple cornu tuum oleo, & veni*, &c. Si aliis, accipe *vnxi eum*, vt sonat, operâ videlicet Samuelis.

22 *Manus mea auxiliabitur ei*, heb. *Cum quo manus mea firma* seu *parata erit*, hoc est, Quem nunquam auxilio meo carere patiar. *Etiam* (emphasim habet) *brachium meum* &c. quasi dicat, neque manu solùm ipsum defendam, sed etiam totis brachij viribus. In brachio maior vis est, quàm in manu. Idcirco additum est hoc amplificandi gratia.

23 *Non exiget* (ita vertendū ex Rasi, Mose & Kimhi) *inimicus ab* (heb. *in*) *eo*, tributa scilicet ac vectigalia. Ex aliis verte, *Non seducet inimicus in eo*, pro, eum, hoc est, Nullus eum hostis dolo opprimet: non patiar eum ab vllo hoste per insidias opprimi. Græc. & Lat. veterum, *Nihil proficiet* &c. qui sensum tantùm voluerunt exprimere. *Filius iniquitatis* idem quod *inimicus* seu *hostis* ex Kimhi. Similis fermè loquendi formula 2. Sam. 7.10. atque hic.

24 *Et concidam à facie ipsius inimicos eius.* Similis loquendi modus 2. Sam. 7.9. Non modò, inquit, non nocebit ei hostis, quin ego coram eo conteram, ac percutiam quotquot opprimere ipsum volent.

25 *Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso erit.* Sensus, Ego me erga ipsum geram pro mea veritate & misericordia: ipse meā experietur veritatem & misericordiā; quasi dicat, Non modò perficiam promissa, sed plura etiam illi præstabo, quàm sum pollicitus. *Misericordia* hic pro eo vsurpari videtur, quod præter promissum conceditur: ideoque *veritati* subiicitur. *Et in nomine meo*, hoc est, ex Kimhi, quoties nominis mei recordabitur &c. Deus autem, ait idem Kimhi, est nomen suum, & nomen Dei est Deus. *Cornu eius*, hoc est, eius robur & potentia, metaphorâ ductâ ab animantibus, quibus robur est in cornibus.

26 *Et ponam in mari* rubro & mediterraneo *manum eius*; hoc est, imperium & pote-

A statem eius, *& in fluminibus* Euphrate, Iordane, & aliis &c. Sententia huius versus hæc est, Dabo illi sicuti promisi Ex. 23.31. imperium in eos, qui maris littora accolunt, putà Philistæos, & vrbes fluminibus, ac præsertim Euphrati, adiacentes. Hoc fuisse impletum constat ex multis Scripturę locis, ac præsertim ex 2. Sam. 8. & 10.

27 *Ipse inuocabit me*, his verbis, *Pater meus* &c. *Ipse* autem *inuocabit me*, quoniam mihi adhærebit, & cognoscet sibi à me dignitatem & omne robur contigisse: adeóque ad me semper confugiet: me quasi

B patrem ac Deum & seruatorem suum semper inclamabit.

28 *Etiam ego primogenitum* &c. Sicut, inquit, me patrem vocabit, ita *etiam* ego illum vocabo ac constituam filium, nec hoc tantùm, sed & primogenitum, quod nomen est dignitatis supra reliquos filios, siquidem futurus est super omnes reges: quò pertinet posterius membrum. Hoc sensu ps. 2.7. dicebat Dauid, *Dominus dixit ad me, Filius meus (es) tu:* &c. *Excelsum præ Regibus terræ.* Hoc sensu legitur 1. Par. 14. 17. *Diuulgatúmque est nomen Dauid in vniuersis regionibus, & Dominus dedit pauo-*

C *rem eius super omnes Gentes.*

29 *In æternum seruabo illi misericordiam meam*, per quam scilicet illum, eiúsque posteros regnum obtinere volo. *Et pactum meum* cum illo initum de conferundo ipsi, eiusque posteris iure regio *fidele* (sup. erit) *ipsi.*

30 *Et ponam in perpetuum semen eius*, &c. Exponit pactum, cuius mox facta est mentio. *Ponam* in regnum, euehámque ad solium &c. quò pertinet sequens mem-

D brum. Sic Kimhi. Vel accipe simpliciter *Ponam in perpetuum semen eius*, hoc est, Faciam vt æternum sit ipsius genus: quasi duo polliceretur Deus in hoc versu, stirpis perennitatem, & perpetuam eiusdem in regnū successionem. *Sicut dies cæli* idem quod *in perpetuum* prioris membri, necnon illud posterioris membri versus 5. cui versui prorsus hic par & geminus in sensu existit. Chald. exposuit, *sicut dies quibus*

E *stabunt cæli.* Similis est huic locutio Deut. 11.21. *iuxta dies cæli super terram*, hoc est, perpetuò, & quandiu cæli imminebunt terræ. Similis etiam reperitur Eccles. 45. 19. Quis non videt porrò illud, quod dicitur in hoc versu, non posse esse verum, nisi ad spiritale Christi regnum referatur? Corporalis enim successio in stirpe Dauidis iamdudum cum regno defecit: cùm tamen Ierem. 33.17. dixerit Dominus, *Non excidetur Dauidi vir, qui sedeat super thronum domus Israël.*

31 *Si (autem) dereliquerint* &c. Longius A progreditur Vates, inducitque nunc Deum pollicentem, etsi Dauidis posteri peccarent, eaque committerent propter quæ iure merito regia ipsis potestas adimi posset, non tamen summo iure cum iis acturum, sed solùm quasi patrem in filios animaduersurum, eósque tanquam virga castigaturum, quò pertinet versus 33. Porrò non leuibus tantùm delictis indulturum promittit, sed quibuscumque, etiam grauissimis, quod significare vult, quum tot loquendi genera eòdem spectantia in hoc & B sequente versu simul congerit. Neque enim existimandum illam esse otiosam & superfluam copiam. Quid propriè significet *Lex*, nec-non *Iudicia*, *Statuta*, & *Mandata*, seu *Præcepta*, dictum est ad Psal. 19. & dicetur in Arg. ps. 119. Per *Iudicia* autem, *Statuta*, & *Præcepta* omnes alias Legis partes, si quæ sunt, haud dubium est quin complectatur: quasi diceret, Quidquid deliquerint in meas leges, quæcumque tandem eæ sint, siue in eas, quæ sunt ad alterum, (*Iudicia* Scriptura ap- C pellat) &c.

33 *Visitabo in virga* &c. Respondet hoc ad illud, quod per Nathan Prophetam Dauidi dictum est, 2. Sam. 7.14. *Ego ero ei* (Salomoni) *in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid egerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* Ac sicut statim ibi sequitur, *Misericordia autem mea non recedet ab eo*, &c. sic in hoc ps. versu nimirum sequente, mox subiungitur, *Misericordiam autem meam* &c. D

34 *Misericordiam autem meam* &c. Sensus, Castigabo posteros eius quidem, si aduersus leges meas peccauerint, non adeo tamen, vt quam ex mera liberalitate & misericordia Dauidi pollicitus sum regni stabilitatem, irritam faciam vnquam, & falsam fidem datam. *Neque decipiam (mentiar) in veritate mea*, id est, neque fidem fallam, aut mentiar in eo quod verè, & ex animo promisi. Potes vertere, *neque mentiar in veritatem meam*, eodem sensu. *In veritate mea* potest hîc habere sensum, E pro mea fide, qui non sum homo, vt mentiar, nec filius hominis vt muter. Hic porrò versus respondet ad illud 2 Sam. 7.15. *Misericordia autem mea non recedet ab eo, sicut abstuli (recedere feci) à Saul, quem amoui (recedere feci) à facie tua*, te in eius locum sufficiendo. Atque ex illo loco sensus huius versus perspicuus est.

35 *Non prophanabo testamentū (heb. pactum) meum* cum Dauide initum, etsi *dereliquerint filij eius legem meam*, &c. *statuta mea prophanauerint*, & pactum Sinai, vt hîc loquitur Ezra. *Quæ procedunt de labiis meis* &c. Ad verb. *egressum labiorum meorum non mutabo. Egressum labiorum meorum*, id est, verba mea.

36 *Semel iuraui in sancto meo*, seu *sanctitate mea*. Deus, quoniam, vt inquit author Epist. ad Heb. cap. 6. *neminem habet, per quem iuret, maiorem, iurat per semetipsum. Semel*, hoc est, irreuocabiliter, & immutabiliter. Hoc sensu hanc particulam accipit Kimhi: necnon Ezra, qui explicat *semel*, id quod satis est. Addit tamen Ezra posse intelligi *semel*, quasi Deus affirmet aliàs se nunquam per suam sanctitatem iurasse. Verùm hanc expositionem refellit locus ille Amos 4.2. *Iurauit Dominus in sancto suo*, seu *per sanctitatem suam. Si Dauidi mentiar*, id est, non mentiar. Particula *si*, iuramentis simpliciter adhibita negat. Tunc enim per Aposiopesin reticetur mali imprecatio, quod capiti suo accersit iurans, si fallat. Sic solent dicere Latini, *Si sciens fallo.* At Deus non potest aliquid mali sibi imprecari. Ita est. Verùm ex communi & vsitatâ apud homines iurandi formula hoc dictum, scilicet vt firmitatem diuini iuramenti ex humano iuramento homines æstimarent.

37 *Semen eius in æternum manebit*, heb. *erit*, in regno. Eòdem pertinet sequens membrum, *& thronus eius sicut sol in conspectu meo*, hoc est, sicut sol perpetuò durabit. Similis pene loquendi modus ps. 72. 17. *Erit nomen eius in æternum: coram sole permanebit (propagabitur) nomen eius*, hoc est, quandiu erit sol florebit eius nomen. Porrò regni æternitas, quæ hîc promittitur, in solo Christo quærenda est, qui verè est *germen* illud *iustitiæ*, quod Dauidi se germinare facturum Deus pollicebatur apud Ierem. cap. 33.15.

38 *Sicut luna stabilietur in æternum.* Idem hoc significat quod posterius membrum præcedentis versus. *Et testis in cælo fidelis.* Sensus ex Rasi, vterque porrò, sol & luna, testes sunt Dauidi, quandiu erunt ac durabunt, tandiu quoque eius regnum esse duraturum. In quam sententiam scribit Ieremias cap. 33. versu 20. & sequente, *Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri* (heb. *irritum potestis facere*) *pactum meum diei, & pactum meum noctis, vt non sit dies, & nox in tempore suo: Etiam pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius.*

39 *Tu verò repulisti*, pro. *elongasti*, &c. Altera pars Psalmi, quæ expostulationem cum Deo continet. Eiusmodi autem est

expostulatio, quæ Deo irritam fidem, & inania promissa exprobrare videatur. Itaque multi Iudæorum hic mirantur, quî ausus sit autor psalmi sic Deum alloqui. Et Ezra obseruat fuisse sapientem quendam & virum pium in Hispania, Iudæum scilicet, qui nec legere nec audire posset hunc psalmum. Ipse Ezra hanc partem negat esse ipsorum Israëlitarum, sed hostium esse vult, qui Deum mendacij & perfidiæ arguant: atque idcirco dici postea, *Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum*, quo scilicet te affecerunt serui tui Domine, homines scilicet. Sed ego, inquit Kimhi, miror illorum admirationem. Nam Psalmi, inquit, in Spiritu sancto dicti sunt, nec in ijs esse potest aliquid quod nõ sit rectum. Nos sic sentimus, Postquam de Dei misericordia, fide, fœdere cum Dauide inito, ac potentia, prolixè dixit autor psalmi, nunc, quò Deum ad opem ferendam faciliùs impellat, subiicere grauem querelam, seu mauis expostulationem, quâ apud ipsum Deum ita agit, vt magis carnis sensus, & impatientia se prodat, quàm fides. Tantùm verò abest, vt Deus, quæ est eius bonitas & clementia, eiusmodi querelis, modò fides non extinguatur omnino, offendatur, vt potiùs hæc vis, Tertulliani verbis vtar, ipsi sit grata. Ac multę similes querelæ leguntur in libro Iob viri sanctissimi. *Tu verò*, cuius tanta misericordia, tanta fides in seruandis promissis, tanta iustitia, tanta denique potentia, *repulisti & despexisti: iratus es contra christum tuum*, ad verb. *cum vncto tuo*, hoc est, cum eo Rege, qui tuo iussu est vnctus. Dauidem ipsum intelligit, cum quo fœdus erat initum, & ad quem adeo posterorum probrum pertinebat. Vel certè Sedechiam, qui tum Iudæis, quum in captiuitatem sunt abducti, pręerat, qui quòd successor esset Dauidis, rectè vnctus Dei dici potuit.

40 *Euertisti pactum serui tui*, hoc est, fœdus cum Dauide seruo tuo initum. Quanquam, vt mox admonebam, potes intelligere Regem, qui tunc Hebrææ genti pręesset, ad quem fœdus cum Dauide initum pertinebat, ita vt eius etiam dici posset illud fœdus. At dices, Qui Sedechias *seruus Dei* dici possit, qui Dei mandatis minùs esset obsequens? Respondeo Sedechiam *seruum Dei* appellari, hoc est, veri Dei cultorem. Vide ad vers. 2. ps. 79. *Prophanasti in terram* &c. Diadema capiti eius impositum profanasti, proijciendo ipsum in terram: quasi dicat, detractum de capite & in solum proiectum omnium contumeliis exposuisti

41 *Destruxisti omnes sepes* seu *muros eius*: &c. præter tot tua promissa, *Sepes eius*,

A hoc est, mœnia, quib. Dauid cinxerat Hierosolymam, vel quibus ipse rex defendebatur.

42 *Diripuerunt eum omnes* &c. contra versum 23. *Non exiget inimicus ab eo*, &c.

43 *Exaltasti dexteram opprimentium* seu *angustiantium eum*: &c. contra vers. 22. *Manus mea auxiliabitur ei*: &c.

44 *Etiam* (emphaticῶs) *retudisti* (ad verb. *auertisti*) *aciem gladij eius*, &c. contra vers. 24. *Et concidam à facie ipsius* &c. Quasi diceret, Tantùm abest vt contriueris, ac
B ecideris coram eo hostes, vt etiam aciem ensis ipsius hebetaueris, passúsque sis eum cadere in bello: quò pertinet posterius membrum.

45 *Cessare fecisti* (*eum*) *à munditia eius*, hoc est, à splendore ac decore regio: quò spectat sequens membrum. *A munditia eius*. Kimhi existimat daghes in מִטְּהָרוֹ *mittohoro*, esse euphonicum tantùm. Itaque ex eius sententia vertendum esset, *Cessare fecisti munditiam eius*, eodem sensu. Opponitur porrò hic versus præsertim versibus 30. 37. & 38.

C 46 *Minorasti* (*Curtasti*) *dies adolescentiæ eius* regis. Sensus, Fecisti vt Dauidicum seu Israëliticum regnum, cui tu æternitatem promiseras, inter ipsa statim initia corruerit, non aliter ac iuuenis interdum in ipso ætatis flore immatura ac violenta morte abripitur. Hic porrò versus est contra 37.um *Semen eius in æternum manebit*, &c. & 38.um *Sicut luna stabilietur in æternum*: &c. *Adolescentiæ eius*. Græc. & Lat *temporis eius*: qui videntur legisse עוֹלָמוֹ *olamo*, id est, *seculi eius*, pro עֲלוּמָיו
D *alumau*. *Perfudisti eum confusione*, ad verb. *operuisti super eum pudorem*.

47 *Vsquequo Domine auertes* (heb. *abscondes*) *te in finem*, heb. *in æternum*, nec cernes vnquam nostras miserias? *Exardescet sicut ignis ira tua?* Optima comparatio ignis cum irâ Dei. Nam quemadmodum flammæ impetus, nisi reprimatur, vno momento omnia longè latéque depopulatur, ita Deus, quando vim suæ iræ exerit atque effundit, nihil non euertit, nisi statim placetur. Hoc cùm ita sit, quis non
E miretur stuporem nostrum, qui iræ diuinæ quouis incendio vehementiori non statim occurramus, cùm vel ad solum fumum ex vicinis ædibus paulò vehementiùs prorumpentem statim omnes soleant vndiquę concurrere?

48 *Memorare* (*Recordare*) *ego cuius æui*: &c. Sensus, Cur Domine tandiu nos despicis, ac deseris in his malis? Cur tandiu nobis irasceris? Ergò in hoc exilio moriemur. Recordare, quæso, quàm breuis sim

æui, imò & omnes homines, quorum vita A adeo parum à morte distat, vt ipsa mors sit. Huc spectat & sequens versus. *Ego cuius æui.* Ex Ezra repetendum מה *me*, hoc pacto, *(quid) ego, (&) cuius æui.* Quid hoc necesse? Græc. & Lat. *quæ mea substantia,* hoc est, *subsistentia:* nam in Græco ὑπόστασις. Simile est ps. 39. 5. Chald. *Recordare quòd ego creatus sum ex puluere.* *Quā vanè*, hoc est, quàm vanos & caducos, *creaueris* &c. Ad verb. *super qua vanitate*, vel *super quo* B *vano*, id est, in qua vanitate, quòd ego commodè mihi videor interpretatus esse *quàm vanè.*

49 *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* &c. Sensus, Si immortales essemus futuri, spe aliqua salutis teneremur. Sed quis mortalium immortalis futurus est? Imò nobis quotidie instat mors. *Eruet animam suam de manu inferi,* seu *sepulchri,* hoc est, eximere sese sepulchro poterit, atque asserere à morte?

50 *Vbi (sunt) misericordiæ tuæ antiquæ,* C *quas* scilicet *iurasti Dauid in veritate tua,* per quam ea promittis, ac dicis quæ sentis? Sic ps. 132. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem,* id est, iurauit verè & ex animo, &c.

51 *Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum,* quo nos videlicet seruos tuos affecerunt hostes, dictitantes frustra nos salutem, & Christum expectare: & memor esto *(quòd) continui* (ad verb. *tuli*) *in sinu* A *meo,* hoc est, patienter dissimulaui, atque abscōdi *omnia,* opprobria supple ex præcedenti membro, & Chaldæo, *multarum* (emphaticè) *gentium*, ad verb. *multorum populorum.* Latiùs patet gens, quàm populus.

52 *Quòd exprobrauerunt* &c. Exponit in hoc versu quodnam sit opprobrium præsertim, de quo egerat in præcedente versu. *Quòd exprobrauerunt* (hoc bis continuò B repetit ad maiorem emphasim & amplificationem opprobrij) *vestigia* seu *calcaneos Christi tui*, id est, ex Ezra & Kimhi, moram Christi tui, dicentes nunquam venturum illum, & fractos esse eius calcaneos. Sensus igitur, Semper irriserunt, atque etiamnum irrident hostes vanam, vt ipsi quidem putant, tuorum spem, qui Christum tuum liberatorem & seruatorem quotidie expectant. Chald. *exprobrauerunt tarditatem vestigiorum pedum Christi tui, Domine.*

53 *Benedictus Dominus* &c. His verbis, vt C ego quidem sentio, non Psalmus, sed tertius Psalmorum liber clauditur. Vide ad calcem primi & secundi libri. Eius ergò sunt hæc verba, qui Psalmos in ordinem digessit, atque in libros distinxit, non authoris huius Psalmi. Sic existimat Kimhi, qui tamen etiam autoris Psalmi esse posse docet, qui diuini afflatu numinis præuideat liberationem ex tot malis, atque idcirco Deum celebret. Non puto.

Finis Libri tertij Psalmorum. Laus Deo, & Virgini Matri.

Det mihi Deus Opt. Max. laborem, & constantiam.



PSALMORVM LIBER QVARTVS CVM COMMENTARIO

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENdissimum in Christo Patrem ac Dominum ÆGIDIVM DE SOVVRAY, *Regis in Sacro Consistorio Consiliarium, Antisiodorensium Episcopum, D. D. FlorentI & Carilesi Abbatem, nec-non Sanctæ & Regiæ Capellæ Parisiensis Thesaurarium.*



NDIGNVM tua doctrina munus, quod offero, Præsul Ill^me^. Nam quid est nisi grammaticale opus, quo simplex, historicus, & litteralis, qui dicitur, Psalmorum sensus explicatur? At me dignum opus, cuius officij prima pars artis Hebraicæ, adeóque Sacrarum litterarum rudimenta atque incunabula instruere. Infra te est, Præsul Ill^me^, quicquid in hoc genere dici atque excogitari potest. Neque tibi hunc laborem offerimus, vt vtaris, sed vt per te alij. Haud inutilis, spero, futurus est, si à te commendetur. Hoc tantùm à te peto, si tamen tua commendatione dignum iudicabis; vtque à calumniis, quibus hoc genus scripta plerumque obnoxia sunt in vulgus, tua authoritate vindices, ac tuearis. Nouam versionem damnabunt, qui veteris reprehensionem interpretabuntur: genus commentandi grammaticum, quo verborum, & sententiarum aptus inter se ordo demonstratur, vnáque historia ex fide Sacrorum librorum exponitur, non ferent, qui nihil non mysticum in Psalmis imaginantur: quódque orationis extremum vitium est, sacræ poëseos summam laudem ducunt, non cohærere, sic interdum, vt neque pes neque caput compareat. Iudæorum perfidiam, quorum testimoniis sæpe vtimur, objicient, & quamuis Christianæ doctrinæ, rationi, historiæ, & suæ linguæ consuetudini consentanea dicant, aut scribant, non tamen ijs ha-

bendam fidem contendent. Crimen eſt ſcilicet, & ingens crimen veritatem ex claro & limpido fonte haurire, commentarium certa methodo è Sacræ hiſtoriæ codicibus extruere. Hebræos etiam vera docentes audire, & ijs de hebraicæ dictionis vi, & hebraicorum vocabulorum proprietate credere, ſcelus eſt, & iudaicæ perfidiæ pars. Iſta eſt imperiti vulgi opinio : tua, tuíque ſimilium, quorum eſt ſapere, longè alia. A vobis igitur nihil eſt cur reformidem : imò à nemine, ſi tu mihi, quod ſpero, patronus eſſe volueris, Præſul Ill^me^. Vale, & viue diu felix Regno, & Eccleſiæ. Lutetiæ, pridie Idus Septemb. anno R. O. M. DC. XXIX.

Tuæ amplitudini addictiſſimus SIMEON DE MVIS, *Hebræarum literarum Profeſſor Regius.*



PSALMORVM LIBER QVARTVS CVM COMMENTARIO:

PSALMVS

LXXXIX. Heb. XC.

VERSIO

VETVS.


RATIO *Moysi hominis Dei. Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationē.*
2 *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis; à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.*
3 *Ne auertas hominem in humilitatem: & dixisti: Conuertimini filij hominum.*
4 *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præterijt,*
5 *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*
6 *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.*
7 *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.*
8 *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.*
9 *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.*

NOVA.


RATIO Moysis [a] hominis Dei. Domine, [b] refugium factus es nobis in generatione & generatione.
2 Priusquam montes [c] fierent, & [d] formaretur terra & orbis, & ab æterno vsque in æternum tu (es) Deus.
3 Reuerti facis hominem vsque ad contritionem: & dicis, Reuertimini filij hominum.
4 [e] Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, [f] quæ præterijt, & custodia in nocte.
5 Inundas eos, somnus sunt: manè sicut herba transit.
6 Manè floret, & transit: vespere exciditur, & arescit.
7 Quia deficimus in ira tua, & in furore tuo turbamur.
8 Ponis iniquitates nostras in conspectu tuo: occulta nostra ad lumen vultus tui.
9 Quoniam omnes dies nostri [g] deficiunt in ira tua: consumimus annos nostros sicut sermonem.

[a] *viri*
[b] heb. *habitaculum fuisti*
[c] heb. *nascerentur,*
[d] heb. *formares terram & orbem,*
[e] Potiùs Certè
[f] heb. *quum*
[g] heb *declinant*

10 Dies annorum noſtrorum, in ipſis ſeptuaginta anni; ſi autem in fortitudinibus octoginta anni: robur verò eorum labor, & dolor; certè recedit citò, & auolamus.

11 Quis nouit [h] poteſtatem iræ tuæ, & pro timore tuo iram tuam?

h prop. fortitudinē

12 Vt dinumeremus dies noſtros, ſic notum fac: & adducemus cor ſapientiæ.

13 Conuertere Domine; vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

14 Reple nos manè miſericordia tua: & exultemus, & delectemur in omnibus diebus noſtris.

15 Lætari fac nos pro diebus, (quibus) nos humiliaſti: annis, (quibus) vidimus malum.

16 Conſpiciatur in ſeruis tuis opus tuum, & gloria tua ſuper filios eorum.

17 Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos: & opus manuum noſtrarum dirige.

10 Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni.

11 Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.

12 Quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur.

13 Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

14 Dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia.

15 Conuertere Domine vſquequò? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

16 Repleti ſumus manè miſericordia tua: & exultauimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.

17 Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis, quibus vidimus mala.

18 Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.

19 Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos: & opus manuum noſtrarum dirige.

COMMENTARIVS.

Argumētum. E*Vincit titulus hoc carmen eſſe Moyſis. Nam habet ille* Oratio Moyſis hominis (viri) Dei: *qui titulus prolixè mox explicabitur ad primum verſum. Paraphraſtes* Chaldæus *ad iſtum modum interpretatus eſt*, Oratio, quam orauit Moyſes propheta Domini, quum peccaſſet populus domus Iſraël in deſerto. *Eſt ergò hic pſalmus precatio ad Deum, quam veriſimile eſt Moyſen ex occaſione ærumnarum & miſeriarum, quibus in deſerto iam tot annos affligebantur Iſraëlitæ, compoſuiſſe, vt eſſet tamen communis quædam precandi formula, quæ aſsiduè mortales de breuitate vitæ, & communibus generis humani calamitatibus commonefaceret, atque adeo excitaret ad conſiderandum iſtorum malorum cauſſas, déque ſalutaribus remediis cogitandum. Ex duabus partibus conſtat hic pſalmus, in quarum priore de humani generis miſeriis, ac potiſsimùm de fugacitate vitæ verba facit, iſtorum malorum cauſſam peccatis adſcribens: in poſteriore verò, quæ incipit verſ.* 12. *oratio eſt, quâ petit à Deo, vt Iſraëlitas doceat numerare, ac recogitare dies humanæ vitæ, illorúmque paucitatem ſemper ante oculos habere, quò ſtudium veræ ſapientiæ magis vigeat, contemptiſque huius vitæ bonis ac malis, æternorum bonorum ſpes ſola remaneat. Inde eundem Deum vehementer rogat, vt iram omittat, & cum ſeruis ſuis redeat in gratiam: vt poſt tam longas tot calamitatum tenebras lucem ſuæ bonitatis affulgere iubeat, quæ mæſtis longum, imò perpetuum gaudium afferat: vt ſicuti longo tempore eos hactenus afflixit, ita nunc viciſsim exhilaret: vt populis omnibus palàm faciat ſuam ipſius potentiam, & gloriam, ſuos ſeruando: vt denique ſereno vultu ſuos reſpiciat, eorúmque conſilia & conatus omnes gubernet. Difficile & obſcurum eſt hoc carmen propter figuras & ſimilitudines varias, necnon genera loquendi ſublimi poëſi digna, quibus, vt cælum ſyderibus, diſtinguitur atque ornatur.*

1 *Moysis*, id est, Moysis: reijcienda enim Saadiæ sententia, qui existimat τὸ *Moysis* idem esse atque *filiorum Moysis*, hoc est, Leuitarum, quorum erat canere in domo Sanctuarij. Est similis quidem eclipsis 1. Paral. 12. 27. *Ioiada quoque princeps de Aaron*, hoc est, de filiis Aaron: in Vulg. *de stirpe Aaron*. Verùm quis audeat certò præstare hîc esse similem eclipsin. Ac malo ego accipere id quod est in promptu, quàm diuinare quod nescio. Ezra putat & probat hanc orationem esse Mosis hoc argumento, (quod an satis sit firmum iure dubito) quòd hæc (tota) oratio plurium verbis concepta sit, id quod in iis, quæ sunt Dauidis, non fit. *Hominis* (prop. *viri*) *Dei*, id est, prophetæ seu Dei interpretis, ex consuetudine Scripturæ, 1. Reg. 13. & 2. Reg. 4. & alibi. Addo, Moses *homo*, seu *vir Dei* appellatur Deut. 33. 1. vbi Chald. habet *Propheta Domini*, sicuti & hîc, vt iam obseruatum est in Argum. *Domine, refugium* (prop. *habitaculum, receptaculum*) *tu* solus *fuisti nobis* &c. De miseriis humanis antequam disserat, suum, & piorum animos præmissâ hac consolatione munit, quâ Deum statuit tutam semper stationem & habitationem suis fuisse. Simile dixit Moses Deut. 33. 27. *Habitaculum Deus æternus*, id est, Deus æternus populum suum Israëlem proteget, quemadmodum domus defendit ab iniuriâ aëris. *In generatione & generatione*, hoc est, perpetuò, ab omni æuo.

2 *Priusquam montes fierent*, &c. Dicturus de humanæ vitæ breuitate, priùs æternitatem Dei breuiter attingit, vt ex collatione quàm fragilis sit humana vita magis appareat. Tu quidem, inquit, ô Deus, es æternus & immortalis: tu es, antequam montes existerent, imò & ipsa terra, ex quâ montes sunt: tu ab omni æternitate, & vsque in omnem æternitatem. *Deus* potens & fortis.

3 *Reuerti facis hominem vsque ad contritionem*: &c. Sensus, Tu qui æternus es, & immortalis, tu, tu, inquam, es, qui miserum hominem per varios morbos & ærumnas saltem tempore senectutis ad contritionem virium corporis reducis, ac iubes vt in puluerem, vnde à te effictus est, reuertatur. Alludit ad illud Gen. 3. 19. *puluis es, & in puluerem reuerteris*. Quum Deo ait, *Reuerti facis*, nec-non *dicis*, vult docere, hominem non deficere, nec mori casu, sed ex Dei lege scriptâ loco Gen. mox citato. *Hominem* ærumnosum & calamitosum: est enim hebraicè אֱנוֹשׁ *enosch*, quam vocem hîc posuit de industria, vbi de humanæ vitæ fragilitate agit. Rasi, Io-A seph Kimhi, & Kabuenaki sic ferme hunc versum interpretantur, Tu homini infers plagas, atque ita interdum eum castigas, vt ad virium debilitatem, ac mortis vicinitatem deueniat: atque eiusmodi pœnis & castigationibus, sic tanquam interpretibus ac legatis, eum veluti admones vt resipiscat, perinde ac si diceres, *Conuertimini filij hominum* à viis vestris malis. Chald. hoc sensu accepit, qui ita interpretatus est, *Reuerti facis filium hominis propter peccatum eius vsque ad mortem*: &c. Nos priB orem sententiam, quæ ferè est Ezræ & Kimhi, magis cohærentem, adeóque meliorem iudicamus, licet repugnet Geneb. & monstrum interpretationis esse affirmet, quia scilicet ex Vulgata effici non potest. *Reuerti facis*. Græc. Μὴ ἀποστρέψῃς, quem sequutus Lat. vertit, *Ne auertas*. Græcus scilicet אַל ex præcedente in hunc versum traxit, ac legit אַל *al*, *ne*, pro אֵל *el*, *Deus*. Vnde in Græco finis præcedentis versus tantùm habet σὺ εἶ. Ac miror habere Vulgatam, *tu es Deus*, præC ter Fontem suum Græcum. Certè D. Aug. & Romanum Psalterium tantummodo habent *tu es*. Quid si diceres duas fortasse lectiones in vnam coaluisse in Vulgata? Apparet. D. Hieron. ad Suniam & Fretellam affirmat omnes alios Interpretes, & Septuaginta transtulisse σὺ εἶ ὁ θεός.

4 *Quoniam mille anni* &c. Sensus ex Kimhi, Nam quid tua vita? Quoniam si videtur in oculis tuis, & putas te victurum mille annos, quot annos haud vixit primus homo, tot anni instar nihili sunt, siquidem tandem D mori te necesse est. Quamobrem ne superbias aut efferaris, si fortè dies proroges: quoniam omnes illi perinde habentur atque dies hesterna quæ præterijt, & vigilia vna è noctis vigiliis, omnes quippe labor & dolor. Sic ferè Kimhi. Meir Arama præcedentem versum cum hoc sic coniungit, atque interpretatur ad istum fermè modum, quasi homini dicat Deus, Conuertimini, neque sequimini corporis voluptates, quia etsi viueret quis mille annos, tamen in ipso mortis momento tot anni essent in oculis eE ius tanquam dies hesterna, quum præterijt. Vult significare nimirum, sicuti hesterni cibi suauitatem nemo sentit, ita nolo præteritarum voluptatum sensu ampliùs affici hominem. Censet quoque Ezra hæc esse ipsius Dei ad homines, nec nouum debere videri obseruat, quòd in numero multitudinis dictum sit *Reuertimini*, nunc verò dicatur *ante oculos tuos*, seu *in oculis tuis*, hûc enim esse sacrarum literarum morem, vt scilicet misceatur singularis numerus cum plurali, quod probat ex Deut. 29. 11. *Liberi*

& uxores vestræ, & aduena qui tecum mora- A *tur in castris.* Sed sequi omnino malo alios ex Hebræis, qui hunc versum, vt & qui præcedunt & sequuntur, authoris Deo loquentis esse volunt. Ac particulam כי *ci*, non pro rationali coniunctione hoc loco, sed pro aduerbio affirmandi *certè* accipio atque interpretor, id quod videri interdum significare illam particulam alibi iam est notatum. Sensus ergò est, meâ quidem sententiâ: Certè, ô Deus, æternus, & immortalis es, ita vt mille anni humanæ vitæ nihilo plus sint apud te, & ad æternitatem tuam collati, quàm nobis est hesternus dies exa- B ctus, aut vna noctis vigilia. *Quæ* (heb. *quum*) *præterijt.* Mirè hoc ad extenuationem pertinet. *Custodia in nocte*, id est, noctis quadrans: nox enim apud Hebræos in quatuor vigilias erat distributa, quæ singulæ ternis duntaxat horis constabant. Spatium humanæ vitæ cum vigilia noctis comparans docere vult illud non modò esse breuissimum, sed etiam plenum miseriis, erroribus, & difficultatibus, quæ solent per tenebras in Sacris literis designari.

5 *Inundas eos*, hoc est, Abripis eos citò C quasi nimbus quispiam inundans, & subitò coorta tempestas. *Eos* scilicet filios hominum, seu homines. *Somnus sunt*, hoc est, ac tunc euanescunt prorsus, euaduntque similes somnio. Significare autem velle videtur in prima versus parte, Quemadmodum nimbus quispiam, & repentina aquarum moles longè, latéque terram operiens, atque occupans, subitò, & antequam respicias, vniuersa defluit, sic vt paulò pòst nullum eius vestigium reliquum sit, ita homines possidentes multos agros & ditiones à D Deo interdum ad mortem subitò abripi, & momento citiùs omnem illum fastum ac superbiam euerti. *Manè sicut herba transit* ille, vel eorum aliquis. Sensus, videas aliquos in pueritia & prima illa ætate, quam hîc puto per *manè* esse intelligendam, extingui, instarque herbæ, quæ solis ardorem non patitur, flaccescere, repentè oriri, repentè occidere, manè nasci ac mori. Sensus esse potest, reperiri quosdam, qui cùm noctu sint nati, manè extinguuntur, & cadunt instar herbæ non ferentis solem. E

6 *Manè floret* alius quidem, *& transit.* Sensus, Alios quidem pueros cernas vigere, qui tamen statim ante meridiē transeant, aut saltem vbi senectus aduenerit; quò pertinet, *vespere exciditur, & arescit*, quasi herba scilicet, quæ vt satis habeat humoris ad sustinendum aliquandiu solis calorem, tamen vespere, nimirum diurno solis ardore exusta, arescit, ac succiditur. *Exciditur & arescit*, id est, arescens succiditur: interdum enim ad istum modum transponuntur verba per hysteron proteron. Vel *exciditur, & arescit* in sepulchro, quasi fœnum demessum in agro. Ergò natiuitas hominis est instar matutini temporis, mors verò vespera & nox: adeòque totum humanæ vitæ spatium vnicus duntaxat dies artificialis, hoc est, pars tantùm diei naturalis censendum est, cui nox, hoc est, mors succedat: sic vt dies hominis naturalis vitâ constet & morte. Sensus esse potest, Quosdam item reperiri, qui cùm manè nascantur, statim transeunt, & manè, aut saltem vespere moriuntur. Sensus hic optimè conueniet cum posteriore sensu posterioris membri præcedentis versus. His porrò omnibus breuitas vitæ humanæ eleganter exprimitur. *Transit.* Ex Kimhi hîc חלף *chalaph*, vertendum *innouatur.* Probat hanc significationem Kimhi ex Iob 14.7. Chald. etiam exposuit *multiplicatur.* Commodè sic quoque cohærebit posterius membrum, ad istum modum, Sunt qui instar herbarum manè floreant, & subinde nouas vires acquirant, donec tandem deficiant ac moriantur.

7 *Quia deficimus* seu *consumimur* quotidie *in ira tua*, &c. Caussam breuitatis, & miseriarum vitæ humanæ peccatis adscribit, quæ iram Dei prouocarint. Caussa mortis fuit Adam primi parentis peccatum: (*in quocumque enim die comederis ex eo, moriendo morieris*, Gen. 2. 17.) caussa verò breuioris æui, & calamitatum fuere posterorum peccata. Breuissima est, inquit, vita humana. Namque nos mortale genus ira & furore tuo conficimur, ac terremur quotidie. Nota subitam personæ & num. enallagen. *Turbamur*, metu scilicet mortis singulis momentis imminentis à te peccatis nostris prouocato. Huc pertinet versus sequens. In hoc versu sunt præt. pro præsentibus.

8 *Ponis iniquitates nostras* &c. Neque, inquit, immeritò sic deficimus, & turbamur: caussa enim in nobis est, scilicet peccata nostra, quæ tu, vt æquissimus iudex, inspicis, & annotas, etiam occulta quæ acerrimis tuis oculis patent; quò spectat posterius membrum, *occulta nostra ad lumen vultus tui*, repete *ponis*. *Occulta nostra* peccata, quæ homines latent, aut nobis persuademus Deo esse occulta, cùm non sint. Nihil enim Deo clausum est, qui interest animis nostris, & mediis cogitationibus interuenit. Sen. Epist. 84. *Occulta nostra*, vel *occultum nostrum*: deest enim Iod nota multitudinis in עלמנו *alumenu*: quæ nota tamen non sēmper exprimitur. Sunt, in quibus Chald. Rasi, & alij, qui exponant prædictam

prædictam vocem hebraicam, *peccata adolescentiæ nostræ.* Sed hæc interpretatio non videtur esse ad rem. Græcus, quem Lat. sequutus est, ὁ αἰὼν ἡμῶν, ex עֹלָם *olam*, i. *seculum*, pro עֲלֻם *alum.* Verùm sic perit elegans antithesis, quæ est in Fonte, *occulta nostra ad lumen vultus tui.*

9 *Quoniam omnes dies nostri defecerunt*, heb. *declinant* &c. Idem hic versus dicit, quod septimus, & est repetitio eiusdem. *Consumimus annos nostros sicut sermonem*, vel dicto citiùs, vt aiunt. Nihil fugacius aut celerius dicto, ac sermone: tantùm-B que est sermo, dum profertur, ac citò in auras euanescit, & in nihilum abit, nec postea reuocari potest: sed & dum est, tenuis solùm halitus est. Ita est prorsus de vita humana, quæ quid aliud quàm halitus, aut vapor ad exiguum tempus apparens, ac deinde disparens? Pro *sicut sermonem*, Paraphrastes Chaldæus interpretatus est, *sicut halitum oris hyemalem.* Græcus & Lat. aliter hos versus distinxerunt, legerúntque aliis punctis, כָּלִינוּ *chalinu*, *deficimus*, in Kal, pro כִּלִּינוּ *cillinu*, *consumimus*, in Piel. Legisse præterea videntur כְּקָו *cetau*, quod, *sicut aranea*, interpretati sunt, pro כְּמוֹ *cemo*, *sicut*, כ pro ם: קַו *cau*, autem *araneam* exposuerunt, ex קָוָה *caua*, quod *nere* significat, vnde & chaldaicè קוּית *ceuith*, aranea dicta est. הֶגֶה *heghe*, denique quod *sermonem* vertimus, tanquam verbum eos accepisse, aliis punctis, & fortasse paulò aliter legendo, perspicuum est. Verùm quid hoc, *anni nostri sicut aranea meditabuntur* significet, non satis clarum videtur. Agellius Episc. Acern. lubricum hunc esse locum affirmat, & in Septuaginta additione alterius interpretationis obscuratum.

Iac. 4.

10 *Dies annorum nostrorum, in ipsis* &c. Sententia plana est. Si, inquit, rectè ad calculos reuocare quis velit vitæ nostræ spatium longissimum, septuaginta, vel ad summum in iis qui sunt maiorum virium, octoginta esse annorum reperiet. Quærat aliquis, cur Moyses, qui centum & viginti annos vixit, *nec caligauit oculus eius, neque ausugit vigor eius*, Deut. 34. 7. vitæ humanæ spatium ad septuaginta aut octoginta annos reuocauit, præsertim cùm nonnulli interdum vltra centum annos vitam producant. Respondeo definisse Moysen modum ætatis, ad quem vulgò mortales viuunt. *In ipsis*, scilicet diebus annorum nostrorum. Singulari energia relatiuum simul cum antecedente absolutè posito in consuetudine Hebraicæ linguæ haud rarò vsurpatur. Vide ad vers. 31. ps. 18. Sic ps. 11. 4. & mox, quum ait, *Dominus*,

A *in cælo sedes eius*, pro, Sedes Domini in cælo. *Si autem in fortitudinibus* ac maioribus viribus naturalibus sit aliquis nostrum, hoc est, si quis autem optimè constitutus sit, si sit robustus, *octoginta anni. Et robur eorum labor, & dolor.* Sensus, dies porrò roboris, ac melior pars eorum dierum seu annorum (id est, ex Ezra, dies iuuentutis) minimè est expers dolorum, imò aliud nihil quàm labor & dolor. *Robur eorum.* Galli dicunt, *la force de l'aage. Certè recedit* (aliis *abscinditur*) *citò robur* B illud. Sensus, vt robusta illa, & iuuenilis ætas non omnino contemnenda videri possit, nec illæ voluptates, quæ propriæ sunt eius ætatis, & ad quas fruendas magis idonea est, nihilominus tamen pro nihilo habenda, quæ tam breuis est, tàmque subitò euanescit. *Et auolamus* vnà cum illo robore, & præcipites ferimur ad mortem & sepulchrum: transactis enim iuuenilibus annis, reliqua vitæ pars cursus est ad mortem. Si vis particulam כִּי *ci*, vertere *quo-C niam*, non *certè*, hæc erit sententia posterioris membri, *& robur eorum labor*, &c. atque vt dem vitæ humanæ aliquam esse ætatem, quæ aliquid roboris habeat, tamen fatendum est nihil aliud illam esse quàm laborem & dolorem, vel hoc etiam quòd citò euanescat & in dolorem conuertatur.

11 *Quis nouit potestatem (fortitudinem) iræ tuæ.* De breuitate vitæ postquam egit Moses, contemplans alias generis humani, ac præsertim populi Israelitici in de-D serto oberrantis miserias, exclamat sic, Quis verò est, qui iræ tuæ vim, quæ nunc in nos sic ob peccata exardescit, satis comprehendit? quasi dicat, Nemo: ita magna est, atque omnem sensum exuperat; ac leue malum est breuitas vitæ præ aliis quæ nunc patimur. Eodem pertinet & posterius membrum, *& pro timore tuo iram tuam*, repete *quis nouit?* Quod membrum sic expono, & quis iram tuam satis, atque vt te dignum est, cognoscit? quis poterit mente assequi iræ tuæ vim, perinde vt formidabilis tua potentia postulat eam intelli-E gi? *Pro timore tuo*, hoc est, pro timore te digno. Ad verb. *secundum timorem tuum*, quod ego explico, pro timore tuo. Sic mihi videor tamen posse exponere posterius membrum, *secundum autem timorem tuum ira tua*, proinde quasi diceret, quò magis aute te quisque timet, tuíque cultus studiosior est, eò magis in eum, quum vel paululum peccauerit, sæuit ira tua: incipitque iudicium à domo tua: id quod nos populus tuus in hoc deserto quotidie experimur. Hinc illud Dei Leuit. 10. 3. *in propinquis* 1. Pet. 4.

meis sanctificabor, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quære istum locum. Huc refer & illud ps. 89. 8. *Deus formidandus in concilio (congregatione) sanctorum multùm, & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* Postremo sensu accipiunt Rasi, Ezra, Kimhi, & alij. Certè fateor obscurum esse hunc versum.

12 *Vt dinumeremus dies nostros* &c. Obscurus quoque est hic versus. Neque verò libet omnes interpretum expositiones in medium adferre. En mea. *Vt dinumeremus dies nostros sic, notum fac*, hoc est, Doce nos, ô Deus, supputare vitæ nostræ dies, *sic*, hoc est, septuaginta, vel octoginta annorum, vti mox dictum est: fac vt tua cælesti doctrina imbuti quantula sit hæc vita præ altera cognoscamus: *& adducemus* seu *venire faciemus* intra nos sup. ex Ezra, *cor sapientiæ*, (loquutio poëtica) hoc est, atque ita sapientiores efficiemur, neglectis præsentis vitæ bonis iuxtà & malis. Simile est ps. 39. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum, & mensuram dierum meorum, quæ sit:* &c. Sed cur ait *notum fac*, ô Deus, scilicet? Annon vitæ humanæ breuitatem nostrum ingenium satis comprehendere potest? Minimè, vt par est, donec Dei spiritu edocti cum æternitate, quam sola fide assequimur, illam comparemus. Subtilius est quod Rasi obseruat, existimare quosdam τὸ כֵּן *cen*, quod versum est à nobis *sic*, pro numeris hoc loco esse accipiendum, ac notare *Septuaginta*. Est enim omnino præter consuetudinem sacrarum Litterarum, vt numeri solis litteris exprimantur, ac non potiùs semper ipsorũ numerorum nominibus. Addo & ex me alteram huius versus sententiam, & quæ magis est secundùm accentus, & aptè respondet præcedenti versiculo: *Vt dinumeremus dies nostros*, hîc Tarcha accentus distinguens, *sic notum fac*, hoc est, sic nos, vt tu nunc facis, malis & calamitatibus exercendo, doce quanta sit illius iræ tuæ vis, *vt dinumeremus dies nostros*, id est, vt vitæ breuitatem, & dierum numerum supputantes æquiore animo feramus hæc mala, ac tantùm de ęterna vita cogitemus. Vide vtra tibi magis arrideat. Mihi sanè vltima non displicet. Gręcus & Lat. לִמְנוֹת *limnoth, dinumerare*, ad pręcedentem versum retulerunt. Pręterea pro יָמֵינוּ *iamenu, dies nostros*, legerunt יְמִינְךָ *ieminecha*, ך pro נו. *Et adducemus.* Græcus & Lat. *& eruditos*, נְבוֹנֵי *neuone*, pro נָבִיא *naui*, Aqu. Simm. & Quinta Edit. verterunt *vt veniamus corde sapienti*, ex נָבוֹא *nauo*, ו pro Iod. D. Hieron. itidem vertit *& veniemus.*

13 *Conuertere* seu *Reuertere* ab æstu irę tuæ, iuxta Rasi & Ezram: vel *Conuertere* seu *Reuertere* ad nos, iuxta Kimhi, à quibus scilicet multo iam tempore oculos deiecisti. *Vsquequo* irascêris: vel deseres nos. Aposiopeses iratis & calamitosis familiares sunt. *Deprecabilis esto.* Verbum hebraicum הִנָּחֵם *hinnachem*, sonat propriè *pœniteat te*, vel *miserere*. Si posteriore modo accipis, sententia plana est: si verò priore, sic expone, muta sententiam, & pacatiorem animum indue erga seruos tuos. Hoc modo accepit Chald. qui interpretatus est posterius mẽbrum huius versus, *& reuertere à malo, quod loquutus es ad faciendum seruis tuis.* In hanc sententiam dicitur 2. Sam. 24. 16. *pœnituit Dominum super malo*, quod interminatus fuerat se facturum, *& ait Angelo percutienti* (prop. *disperdenti*) *populum, Sufficit nunc*, &c. vbi Vulgata habet *misertus est Dominus super afflictionem*, & Græcus μετεμελήθη κύριος ἐπὶ τῇ κακίᾳ, &c. Simile videre potes 1. Paral. 21. 15.

14 *Reple (Satia) nos manè* &c. *Manè*, hoc est, quàm citò: vel *manè*, inquit Theodoretus, vocant τὴν μεταβολὴν τῶν συμφορῶν, id est, *commutationem calamitatum.* Sensus huius versus igitur est, Diu in tenebris calamitatum egimus: iube nunc tandem citò vt tuâ misericordiâ instar optatissimę lucis affulgente ad satietatem fruamur, & vera perennique lętitia potiamur. *In omnibus diebus nostris* quum ait, significare vult veram lætitiam, quę diu duret, non falsam, quæ subitò euanescat. Gręcum & Lat. non iisdem punctis legisse, quibus nunc Iudæi legunt, perspicuum est: nimirum שָׂבַעְנוּ *sauanu, Repleti sumus*, pro שַׂבְּעֵנוּ *sabbeenu, Reple nos.* De reliquis, quæ differunt, facilè quiuis iudicare potest, modò mediocri Grammaticæ cognitione instructus, vt nihil opus sit ea à nobis notari.

15 *Lætari fac nos pro diebus*, prop. *secundum dies*, &c. hoc est, Vicissim nunc nos exhilarato, sicuti hactenus tot diebus, imò annis, cùm in Ægypto, tum in hoc deserto nos afflixisti. Græcus & Lat. שָׂמַחְנוּ *samachnu, Lætati sumus*, pro, שַׂמְּחֵנוּ *sammechenu, Lætari fac nos.*

16 *Conspiciatur.* Quasi dicat, Palàm nunc fiat omnibus Gentibus. *Opus tuum*, id est, opus salutis: quid possis. *In seruis tuis.* Erga seruos tuos. Duplex est Dei opus, alterum proprium, quum suos defendit: alterum extraneum, seu alienum, quum punit. De priore hîc sermo est, quod simpliciter Dei opus nominatur: de posteriore Es. 28. 21. vbi legitur, *vt faciat opus suum, alienum (extraneum) opus suum, & vt*

operetur operationem ſuam , peregrinam (*alienam*) *operationem ſuam. Et gloria tua*, quæ ſcilicet eluceſcet ex opere tuo. *Super filios eorum.* Optat ſalutem diuturnam, & quę ad poſteros extendatur. *Conſpiciatur.* Græcus vertit Καὶ ἴδε: legit enim וּרְאֵה *vre*, *Et reſpice*, pro יֵרָאֶה *ierae*, ו pro iod. *Gloria tua.* Gręc & Lat. verterunt *dirige*: legerunt enim aliis punctis הַדְרֵךְ *hadhrech*, pro הֲדָרֶךָ *hadharecha*.

17 *Et ſit ſplendor* (*decor*) *Domini Dei noſtri ſuper nos*, id eſt, Species illa decora & ſplendida diuini aſpectus nobis illuc eat: A decor ille diuinæ maieſtatis nos illuſtret, hoc eſt, aſpiciat nos Deus ſplendido & ſereno vultu, nobiſque faueat. Chald. hoc interpretatus eſt de Paradiſo, ſic, *Et ſit iucunditas horti deliciarum à conſpectu Domini ſuper nos.* *Et opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos*, id eſt, effice, ô Deus, vt quod aggredimur, te gubernante, fœliciter ſuccedat: fortuna actiones noſtras. *Super nos.* In nobis. Emphaticè hoc additum. *Et opus manuum noſtrarum* &c. Ingens affectus exprimit atque extorquet hanc repetitionem.

PSALMVS

XC. — XCI.

VERSIO

VETVS.



LAVS Cantici Dauid. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

2 *Dicet Domino : Suſceptor meus es tu, & refugium meum : Deus meus ſperabo in eum.*

3 *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.*

4 *Scapulis ſuis obumbrabit tibi : & ſub pennis eius ſperabis.*

5 *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.*

6 *A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano.*

7 *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*

8 *Veruntamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.*

9 *Quoniam tu es Domine ſpes mea: Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.*

10 *Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

11 *Quoniam angelis ſuis mandauit*

NOVA.



QVI habitat in latibulo Altiſſimi, [a] in vmbra Omnipotentis [b] commorabitur. a (&) b ad verb. pernoctabit.

2 Dicam (illi) de Domino ſpe mea, & refugio meo, Deo meo in quo ſpero:

3 [c] Quòd ipſe liberabit te de laqueo venatoris: à peſte exitiali. c vel Certè

4 Alis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius [d] ſperabis: ſcutum & clypeus veritas eius. d tutus eris

5 Non timebis à timore nocturno: à ſagitta volante in die:

6 A peſte perambulante in tenebris: à lue vaſtante (in) meridie.

7 Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te (autem) non appropinquabit.

8 [e] Tantùm oculis tuis [f] conſiderabis, & retributionem [g] peccatorum videbis. e Profectò f aſpicies, g improborum

9 Quoniam tu Dominum ſpem meam, [h] Altiſſimum, poſuiſti [i] refugium tuum. h Excelſũ, i habitaculum

10 Non [l] accedet ad te malum, & [m] flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. l heb. accidet m heb. plaga

11 Quoniam Angelis ſuis mandabit

de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.

(12 In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

13 Super leonem, & aspidem ambulabis: conculcabis leunculum & draconem.)

14 Quoniam me amauit, propterea liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

15 Clamabit ad me, & exaudiam eum; cum ipso ego in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

16 Longitudine dierum [a] replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

[a] *satiabo*

de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis.

12 *In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

13 *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.*

14 *Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.*

15 *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.*

16 *Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ.

Dubitatur quis huius psalmi sit author. Plerique Hebræorum, quorum est Ezra, dubius tamen, sentiunt hunc quoque & sequentes nouem vsque ad 101. *qui habet in Titulo,* Dauidis Psalmus, *esse Mosis, quòd scilicet alterius nomen authoris non legatur in Titulis, ita vt præcedens, & qui interiecti sunt ad* 101. *vsque, eiusdem videantur esse authoris. Verùm non esse nouem psalmos, qui sequuntur, ipsius Mosis, mihi videor hac vna ratione demonstrare posse. Psalmo abhinc octauo, qui est* 99.*us intérque eos, qui Mosi à nonnullis Hebræorum tribuuntur, versu* 6. *Samuelis fit mentio, qui multos annos post Mosen vixit. Ergò saltem iste psalmus non est Mosis. Nihil addendum esset præterea. Verùm hoc addam tamen, psalmum hunc à Chaldæo, versu* 2. *Dauidi, mox verò sequentem ab Hebræis, veteribus saltem, Adamo tribui. Igitur incertum est etiam apud Hebræos huius carminis & sequentium autor quis sit. Ego sanè existimo hunc psalmum esse communem formulam precandi à Dauide conscriptam occasione horribilis illius pestis, quæ in Iudæa grassata est, subitòque septuaginta millia virorum absumpsit, atque interemit, nihil læsâ vrbe Hierosolymitana, vt cui Deus piorum precibus commotus pepercit. Quæ historia describitur* 2. *Sam. vltimo, &* 1. *Paral.* 21. *Cur sic existimem si quis quærat, respondebo, quòd ad illam historiam verba & sententiæ psalmi omnes facilè congruant. Non tamen omnino certus sum ita esse: & fieri fortasse potest, vt ad aliam similem historiam pertineat hoc carmen, eiúsque alius sit author, quàm Dauid. Si tamen consulimus Græcum & Lat. interpretem, hisque, vt par est, præsertim quando nihil impedit, fidem habere volumus, Dauidem huius psalmi authorem esse intelligemus. Vterque enim Titulum hunc præfixit,* Laus cantici Dauid. *Negat tamen Card. Bellar. prædictum Titulum in omnibus codicibus Græcis inueniri: affirmatque S. Hilarium in Prologo psalmorum, S. Hieron. Theodor. & Euthymium in commentario huius psalmi, disertis verbis dicere, eum carere Titulo. Docet item SS. Ioannem Chrysostomum & Augustinum nullam tituli mentionem facere. Quare credibile esse ait, Titulum postea fuisse additum, vt intelligeremus hunc psalmum à Dauide fuisse compositum; non à Mose, vt Hilarius, & quidam alij tradiderunt.* Sed *vt fortasse de authore huius psalmi incertum sit, certum est profectò hoc carmine nihil neque solidius, neque splendidius, non dico scribi, sed ne cogitari quidem posse. Atque vtinam ego figuras, numeros & elegantiam hebræi sermonis exprimere possem. Sperarem profectò concessuros mihi omnes, nullum græcum aut latinum poëma cum hoc esse comparandum. En tibi conabor breui & succincta paraphrasi, vt potero, illud explanare.*

Certa profectò est salus in Dei præsidio. Atque ego Dei opem sæpe expertus tibi affirmo, quisquis es, si modò in illo spem ponas, fore vt à peste grassante libereris, manúmque Angeli percutientis euadas. Alis suis, quasi gallina pullos, ipse te fouebit ac tutabitur pro data ad se confugientibus fide. Nihil erit quod siue noctu siue interdiu timeas. Pestis neque nocturna, neque diurna quicquam te lædet, hinc inde ad tua latera millenis homi-

num corruentibus. Spectator tantùm aderis alienæ stragis, & pœnarum, quibus sceleratos vlciscitur Deus. Nullum te, aut è tuis quemquam attinget malum. Deus siquidem Angelos suos, quoquò eas, itineris duces ac comites adiunget, qui te ceu manibus, si necesse sit, sublatum gestent, ne fortè aliquò impingas: & quorum beneficio, si sit opus, leones ipsos, & quascumque feras bestias pessundes. Sic autem Deus ad Angelos: Quandoquidem hic meum nomen cognoscit, méque amat ex animo, certum est eum seruare, & quoties opem meam implorabit, exaudire, ipsique semper adesse, imò socium esse in periculis, neque tantùm ex ijs eximere, sed exemptum etiam honoribus ornare. Ad hæc, prorogabo illi vitam ad multos annos: ac denique æternæ fælicitatis meæ faciam participem. Hæc ferè summa huius psalmi.

1 *Qui habitat in latibulo* (*abscondito*) &c. Perplexum omnino est huius psalmi initiũ propter subitas personarum mutationes. Experiar explicare. Primus versus sic habet, *Qui habitat in latibulo Altissimi,* (*&*) *in* &c. Quorum verborum hæc est sententia, Quicumque se Dei tutelæ committit, ac velut ad eius vmbram confugit: quicumque diem noctémque in Deo spe & fide cõquiescit, neque de vllo humano casu laborat. Sic posterius membrum prioris est exegeticum pro more. Quod subijcit mox sequente versu, *Dicam de Domino* &c. sic mihi videtur esse accipiendum, *Dicam*, illi scilicet, *qui habitat* &c. *de Domino spe mea*, &c. hoc est, de Domino, qui est, sempérque fuit vnicum mihi perfugium, & asylum, & Deus meus sola spes mea: quasi dicat, Expertus loquor. Quid verò dicam? *Certè* (sic enim verti potest) *ipse liberabit te* &c. sicuti me semper fecit. Experiamur aliam viã. *Qui habitat in latibulo Altissimi, in* &c. hoc est, Quicumque ad Deum confugiet, tutus erit ab omni periculo, & in eius quasi vmbra securus quiescet. Sic prius membrum erit subiectum, posterius verò prædicatum: ac primo hoc versu generalis sententia continebitur. Deinde, *Dicam*, ait, *de Domino spe mea*, &c. *Quòd* (nam sic etiam verti potest) *ipse liberabit te* &c. *Te*, quisquis es, si modò in eo spem ponas, ac te recipias ad eius latibulũ, vti ego facio. Vtraque expositio satis simplex videtur, & facilis. Aliæ aliorum sunt versiones, & interpretationes, quas omitto. Coniunctim facilitatis ergô, & quò meliùs ordo constaret, sic visum nobis est hos versus exponere. Nunc videamus seorsim & singillatim, quæ restant. Ac primùm de primo versu. *Qui habitat in latibulo Altissimi*, id est, Qui apud Deum aduersùs mala & pericula latebras quærit, ac se occultat. *Habitat* vocabulum est emphaticum, sicut & *commorabitur*, ad verb. *pernoctabit*. *Latibulo*. Græc. & Lat. ad sententiam magis, quàm ad vocem respicientes reddiderunt *adiutorio*.

Omnipotentis. In Fonte שַׁדַּי *schaddai*, quod vnum est ex Dei nominibus, Deum significans vel quasi sibi sufficientem, &

A omnia in se continentem, αὐταρκῆ, ex שֶׁ *sche*, id est, *qui*, & דַּי *dai*, id est, *sufficiens*; vel quasi potentem omnia vastare, atque in nihilum redigere, sicuti omnia è nihilo fecit, à themate שָׁדַד *schadhadh*, quod est *vastare*. Vltimo modo accipiendo, optimè redditur *Omnipotens*, quo modo multis in locis Latinus reddidit, Gen. 17. 1. necnon 49. 25. Iob 22. 24. necnon 23. 16. Græcè vtrobique παντοκράτωρ, Ezech. 10. 5. vbi Græcè σαδδαὶ retinetur.

2 *De Domino*. In לַיהוָה *ladhonai*, ל non est dandi casus nota, sed significat *de*, ex

B Ezra & Kimhi. De hac re dictum sæpe aliàs.

3 *Quòd*. כִּי *ci*, esse *quia*, & *quòd* pro sensus commoditate, vt ὅτι apud Græcos, obseruat Mercerus in Thes. Pagn. Interdum etiam videri significare *certè*, alibi iam sæpe annotauimus. *Te* in Heb. & Græco. At in Lat. *me*. *De laqueo venatoris*. Per *venatorem* intelligo Angelum illum vastatorem, de quo 2. Sam. 24. 16. & 1. Paral. 21. 15. Iste tanquam auceps & venator circuibat Iudæam, & homines peste sic tanquam la-

C queo irretitos interficiebat. Alij per *laqueum venatoris* intelligunt vniuersim quascumque insidiantium fraudes. Sed ego propter sequens membrum, *à peste exitiali*, ad verb. *exitiorum*, restringo. *A peste*. Græcus & Lat. quia legerunt דָּבָר *deuar*, pro דֶּבֶר *deuer*, verterunt *à verbo*. Sic quoque Symm. D. Hieron. vertit *à morte*.

4 *Alis suis obumbrabit tibi*, quasi gallina quæ sub alas receptos pullos suos tutatur. *Scutum & clypeus veritas eius*, id est, promissiones Dei, quibus ipse opem ad se confugientibus pollicitus est, tibi erunt firmus

D clypeus, neq; n. mendax vult aut potest esse. Hoc sensu Prou. 30. 5. scribitur, *Omnis sermo Dei igne purgatus: clypeus est sperantibus in se. Veritas eius*, hoc est, promissiones eius, quæ nunquam non veræ sunt. *Sermo tuus veritas est*. Ioan. 17.

5 *Non timebis à timore* &c. Sensus, Nulli te terrores aut casus percellẽt, siue nocturni, siue diurni: nõ erit cur timeas, imò nihil timebis tã diu, quã noctu, si te, tuáque omnia Deo commiseris. Quod si non facis, time-

Deut. 28. in fine.

bis, vbi non erit timor: *dabitque tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te, ac timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices, Quis mihi det vesperum? & vespere, Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem qua terreberis, & propter ea quæ tuis videbis oculis.* Per *timorem nocturnum*, humanos casus noctu cótingentes videtur intelligere. Optimè autem duo hæc coniungit, *timore nocturno*, quòd noctis solitudo ac tenebræ terrorem vehementer augeant: nox que struendis insidiis magis sit idonea, at præcauendis minimè. Vnde in Cant. cap. 3. vers. 7. & sequente legimus lectulum Salomonis sexaginta fortes ambire ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimos, vnoquoque ensem habente super femur suum propter timores nocturnos. Per *sagittam volantem in die*, diurnos casus notat. Optimè autem *sagittam* ait, quòd instar sagittæ aduersi casus hominem subitò & nihil tale cogitantem lædant. Sagittæ volatum tribuit propter celerrimum eius cursum, necnon propter pinnas capiti affixas, inquit Kimhi. Rasi per *sagittam volantem* intelligi vult hoc loco dæmonem volantem instar sagittæ. Chald. totum versum interpretatur in hunc modum: *Non timebis à timore Dæmonum, qui ambulant noctu: à sagittâ Angeli mortis, quam iaculatur interdiu.* Ego propter sequentem versum, qui huius tantùm videtur esse expositio simplex, id est, absque figura, crederem vtrumque membrum huius versus ad pestem quoque esse restringendum: etsi Ezra & Kimhi latiùs patere putant. *Sagittam* pestem appellari cur nouum videbitur, cùm hoc familiare sit Græcis & Latinis? Caussa huius metaphoræ est, quòd sicut sagitta pernici volatu magnum aëris tractum momento permeat: ita pestilentiæ venenum puncto temporis longè lateque spargitur, præsertim de die, quum solis calore fusa atque hiantia corpora virus promptiùs hauriunt. Idcirco dixit *à sagitta volante* (emphaticè) *in die*, cùm in mox sequente versu de peste nocturna verbum *ambulandi* solùm vsurpet.

6 *A peste perambulante* &c. Pestis, si est à caussa frigida, noctu; si à calida, interdiu, ac præsertim de meridie, quum vehementior est solis calor, infesta maximè est. Sicferè Ezra. Ad hoc respexit in hoc versu, cuius pars prior priori parti, posterior verò posteriori mox præcedentis versus videtur respondere. *A peste.* Grçcus & Lat. pro דֶּבֶר *dever*, hic quoque legerunt דָּבָר *da-*

A *uar*, aliis solùm punctis, & verterunt *Anegotio*. Namque hebraicum vocabulum, quod *pestem*, necnon illud, quod *negotium*, & quamcumque rem in genere, *chose* vernaculè, significat, vocalibus & punctis tantùm differunt, sicuti tu vides. Germanos communi rei vocabulo pestem appellare audiui. Scio Gallis generali morbi nomine vocari, *la maladie*. Itaque fortasse existimet aliquis illud Græci & Lat. Interpretis, *A negotio*, nihil aliud esse quàm à re in genere, hoc est, à peste: eóque modo de
B industria ab illis versum. Ego profectò malui cum D. Hieron. & recentioribus vertere id quod in Hebræo est, *A peste. A lue vastante* &c. Græcus & Lat. aliter hic videntur legisse, nimirum וָשֵׁד *vaschedh, & dæmonio*, pro יָשׁוּד *iaschud*, *vastante*, ad verb. (*quæ* sup.) *vastat*. Aquila vertit ἀπὸ δηγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας. Symm. συγκόμμα δαιμονιώδες μεσημβρίας. Vterque scilicet videtur significationem verbi יָשׁוּד *iaschud*, ex deriuato nomine שֵׁד *schedh*, quod à *vastando* Dæmonem significat, de-
C riuasse. Rasi putat דֶּבֶר *dever*, quod redditum est, ac reddi solet *pestis*, & קֶטֶב *keteu*, quod idem significat, Dæmonum esse nomina, quorum ille noctu, hic verò diu mortales infestat. Chaldæus de posteriore idem sensit, qui interpretatus est, *à turma Dæmonum vastantium in meridie.*

7 *Cadent* peste suffocati. *A latere tuo* sinistro. *Non appropinquabit* pestis. Sic ex Ezra, & Kimhi, qui Kimhi etiam ad tempus sæuientis prælij hunc versum refert, quo tempore qui se Dei misericordiæ com-
D misit, hinc inde millenis hominum corruentibus, saluus emergit, nec ad eum vllum malum aut hostis accedit.

8 *Tantùm oculis tuis considerabis* spectabisque incolumis cadentes eos, qui ad Deum non confugere, sicut tu. *Tantùm* ait, quasi dicat, nec tu quicquam mali aut incommodi senties. Potes vertere *Profectò*.

Et retributionem peccatorum seu *improborum* &c. Hoc quum dicit, significare vult pestem sæpiùs à Deo in vltionem scelerum immitti, & impiis plerumque hominibus:
E etsi interdum etiam contagione ad pios pertingat, quos certo consilio sinit Deus affligi, malisque communibus inuolui. *Sæpe Diespiter Neglectus incesto addidit integrũ*, ait Flaccus alicubi. Hesiodus in *Operibus* apertiùs dixit, Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ, id est, *Ac sæpe vniuersa ciuitas mali viri causâ pœnas luit.* Subijcit idem mox quod vehementer ad rem facit, Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων, Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί, id est, *Illis autem cælitus magnum*

adduxit exitium Saturnius, Famem simul & pestem: intereunt verò populi, &c.

9 *Quoniam tu Dominum spem meam*, id est, qui est quoque spes mea, *posuisti refugium tuum.* Sic ferè Kimhi. *Altissimum* seu *Excelsum*, id est, Deum, ex Rasi. *Refugium tuum*, ad verb. *habitaculum tuum*, id est ex Rasi, habitaculum tuæ fiduciæ. Sic ps. præced. versu 1. *Domine refugium* (*habitaculum*) *tu fuisti nobis.* Rasi huic versui supplet verbum *dixisti*, ad istum modum, *Quoniam tu (dixisti,) Dominus spes mea.* In Græco & Lat. supplendum necessariò hoc verbum ex Theodoreto, & aliis, sic, *Quoniam dixisti, Tu* &c. Theodoretus eiusmodi eclipsim propriam esse propheticæ Scripturæ, præcipuè verò Psalmorum ait.

10 *Non accedet* (heb. *accidet*) *ad te malum* vllum: *& flagellum*, heb. *plaga*, pestis scilicet, aut alterius cuiusuis mali, *non appropinquabit tabernaculo tuo*, id est, nec tibi, nec cuiquam è familia tua: *transiliet* enim *Dominus iuxta ostium, & non sinet percussorem* seu *vastatorem ingredi domus vestras, & lædere*, vt est Exo. 12. 23. *Tabernaculum* pro domo vsurpat, vxorémque & liberos intelligit, & quotquot domi agunt. Hinc Scriptura Gen. 25. 27. quum significare vult clementem vitam vrbanam, atque otium domesticum secutum esse Iacob, cum dicit virum simplicem fuisse, & habitasse in tabernaculis, cùm scilicet Esau ruri vitam ageret venandi & agriculturæ studio deditus. Huc quoque pertinet illud Iob 5. 24. *Et scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum.*

11 *Quoniam Angelis suis* &c. Ratio præcedentis versus. Habes porrò aliquid simile huic versui Exo. 23. 20. *Ecce ego mitto Angelum qui præcedat te, & custodiat in via.* Angeli sunt λειτουργικὰ πνεύματα, vt Autor Ep. ad Heb. loquitur, cap. 1. illorúmque est castrametari in circuitu timentium Deum, eósque eripere, ac seruare. *Mandabit*, iis verbis eos alloquens, quæ versu 14. & postremis duobus habentur. Nam qui mox sequentur duo versus, quasi per parenthesin videntur interiecti, perinde ac si dicat, ac certè Angeli Dei mandatum exequentes *in manibus portabunt te*, &c.

12 *In manibus portabunt te*, &c. Angeli ipsi, quasi nutrices, vt sine offensa incedas, manibus suis gressus tuos fulcient, imò, si necesse est, te gestabunt. Loquutio est figurata, quâ maximã Angelorũ curã erga pios homines vult exprimere. *Ne fortè offendas* (actiuè præter morem Latinorum) *ad lapidem* &c. Potest verti, *ne fortè offendat ad lapidem pes tuus.* Vide similem locutionem Prou. 3. 23. Huc refer illud Iob 5. 23. *Sed (&) cum lapidibus agri pactum tuum:* vt scilicet non lædant pedes tuos, quasi ex pacto. Chaldæus per *lapidem* intelligit fomitem peccati, totúmque hunc versum παραφράζει, *In fortitudinibus suis portabunt te, ne fortè offendas in concupiscentia praua simili lapidibus pedis tui*, vel iuxta alia exẽplaria, *ne fortè offendat in concupiscentia praua simili lapidi pes tuus.*

13 *Super leonem & aspidem ambulabis:* &c. citra periculum, quippe qui Angelos tui custodes habeas. Conuenit huc illud Iob loco mox notato, *& bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Adde illud eiusdem cap. versu 22. *& bestias terræ non formidabis.* *Super.* Hæc vocula emphasim habet: quasi dicat, Non modò sæuissimos inter leones & feras illæsus incedes, sed etiam super, si sit opus: quò pertinet verbum *conculcandi* positum in sequente membro. *Ambulare* igitur *super*, & *conculcare* idem sunt.

14 *Quoniam me amauit* amátque, (hoc enim præteritum, sicut & quod sequitur, includit præsens) *liberabo eum:* &c. Puto cum Ezra hæc esse verba Dei ad Angelos, hócque eius ad illos mandatum, cuius suprá, vers. 11. mentio facta est. *Protegam eum*, ac veluti in loco sublimi constituam, vt nihil mali ad eum possit pertingere. De verbo שגב *siggeu*, memini me iam alibi scripsisse. Consulantur Lexica. *Cognouit nomen meum*, hoc est, me non vulgariter, sed familiariter veluti, & ex nomine cognoscit: veram habet mei nominis cognitionem. Hoc loco *cognoscere nomen Dei* mihi videtur idem esse ac cognoscere Deũ ex nomine, hoc est, verè ac propriè, non vniuersim tantùm, quemadmodum Deum cognoscunt, qui numen aliquod supremum tantùm cognoscunt, nihilque præterea.

15 *Clamabit ad me*, &c. Sensus, Quoties me in publicis malis inuocabit, eum exaudiam. Inuocandus ac veluti excitandus Deus, si ipsum volumus nobis periclitantibus adesse. Christus, quum in puppi propè iam submergenda dormiret, excitatus est à discipulis clamantibus, *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Igitur si volumus in periculis seruari, Deum adeamus ac veluti excitemus, imò verò ipsi nos excitemus, qui facimus vt Deus nobis dormiat, aut certè dormienti similem se nobis præbeat. *Cum ipso ego* (sup. ero) *in tribulatione*, semper illum adiuuans. Vel sensus est quasi diceret, miseriarum eius præbebo me socium: ero illi in omnib. periculis particeps. Verum est illud, κοινὸν ναυάγιον ἑκάστοις πα-

εγκυόνιον, & doloris societas iuuat. Quid ergo si Deus ipse in aduersis nobis se sociũ adiungit, & nostris calamitatibus afficitur? Magnum est & consolatione plenum eum nos habere periculorum socium, qui, quum velit, ea pôssit nullo negotio depellere. *Eripiam eum*, nec hoc tantùm, sed *& glorificabo eum.* Non satis habet Deus suos seruare, & à periculis eximere: sed eos etiam postea gloria magnisque honoribus auget atque ornat. Suos interdum deprimit Deus, vt altiùs sustollat. Cogitat homo de homine malum, sed Deus vertit ac
Gen. 50. 20. deflectit illud in bonum. Docent hoc exempla Iosephi, Dauidis, Danielis, Mardochæi, & similium.

16 *Longitudine dierum replebo eum* in hac vita: faciam vt multos annos in terris viuat, tandémque deficiens moriatur in se-
Gen. 25. 8. nectute bona, senex, & plenus ac satur dierum instar Abrahami, Isaaci, & Dauidis. Non solùm, inquit, faciam vt senescat, sed etiam vt ad extremam senectutem perueniat: hanc enim vim habet, *Longitudine dierum replebo eum*, in Fonte emphaticè magis, *satiabo eum*, perinde ac si diceret, Faciam vt eum capiat satias vitæ. Interest senem inter & plenum dierum, vt videre est ex Ier. 6. 11. Nam plenus seu

A satur dierum est extremæ ætatis vir ac decrepitus. Promissio porrò, quæ hoc versu continetur, etsi prima fronte fallere interdum videtur, non tamen fallit. Nam hoc tenendum est, promissiones temporales semper esse intelligendas sub hac conditione, modò expediat vt fiat quod promissum est. Igitur quia pios citiùs interdum è vita migrare & ipsis, & publicæ Ecclesiæ saluti vtile est; rapiuntúrque ne malitia mutet intellectum eorum: nihil Sap. 4.
B mirum videri debet, si non semper ad extremam ætatem, sicut in hoc versu promittitur, pij annos perducunt. Neque verò vir iustus si morte præoccupatus fuerit, minùs propterea senex & plenus Ibid.
dierum existimandus est. Senectus enim venerabilis, non diuturna, neque annorum numero computata: sed cani sunt sensus hominis. Et ætas senectutis vita immaculata. Ac vir ille consummatus in
C breui expleuit tempora multa. Et quia placita erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatum. *Et ostendam illi* denique *salutare meum* in altera vita, ex Ezra & Kimhi, vbi solùm vera est Dei salus. Kimhi annotat totum hunc versum de futura vita posse exponi.

PSALMVS

XCII. XCI.

VERSIO

NOVA.	VETVS.
Psalmvs cantici in die Sabbati.	In die sabbati.
2 Bonum (est) confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime:	2 *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime;*
3 Annuntiare manè misericordiam tuam, & veritatem tuam [a] per noctem,	3 *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem;*
4 Super decachordo, & [b] psalterio: super cantico in cithara.	4 *In decachordo, psalterio; cum cantico, in cithara.*
5 Quia [c] delectasti me Domine in factura tua: in operibus manuum tuarum exultabo.	5 *Quia delectasti me Domine in facturа tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.*
6 Quàm magna sunt opera tua Domine! [d] nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.	6 *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.*

a ad verb. in noctibus.
b nablio.
c Prop. lætificasti.
d valde.

7 Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.

8 Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.

9 Vt intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum Domine.

10 Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

11 Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum: & senectus mea in misericordia vberi.

12 Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

13 Iustus, vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

14 Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

15 Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi: & bene patientes erunt, vt annuntient:

16 Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.

7 Vir insipiens non [d] cognoscet, & stultus non [e] intelliget hoc:

8 Quum germinauerint peccatores sicut herba, & flores emiserint omnes qui operantur iniquitatem, ([f] fieri) vt pereant in æternum.

9 Tu autem excelsus in æternum Domine.

10 Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

11 Et [g] exaltatum est sicut vnicornis cornu meum: perfusus sum in oleo viridi.

12 Et vidit oculus meus in inimicis meis: de insurgentibus in me malignantibus audierunt aures meæ.

13 Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.

14 Plantati (sunt) in domo Domini: in atriis Dei nostri florebunt.

15 Adhuc germinabunt in senecta: pingues & virides erunt.

16 Ad annuntiandum quòd rectus Dominus: petra mea, & non (est) iniquitas in eo.

d cognouit.
e intelligit
f vel fit
g exaltasti

COMMENTARIVS.

Rabbini in Peras scribunt hunc psalmum à primo homine editum, statim ac creatus est, pridie Sabbathi vespere. Missis aliis eorum somniis, dico incertum esse huius carminis authorem, (nisi cum Kimhi, Præf. in Psalmos, sentias eos psalmos esse Dauidis, quibus nullum authoris nomen præfigitur) certum verò argumentum. Nam ex Tit. constat psalmum hunc compositum esse, vt die Sabbathi publicè præcineretur. Testis est Kimhi decantatum olim fuisse die Sabbathi in domo Sanctuarij. Igitur in hoc psalmo bellam & bonam rem esse ait Deum laudare, diùque ac noctu eius misericordiam, & in seruandis promissis fidem prædicare. Nam profectò, inquit, tua quum opera contemplor, ego verò tum sentio vehementer affici gaudio atque exultare animum meum. Hactenus præludium. Sequitur narratio, in quâ sors impiorum & piorum contraria copiosè describitur, quâ in re Dei misericordia, veritas, iustitia, & prouidentia præsertim elucent, cùm illis tandem, etsi aliquandiu florere videantur, malè, his verò, etsi interdum & sæpe rebus aduersis premantur, fœliciter eueniat. Impios herbulæ vt leniore quidem sole statim efflorescenti, ita vel sponte citò marcescenti comparat, quòd breuis ac pene momentanea sit illorum fœlicitas: pios verò ac iustos palmæ & cedro Libani, quæ diu durant, & perpetuò virescunt, quòd nempe in Dei domo veluti consiti semper vigeant ad extremam vsque senectam. Quæ omnia, inquit concludens psalmum, euidenter arguunt Deum esse æquissimum mundi gubernatorem. Argumentum.

2 *Bonum (est) confiteri Domino*, &c. Propositio. *Bonum est* &c. semper, sed præsertim hodie, qui dies non tam ignauo corporis otio à Deo datus est, quàm vegetæ mentis quieti, vt homo negotiis omnibus solutus colligeret omnes suos sensus ad meditanda & celebranda Dei opera. *Bonum* hoc loco significat vtile, honestum,

iucundum. *Confiteri* corde & animo. *Pſallere* lingua. Vel, *confiteri* voce & ore. *Pſallere* inſtrumentis : quò pertinet verſus 4. *Altißime.* Sic ex Kimhi. At ex Ezra, *nomini tuo altißimo* ſeu *excelſo* ſuper omnia nomina. Ex Ezra & Kimhi porrò vertendum eſſet, *Bonus eſt* (ſcilicet dies Sabbathi) *ad confitendum Domino, & ad pſallendum* &c. Et Kimhi quidem ſic habet ferme, Dies Sabbathi Domino melior eſt reliquis diebus hebdomades. In eo enim homo vacat à ſecularibus negotiis, eſtque animo puro ac libero à ſollicitudine corporis, ſolùmque occupato in ſapientiæ ſtudio, & cultu Dei. Simplicius eſt accipere priori modo.

3 *Annuntiare manè* &c. Simile eſt pſ. 119. 147. *Præueni crepuſculo.* Verſu ſeq. *Præuenerunt oculi mei vigilias, vt meditarer eloquia tua.* Ver. 62. *Media nocte ſurgo ad confitendum tibi,* &c. *Manè*, & prima luce, antequam quicquam ſuſcipias aut aggrediaris, & quum liberior eſt mens, atque adeo ad diuina largiùs haurienda aptior. *Per noctem*, heb. *in noctibus.* Vult ſignificare non eſſe ita indulgendum ſomno, vt non etiam aliquam noctis partem celebrandis Dei laudibus tribuamus.

4 *Super decachordo & pſalterio.* Vide ad verſ. 2. pſ. 33. *Super cantico* &c. Kimhi cenſet הִגָּיוֹן *biggaion*, canticum eſſe, quod in cithara canitur. Ezra vult eſſe ſpeciem melodiæ, aut nomen inſtrumenti muſici.

5 *Quia delectaſti*, heb. *lætificaſti* &c. Probat propoſitionem ex ſe, quem dicit diuinorum operum contemplatione vehementer delectari. *Exultabo*, pro, exulto, ſeu exultare ſoleo.

6 *Quàm magna ſunt opera tua* &c. Hactenus præludium fuit. Nunc narrationem aggreditur, & è multis diuinæ laudis argumentis hoc ſibi proponit, infœlicem impiorum ſtatum, piorum autem verè fœlicem : qua in re diuinæ miſericordiæ ac veritatis, quarum verſu 3. facta eſt mentio, non parua laus eſt. Quoniam autem plerumque videas impios florere, pios verò iacere in luctu & ſqualore, ita vt difficile ſit hîc fœlicitatem ab infœlicitate diſcernere, idcirco huius rei narrationem incipit ab exclamatione, quæ hunc ſenſum habet, Quàm alta ſunt & ſublimia, ſic vt nemo poſſit attingere, ea quæ facis? *Opera tua*, idem eſt quod *cogitationes tuæ* in ſeq. membro : ac per *opera Dei* ſignificare vult non ea, quæ pertinent ad creationem mundi, ſed ea, quæ quotidie geruntur à Deo in adminiſtratione rerum humanarũ, cuiuſmodi ſunt, quæ mox exponit. *Nimis* ſeu *valde prfundæ ſunt cogitationes tuæ*, id

A eſt, ita abſtruſæ ſunt conſiliorum tuorum rationes, vt profundæ abyſſo ſimiles ſint, ex qua nemo poteſt emergere. *Profundæ ſunt.* Opponitur τῷ *magna ſunt*, quod nihil aliud eſt, quàm alta ſunt.

7 *Vir inſipiens non cognoſcet*, ſeu *cognoſcit*, &c. Per virum inſipientem, & ſtultum intelligit carnalem, & ſecundùm hominem ambulantem, non capientem eam quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinam, ſed ex ſenſu carnis, & ſpiritu dementiæ & erroris, non ex Dei, qui ſpiritus eſt ſapientiæ, perſonatam & fucatam impiorum fœlicitatem B veram iudicantem, adeóque de prouidentia malè ſentientem, nec intelligentem *hoc*, florere impios quidem tanquam herbam, ac vigere aliquandiu in hac vita, ſed fieri tandem, vt æternùm pereant : quod ſignificat ſubſequens verſus. Res eſt difficilis, & quæ multis perſuaſit res humanas caſu ferri, impiorum fœlicitas, & econtrà piorum miſeriæ. Obſeruat hîc Kimhi veteres Rabbinos dicere, hanc quoque rem ignoraſſe Moyſem, húncque Deo propoſuiſſe tres quæſtiones, ac de duabus Deum reſpondiſſe, de vna verò non, hac nimirum, Cur C iuſtus ſit, cui bene, iuſtus, cui malè, impius, cui bene, impius, cui malè : ac dixiſſe, *Et miſerebor cuius miſerebor, & clemens ero in quem clemens ero*, Exo. 33. 19.

1. Corint. 2.
1. Tim. 6.

8 *Quum germinauerint peccatores ſicut herba*, &c. Iam expoſitus eſt hic verſus. Addendum tamen aliquid. Impios ait germinare, ſed ſicut herbam, quæ ſcilicet exiguâ radice nixa citò marceſcit : quò nimirum doceat breuem eſſe impiorum hominum fœlicitatem, eóſque tanquam ſolſtitialem herbam repentè oriri, ac repentè D occidere. Pios contrà ac iuſtos palmæ & cedro ſimiles dicet infrà, verſu 13. *Vt pereant in æternum*: quaſi diceret, fit vel fieri tandem, húncque eſſe illorum exitum, *vt pereant* &c. Non igitur mouere nos debet impiorum proſperitas, vt vel à Deo deficiamus, vel de eius prouidentia dubitemus. Sed ſic debemus ſtatuere, Deum, qui nihil non abundè remuneratur, ſceleratis interdum fauere ac benefacere in hac vita, ali- E quorum benefactorum cauſsâ, ſed Dei fauorem, & quæ ipſe largitur bona, illis vertere tandem in malum, quòd ijs ad luxum & delicias abutantur : iuxta illud Deut. 7. 10. *Et reddens* Deus mercedem bonorum operum, quæ fortaſſe fecit, *odio habenti ipſum in faciem ſuam*, hoc eſt ex Raſi, dum ille viuit, *vt perdat eum*, & exterminet à mundo futuro : *non differt* in alteram vitam, &c. Scio hunc locum aliter accipi. Sed ſic ex Chald. Raſi, Kimhi, & aliis Hebræorum obiter interpretati ſumus, quia hæc expo-

sitio facit ad rem nostram.

9 *Tu autem excelsus* seu (*in*) *excelso* &c. Sẽsus, Porrò te, ô Domine, in sublimi, æterno, atq; immutabili solio, vndeomnia quę in terris fiũt, tua iustitia sapientia ac prouidentia modereris, quod stulti illi homines negant, esse collocatum, hinc clarè apparet, quòd inimici, inimici, inquam, tui, & quotquot scelerib. addicti, quotidie perire cernantur, id quod significat sequens versus: cùm econtrà *exaltaueris sicut vnicornis cornu meum*: vers. 11.

10 *Quoniam ecce inimici tui* &c. *Ecce* ait, quasi recens impiorum exitium digito mõstrans, quò firmior sit asseueratio. Eandem quoque sententiam repetit ad maiorem certitudinem. *Inimici tui*, hoc est, tuæ gentis ac populi. Ex hoc versu apparet non multò post insignem aliquam hostium cladem hoc carmen à Dauide aut quouis alio editum. *Peribunt*, pereunt seu perire cernuntur. Futurum in generalibus sententiis est tẽporis omnis. *Dispergẽtur*, hoc est, separantur à se inuicem, sicque facilè euertũtur.

11 *Et exaltatum est sicut vnicornis* &c. Suo exemplo probat pios etiam in hac vita interdum florere. Quòd dicat oleo perfusum esse caput suum, probabile fit esse Dauidem qui loquitur: etsi hoc, sicuti mox dicetur, metaphoricẽs accipi potest. *Et exaltatum est.* Mallem vertere, *Et exaltasti*, quòd verbũ sit Hiphil: etsi tamen D. Hier. Felix, Pag. acceperunt intransitiuè. *Sicut vnicornis.* Altum esse cornu vnicornis cubitorum duorum longitudine tradit Plinius. *Cornu* hîc dicitur, non *cornua*, quòd vnicornis, cuius similitudinem vsurpat, vnum cornu gerat. Per *cornu* verò metaphoricè robur, vt aliàs, significatur: hîcque Chald. *robur meum* interpretatus est. Huius loci est illud Deut. 33. 17. *& cornua vnicornis, cornua illius; ipsis populos cornupetet* &c. *Perfusus sum* (emphaticè) *in oleo viridi.* De Dauide, vt sonat, facilè hoc intelligitur. De alio quouis metaphoricẽs, nullo negotio, quasi dicat, tuo beneficio non solùm omnibus rebus, quæ ad necessitatem pertinent, sed etiam quæ ad elegantiam, abundè instructus sum. Simile est ps. 23. 5. *impingues in oleo caput meum.* Allusum ad morem istius Gentis, quæ elegantiæ & venustatis caussâ oleo & vnguentis vtebatur. Vnde illud 2. Sam. 12. 20. *Surrexit ergò Dauid de terra, & lauit atque vnxit se.* Necnon Matth. 6. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum.* Eam ob rem qui in luctu erant, ab vnguentis abstinebant, vt constat ex 2. Sam. 14. 2. *Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo. Perfusus sum.* Rasi, Ezra, Kimhi, & alij Hebręorum

A volunt בַּלֹּתִי *ballòthi*, esse deriuandum ex בָּלַל *balal, perfudit.* Et quidem Kimhi existimat esse vel intransitiuum, vel transitiuum, sic vt exponi possit *perfudi*, sup. caput meum. Græcus, Latinus, & D. Hier. verterunt *senectus mea*, ex significatione verbi בָּלָה *bala*, quod est *veterascere.* In frag. quoque Symm. παλαίωσις, pro quo olim fuisse existimarem παλαιότης. *Oleo.* Lat. *misericordia*, ex ἐλέῳ pro ἐλαίῳ. *Viridi*, hoc est, recenti, non rancido, nec vetustate obsoleto. Ezra explicat postremum mem-B brum in hunc modum, oleo myrrhæ viridi cornu capitis mei perfusum est.

12 *Et vidit oculus meus* &c. Sensus, Vidit in ijs oculus meus, & audierunt de ijs aures meæ id quod optaui. Kimhi. Quid sit *videre in hostibus* alibi dictum: & occurrit iam similis loquẽdi modus ps. 54. 9. *Vidit* in pręsentibus, & qui coràm aderant. *Audierunt aures meæ* de absentibus. *Malignantibus* additur ad maiorem emphasim. Potes repetere *de.*

13 *Iustus vt palma florebit*: &c. Quod de C se dixerat, nunc ad omnes iustos pertinere ostendit. Obserua ex Ezra *iustum* hîc dicere in num. singulari, quòd rari & pauci sint homines iusti: *peccatores* verò seu impios in num. multitudinis, suprà, vers. 8. quòd multi sint huius generis. Impij herbæ, suprà, iustus palmæ & cedro arboribus nunc comparatur, quarum vtraque multos annos durat perpetuò virens. Atque in hoc positam esse comparationem docent duo sequentes versus. Etsi dici etiam potest idcirco virum pium cum palma & cedro conferri, quòd vt D palma non cedit ponderi, sed surgit aduersùm pondus, ita vir pius vrgentibus malis nunquam succumbit: quòd vt cedro æterna materies, cariem non sentiens, ita vir pius nunquam moritur, sed magis incipit viuere, quando moritur. In Deras reperi iustos palmæ comparari, quòd vt palmæ vmbra longè ab ea distat, sic præmium iustorum longè est ab illis, nimirum in altera vita. Sed hoc est allegoricum.

14 *Plantati (sunt) in domo Domini* iusti: ideóque nil mirum est, quòd sic floreant & E crescant. Subita mutatio numeri singularis in pluralem, quòd τὸ *iustus* in præcedente versu sumi debeat collectiuè. Prima pars huius versus ex Kimhi ad Sacerdotes & Leuitas, quibus fas erat in ipsam Dei domum ingredi: posterior verò pars ad reliquos Israëlitas pertinet. Dicit *plantati*, quia arboribus comparauit.

15 *Adhuc germinabunt in senecta*: &c. & secundùm dies arboris sunt dies eorum, illique opus manuum suarum ad vetustatem perducunt: pueri centenarij moriuntur: non

caligat oculus eorum, nec aufugit vigor eorum, nec dentes eorum mouentur, ſicut de Moyſe viginti ſupra centum annos nato teſtatur Scriptura Deut. 34. 7. Vide vt piis bona corporis, & benedictiones temporariæ etiam contingant: vtque *pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*, ſicut dicit D. Paulus 1. Timoth. 4.

16 *Ad annuntiandum quòd rectus Dominus*: &c. Senſus, Quæ omnia perſpicuè arguunt & docent, vel faciunt, vt omnes palàm fateantur & dicant, rectum eſſe Deum, eùmque præſidium eſſe meum, in quo ſperare debeam, qui ne tantillum ab eo, quod iuſtum eſt, diſcedat. Magna profectò in gubernando mundo Dei elucet æquitas. Nam ſi malis malè, pœna eſt: ſi bonis bene, præmium eſt. At ſi malis interdum bene in hac vita, fortè præmium eſt bonorum operum moralium à Deo, qui nihil non remuneratur: ſi bonis verò malè, exercitium eſt virtutis & patientiæ, & hoc ipſum malè bene eſt, & bonis mala vertunt & *cooperan-*

A *tur in bonum*, vt dicit Apoſt. Rom. 8. *Ad annuntiandum*, hoc eſt, Ad docendum & declarandum. Ezra explicat, Ita vt annuntient omnes homines. Potes igitur cum Lat. vertere *vt annuntient*, omnes ſcilicet: vel hoc ſenſu, Ita eſt de viris iuſtis, videlicet vt illi falſam ex hominum animis opinionem eximant, qui cùm malis bene, & econtrà bonis malè eſſe videant, opinantur aut Deum res humanas non reſpicere, aut ſi reſpiciat, iniuſtum eſſe. *Petra mea.* Quò ſe beneficiorum acceptorum à Deo memorem teſtetur, de ſe loquitur: quod

B & verſu 5. necnon 11. & 12. iam fecerat. Græcus & Lat. verterunt, neglecto athnach, qui in Pſalmis plerumque non diſtinguit, *Dominus Deus noſter*, vel, *Dominus Deus meus*, ſicuti Agellius teſtis eſt eſſe in Vaticano codice. Parum refert ad ſenſum, ſiue vertas *Dominus Deus noſter*, ſeu *petra mea*, ſicuti eſt ad verbum, ſiue diſtinguas ex accentibus Hebræis *Dominus: petra mea*, &c.

PSALMUS

XCIII. XCII.

VERSIO

NOVA.	VETUS.
 OMINUS regnat, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, præcinxit ſe: etiam firmabitur orbis terræ, ne commoueatur.	 AUS Cantici ipſi Dauid in die ante ſabbatum, quando fundata eſt terra. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.*
[a] ſolium [b] æterno — 2 Parata [a] ſedes tua ex tunc: à [b] ſeculo tu (es.)	2 *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* 3 *Parata ſedes tua ex tunc: à ſæculo tu es.*
3 Eleuauerunt flumina, Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam: eleuauerunt flumina fluctus ſuos.	4 *Eleuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem ſuam.* 5 *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos, à vocibus aquarum multarum.*
c prop. validis fluctibus — d prop. validus — e heb. altis — f valde — 4 Præ vocibus aquarum multarum, [c] mirabilibus elationibus maris, [d] mirabilis in [e] altis Dominus.	6 *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*
5 Teſtimonia tua fidelia ſunt [f] nimis: domum tuam decet ſanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.	7 *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

COM-

COMMENTARIVS.

PRimus huius carminis versus, qui similis est versui 10. *psal.* 96. *facilè mihi persuadet ad idem tempus referendum hoc carmen, ad quod illud refertur, nimirum ad tempus quo Arca è domo Obed-edom in Sionis Arcem est translata. Sed de hac re plura illic à nobis dicentur. Non est porrò obscura huius psalmi series. Primò magnificentia ac potentia Dei æterni regis, cuius virtute orbis terrarum æternùm stabit, eleganter depingitur: deinde eius fides, qui, quum maximè aduersùm pios in hac vita procellæ excitantur, tùm, quantus & qualis sit, ostendit, potentiam suam, simul & in seruandis promissis constantiam, adeoque sanctitatem declarando. Hic psalmus est* ἀνεπίγραφος *apud Hebræos: in Græco & Lat. sic, ex antiqua, vt apparet, traditione inscribitur*, Laus cantici Dauid in die ante Sabbatum, quando fundata est terra. *Kimhi admonet omnes hos psalmos vsque ad centesimum primum, cuius titulus est*, Dauid psalmus, *esse ad tempus Messiæ referendos. Rasi*, Kimhi, *& alij Hebræorum hunc psalmum ad illud tempus referunt.* Argumentũ.

1 *Dominus regnat*, non nomine tenus, A sed re ipsa. Si ad Christi tempus vis hunc psalmum referri, tunc certè prædictum est *Domini fore regnum, & ipsum dominaturum Gentium*, vt dicitur ps. 22. 29. & *futurum in Regem super omnem terram*, vt est Zach. 14. 9. *Decorem indutus est*, sicuti Rex aliquis vestes regias solet induere. *Fortitudinem.* Vocem hanc ad præcedens & subsequens verbum pertrahit Ezra. Sed hoc nihil necesse: satis enim ad præcedens referri. *Præcinxit* seu *accinxit se*, vt quis solet ad bellum B fortiter gerendum. *Etiam*, hoc est, atque etiam ex eo futurum est, vt firmetur orbis terræ &c. Namque Deo Rege nunquam concutietur hic orbis, sed æternùm stabit. Ad Christi tempus optimè hoc quadrare potest, præsertim si spiritaliter accipiatur, quo tempore *conflaturos* prædicebat Esaias cap. 2. 4. *gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuaturam gentem contra gentem gladium*, &c. Quibus verbis C videtur significare voluisse Esaias post Christum natum orbem fore pacificum & quietum, si ad prisca tempora, quæ ante Christum fuerunt, præsertim conferatur, quando interdum vniuersus orbis bellis & seditionibus exarsit. Nonnulli probabiliùs existimant voluisse istis verbis indicare Esaiam tempus illud tantùm, quando natus est Christus, quo tempore summa extitit pax, vniuerso orbe vnius cedente imperio. D

2 *Parata*, seu *Stabilita*, hoc est, firma & inconcussa est, atque erit. *Sedes tua*, hoc est, solium tuum. *Ex tunc*, id est, ab æterno. Sic Prou. 8. 22. *ante opera sua ex tunc*, pro quo Lat. *antequam quidquam faceret à principio.*

3 & 4 *Eleuauerunt flumina, Domine*, &c. In duobus his versibus elegante metaphora significat Deum tum maximè è cælo fortem ac mirabilem se præbere, quum Gentes impiæ instar exundantium ac mugientium fluminum aduersus Dei populum magno cum tumultu cooriuntur. Quippe, inquit, Gentibus quantumuis fortibus longè potentior est Dominus: id quod his verbis eleganter exprimit, *Præ vocibus aquarum multarum, mirabilibus*, &c. Non est porrò nouum exercitus per aquas notari. Deus apud Esaiam cap. 8. 7. minatur se adducturum aquas fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius. Apoc. 17. *Aquæ, quas vidisti*, &c. *populi sunt*, &c. Quod autem in præt. ait *eleuauerunt*, videtur notare velle recentem quorundam cladem, qui arma nuper sumpsissent, ex quo nimirum aducta fuisset Arca.

5 *Testimonia tua fidelia* &c. Sensus, Quòd te talem tuorum causa exhibes, id pro tua fide, & in præstandis promissis constantia facis, necnon pro sanctitate, quæ decet *domum tuam*, id est, Arcam: qui enim meliùs sanctitatem declarare potes, quàm piis & sanctis tui numinis cultoribus ad tuam Arcam confugientibus opem, promissam præsertim, ferendo. *Testimonia tua*, hoc est, dicta ac scripta, quæ tuam erga pios homines testantur voluntatem. Kimhi, qui ad tempus Messiæ refert hunc Psalmum, sic ferme habet hic, *Testimonia tua fidelia sunt valde*, hoc est, Verba scripta per manus tuorum Prophetarum, qui quidem testantur de regno tuo, tunc adimplebuntur valde. *Valde* ait, quasi diceret neminem tunc ea de re dubitaturum. *Domum tuam decet sanctitas, Domine, in longitudinem dierum*, quia non vastabitur amplius. Nos libenter hanc expositionem admittimus, quæ aptè ad Christi nostri tempora, & Ecclesiam quadrat, aduersùs quam portæ inferi nunquam præualebunt.

PSALMUS

XCIV. XCIII.

VERSIO

Nova.


Evs vltionum Domine, Deus vltionum affulge.
2 Exaltare qui iudicas terram : reddere-
tributionem superbis.
3 Vsquequo peccatores Domine,
vsquequo peccatores [a]gloriabun-
tur?
4 [b] Effabuntur & loquentur durum:
extollent se omnes qui operantur in-
iustitiam?
5 Populum tuum Domine conte-
rent, & hæreditatem tuam vexa-
bunt?
6 Viduam & aduenam interficient,
& pupillos occident?
7 Et dicent, Non [c] videbit Domi-
nus, nec [d] intelliget Deus Iacob?
8 Intelligite insipientes in populo:
& stulti quando sapietis?
9 An qui plantauit aurem, non au-
diet? an qui finxit oculum, non vi-
debit?
10 An qui corripit Gentes, non ar-
guet? an qui docet hominem scien-
tiam?
11 Dominus scit cogitationes homi-
num, quòd [e] vanæ sunt.
12 Beatus [f] homo quem tu [g] eru-
dieris Domine, & de Lege tua docue-
ris eum.
13 Vt [h] mitiges ei à diebus [i] malis,
donec fodiatur peccatori fouea.
14 Quia non [l] repellet Dominus
[m] plebem suam, & hæreditatem suam
non derelinquet.
15 Quia vsque ad iustitiam reuerte-
tur iudicium : & post ipsum omnes
qui recto sunt corde.

a *exultabunt?*
b *effutiët &c.* Hic & deinceps verba per præsens exponi possunt.
c *videt*
d *intelligit*
e heb. *vanitas*
f prop. *vir*
g *castigaueris*
h *quietem præstes*
i ad verb. *mali*,
l heb. *deseret*
m *populum suum*,

Vetus.


Psalmvs ipsi Dauid, Quarta sabbati.
Deus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit.
2 *Exaltare qui iudicas terram : red-
dere retributionem superbis.*
3 *Vsquequò peccatores Domine, vs-
quequò peccatores gloriabuntur:*
4 *Effabuntur, & loquentur iniquita-
tem: loquentur omnes, qui operantur in-
iustitiam?*
5 *Populum tuum Domine humiliaue-
runt: & hæreditatem tuam vexaue-
runt.*
6 *Viduam & aduenam interfecerunt:
& pupillos occiderunt.*
7 *Et dixerunt: Non videbit Dominus,
nec intelliget Deus Iacob.*
8 *Intelligite insipientes in populo: &
stulti aliquando sapite.*
9 *Qui plantauit aurem, non audiet?
aut qui finxit oculum, non considerat?*
10 *Qui corripit gentes, non arguet: qui
docet hominem scientiam?*
11 *Dominus scit cogitationes hominum,
quoniam vanæ sunt.*
12 *Beatus homo, quem tu erudieris Do-
mine, & de lege tua docueris eum:*
13 *Vt mitiges ei à diebus malis: donec
fodiatur peccatori fouea.*
14 *Quia non repellet Dominus plebem
suam: & hæreditatem suam non dere-
linquet.*
15 *Quoadusque iustitia conuertatur in
iudicium: & qui iuxta illam omnes qui
recto sunt corde.*

16 *Quis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?*

17 *Nisi quia Dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.*

18 *Si dicebam: Motus est pes meus: misericordia tua Domine adiuuabat me.*

19 *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

20 *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto?*

21 *Captabunt in animam iusti: & sanguinem innocentem condemnabunt.*

22 *Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium spei meæ.*

23 *Et reddet illis iniquitatem ipsorum: & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.*

16 Quis consurget mihi aduersùs
malignantes? quis stabit [n] mecum ad- n ad verb. mihi
uersùs operantes iniquitatem?
17 Nisi quia Dominus adiuuit me,
paulominùs habitasset silentium ani-
ma mea.
18 Si dicebam, Motus est pes meus:
misericordia tua Domine [o] adiuua- o sustentabat
bat me.
19 In multitudine cogitationum
mearum in [p] corde meo, consola- p intimo
tiones tuæ lætificauerunt animam
meam.
20 Nunquid adhæret tibi sedes ini-
quitatis, [q] qui fingis laborem in [r] præ- q vel quæ fingit
cepto? r vel statuto?
21 Turmatim coibant in animam
iusti, & sanguinem innocentem con-
demnabant.
22 At factus est mihi Dominus in
arcem, & Deus meus in rupem refu-
gij mei.
23 Et reddidit illis iniquitatem ipso-
rum, & in malitia eorum [s] disperdi- s prop. succidit
dit eos: [t] disperdidit eos Dominus t succidit
Deus noster.

COMMENTARIVS.

DAuid, siue quis alius est autor huius carminis, graui oratione inuehitur in eos, qui quòd Deum res humanas minimè curare sibi persuadent, idcirco quidquid libet sibi licere putant, vimque tenuioribus crudeliter inferunt. Deinde addit insignem consolationem, quà pios hortatur ne frangantur interea dum impios impunè grassari vident, sed patienter Dei opem ac misericordiam expectent, qui tandem suis, vbi opus erit, succurret, & vnicuique reddet iuxta opera pro sua iustitia. Suo exemplo denique rem confirmat. Fortè hic quoque psalmus editus est eo tempore, quo Arca in arcem Sionis est illata. Est ἀνεπίγραφος *Hebræis. At verò Septuag. addiderunt titulum à die qua solitus erat recitari*, Psalmus ipsi Dauid quarta Sabbati. Argumentum.

1 *Deus vltionum* &c. In hoc versu est propositio. *Deus* fortis. *Deus vltionum*, qui nimirum potes nos vlcisci: vel qui nos iam sæpe vltus es. Huc refer illud Deut. 32. 35. *Mea est vltio, & retributio. Affulge* iterum nobis tua ope.

2 *Exaltare* &c. Repetitio propositionis. *Exaltare* quum ait, respicit ad morem iudicũ, qui ius dicturi tribunal conscendunt, vt sic quasi attolli supra eos videantur, quorum iudices sunt futuri. *Exaltare* igitur hoc loco nihil aliud est, quàm conscende tribunal iustitiæ. (Vide ad vers. 7. Ps. 7.

A *Qui iudicas terram*, seu *iudex terræ*. Habet hoc emphasim, quasi dicat illud quod Abraham Gen. 18. 25. *nunquid qui iudicat omnem terram, non faciet iudicium?* Necnon illud quod dicitur vers. 10. *An qui corripit Gentes* totas, *non arguet* paucos homines sceleratos? *Redde retributionem superbis*. Clariùs nunc explicat propositionem, per *superbos* intelligens illos qui superbè vim tenuioribus inferunt, vt colligere est ex sequentibus.

3 *Vsquequo peccatores (improbi)* &c. Causas propositionis adfert vsque ad vers. 8.

4 *Effabuntur*, prop. *Effutient*, *loquentur duram* sup. verbum. Sensus, Quandiu sines impios & sceleratos homines temerè effutire quicquid in buccam venit, vimque & cædes superbè minitari? Huc & pertinet posterius membrum. Nota ex tertio versu ad hunc & tres sequentes repetendam videri particulam *Vsquequo*. Vulgò tamen alij hos versus absque interrogatione legunt, omniaque verba per præsens tempus reddunt, quæ tamen in Fonte sunt fut. temporis. Si stas ab illis, dic tribus prioribus versiculis propositionem contineri, cui deinde impiorum descriptio subiiciatur, quò propositis ipsorum moribus faciliùs Deus ad opem ferendam excitetur.

5 *Populum tuum* &c. Per populum & hæreditatem Dei intellige peculiariter homines pios. Vide ad vers. 4. Psal. 14. necnon infrà ad vers. 14

6 *Viduam & aduenam interficient*, &c. Sensus, Quousque illi hoc impunè facient, nec cohibebis tu, qui terræ es iudex, & facis iudicium peregrini, pupilli & viduæ?

7 *Non videbit (pro videt) Dominus*, &c. Non cernit ea Deus quæ ab hominibus in terris geruntur, atque adeo in illa non animaduertit.

8 *Intelligite insipientes* &c. Nunc per apostrophen, & magno sanè conatu, inuehitur in blasphemam istam impiorum vocem, quâ affirmare audent Deum non cernere aut considerare facta mortalium. *Insipientes in populo*, id est ex Kimhi, in hoc & illo populo: vel ex Ezra, insipientissimi populi. *Quando sapietis*, atque intelligetis Deum videre atque cognoscere omnia?

9 *An qui plantauit aurem*, &c. Quomodò, inquit, audetis affirmare Deum non audire quid dicatis, neque videre quid agatis? Et nonne ille est, qui aptauit instrumenta auditus ac visus? Qui ergo fieri posset vt ipse non audiret ac videret? Imò audit absque auribus, & videt absque oculis, qui auribus audiendi, oculis videndi vim tribuit. Qui acum primò fabricatus est, aut certè excogitauit, calluerit, atque in animo habuerit oportet futoriam artem: sic qui aures & oculos effinxit, audiendi & videndi vim calluerit, imò in se habuerit necesse est, præsertim cùm vtrumque dederit. Ezra putat *plantandi* verbum auribus accommodatum esse, quòd aures, quasi duo puncta polaria in orbe, sint plantatæ: verbum autem *fingendi* oculis, quòd semper in oculo figuræ efformentur.

10 *An qui corripit Gentes*, &c. Sensus, An qui aliquando de totis Gentibus sumit pœnas, vos impunitos dimittet, nec vos audebit redarguere? *An qui docet hominem scientiam*, supplendum ex præcedentibus commodum hoc antitheton, nescit, & aliquid ignorare potest? Imò Deus in intimos sensus & cogitationes altissimè penetrat, & facilè cognoscit, non modò quid dicant aut faciant homines, sed etiam quid meditentur, adeòque quàm sæpe vana sint & inania, quæ in animis moliuntur: quò spectat sequens versus.

11 *Quòd vanæ sunt*. Similis hîc traiectio ac Gen. 1. 4. *Viditque Deus lucem, quòd esset bona*.

12 *Beatus homo* (pro. *vir*) *quem tu* &c. Incipit altera pars psalmi, quâ pios consolatur, docens mala à Deo bonis immitti in eorum bonum & commodum. *Beatus*, inquit, *homo quem tu erudieris, Domine, & de Lege tua docueris eum*. Quid? Malis à te immissis subesse aliquid boni, cum his nimirum, quasi patris flagellis, pij corriguntur, ac docentur virtutem, & patientiam, adeòque regno Dei digni efficiuntur: quò pertinet sequens versus. Ait *de Lege tua*, quòd ex ea facilè intelligi possit mala bonis non esse mala, sed diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Mihi considera quid dicat Dominus Deut. 8. versibus 3. & 5. *Et afflixit te ac esurire te fecit* &c. *Vt recogites in corde tuo, quòd sicut erudit (corripit) filium suum homo, (sic) Dominus Deus tuus erudit (corripit) te*. Ibidem versu 16. *Qui cibauit te Manna in solitudine, quod nesciebant patres tui, vt affligeret te ac probaret te, vt benefaceret tibi in extremo tuo*. Doctrina hæc lignum est illud à Domino monstratum Exo. 15. 25. quod iniectum in aquas amaras, eas dulces effecit. *Erudieris*. Ex Kimhi vertendum *castigaueris*, ex amore scilicet, sicut pater solet filium.

13 *Vt mitiges (prop. quietem præstes) ei* &c. Sic cohæret hic versus cum præcedente, Beatus qui sic à te edoctus: quò nimirum in malis tranquillo & quieto sit animo, dum interim impio falsis bonis & voluptatibus securè fruenti exitium paratur. Haud incommodè verterunt Septuag. Τοῦ πραΰναι αὐτῷ; Lat. *Vt mitiges ei*. Per *dies mali* intelligit Rasi dies iudicij Gehennæ, à quibus, inquit, castigationes & pœnæ huius seculi vindicant. In huius mente vertendum videtur in superiore versu *castigaueris*, vt hic versus cum illo cohæreat hunc in modum, *castigaueris, vt quietem præstes ei*, &c. vel *docueris* te sic cum illo agere, *vt quietem* &c.

14 *Quia non repellet*, heb *deseret* &c. Ra-

tio prioris membri præcedentis versus: quamquam vertere potes, *Certè non repellet* &c. Sensus, Fieri enim nullo pacto potest, vt suorum & eorum, quos tanquam peculium & hæreditatem possidendos selegit, curam Deus abijciat. Ij præsertim de populo & hæreditate Dei censeri debent, qui pietatem & religionem colunt, etsi vniuersus populus Israëliticus peculiariter Dei populus diceretur. Opponit porrò hunc versiculum versiculo quinto. Vide.

15 *Quia vsque ad iustitiam reuertetur iudicium.* Meâ opinione hæc sententia est horũ verborum, Nam Dei iudicium quod carnis oculis interdum aliquandiu videtur à iustitia discessisse, ad eam rediturum est tandem, sic vt Deus retributurus sit tribulationem ijs qui alios tribularunt, tribulatis verò requiem, præsertim in reuelatione Domini Iesu de cælo, sicuti loquitur Apostolus 2. ad Thessal. 1. *Et* (pro *ideo*) *post ipsum* Dominum, cuius facta est mentio in præcedente versu, *omnes qui recto sunt corde.* Hæc verba puto hunc habere sensum, ideo quicumque recti studio tenentur, post ipsum Deum semper eunt, nec vnquam eũ deserunt, licet multa mala eius caussâ ferre cogantur: quia sciunt Deum tandem pro sua iustitia vnicuique retributurum iuxta opera, vel in hac, vel in altera vita. In nullo igitur terrentur ab aduersariis, docti à D. Paulo in illis causam esse perditionis, sibi autem caussam salutis, & hoc à Deo, à quo dum iudicantur, corripi se interpretantur, vt non cum hoc mundo damnentur. Alij aliter atque aliter hunc versum exponunt. Mihi hæc simplicior videtur sententia.

ad Philip. 1.
1. Corinth. 11.

16 *Quis consurget mihi* &c. In hoc versu verba sunt fut. pro præsenti, vt aliàs sæpissime, quando aliquid, quod perpetuò fieri soleat, significatur. Sensus igitur est, Quis mihi præsto est quotidie, ac præsto erit deinceps in periculis, nisi vnus Dominus, absque cuius ope haud semel parum abfuit, quin mors perpetuum mihi silentium indixerit: quò spectat sequens versic. Amplificat institutam comparationem à suo exemplo. *Mihi*, id est, pro me.

17 *Paulò minùs*, id est, propemodum. *Silentium*, id est, sepulchrum, locum vbi homines silent. Sic psalmo 115 17. *Non mortui laudabunt Dominum, neque omnes qui descendunt in silentium.* Latini poëtæ *silentes* pro mortuis dixere. Græcus & Lat. hîc reddiderunt *infernum*, suo more pro sepulchro, *Silentium*. Sic Rasi דּוּמָה *duma*, interpretatur. Ex Ezra & Kimhi vertendum & exponendum *excisionem* seu (*in*) *excisione*, id est, locum seu in loco excisionis, hoc

A est, sepulchro. Chald. interpretatus est *in silentio. Anima mea* viuens ex Kimhi, non intelligens, quia hæc non habitat in sepulchro. Vult his verbis significare Kimhi non mori animam rationalem, atque adeo non adire sepulcrum, sed animam sensitiuam tantùm. Sed nihil est opus ista distinctione, cùm simpliciter *anima mea* nihil aliud esse videatur quàm ego. Qua de re aliàs sæpe dictum.

18 *Si dicebam* seu *dixi* apud me, territus scilicet magnitudine periculorum, *Motus* B *est pes meus*, hoc est, iam labitur pes meus, ac fieri non potest, quin ruam ac præcipitem: *misericordia tua, Domine, adiuuabat* (*sustentabat*) *me*, hoc est, protinus sensi te labanti mihi pro tua misericordia manus porrigentem, ac supponentem.

19 *In multitudine cogitationum* &c. Sensus, Quoties variæ hinc inde animum meum exagitarunt curæ, non aliunde quàm à te affulsit consolatio, qui pater es misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolaris nos in omni tribulatione nostra. *Lætificauerunt.* Hîc, sicuti & C in posteriore membro præcedentis versus, verbum est fut. temp. pro præt. Græcus & Lat. hunc versum sic legerunt, *Secundum* (כְּ *ce*, pro בְּ *be*,) *multitudinem dolorum meorum* &c. eodem sensu, perinde quasi dicat, Quantò maiore cruciatu affecerunt me cogitationes tristissimę, tantò maiore voluptate perfuderunt consolationes tuę multò dulcissimæ. Ita D. Paulus 2.æ ad Corinth. 1. *sicut abundant*, inquit, *passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

2. Cor. 1.

D 20 *Nunquid adhæret* seu *consociatur tibi sedes* seu *solium iniquitatis*, &c. Sensus est, Num aliquid tibi commercij esse potest cum tyrannide: ac num tua gubernatio iniusta & tyrannica esse potest, vt tu, ô Deus, *qui fingis laborem* seu *molestiam in* (*super*) *præcepto* seu *statuto*, id est, qui ea præcepta & statuta tuis imponis, propter quæ multa mala & persecutionem pati necesse est, non succurras, neque aduersùs iniustam vim defendas? Alij postremum membrum legunt sic, *quæ fingit* seu *fingens*, E sup. *sedes*, id est, quæ facit, *laborem* seu *molestiam super statuto*, hoc est, quæ fraudes & iniurias quibus innocentes opprimit, legibus etiam ac statutis firmat, & iuris specie prætexit: quasi diceret in hoc versu, Num tu, quasi vnus aliquis è tyrannis, qui suis non modò opem non ferunt, sed eos quoque omnibus modis legum etiam prætextu opprimunt, tuos potes in miseriis deserere, ac non tandem iis succurrere? Vel sic legendo sensus erit, Num tu impiorum

tyrannidi, qui tuos palàm, latis etiam legibus, opprimunt, quaſi tibi ſit aliquid cum illis commercij, potes fauere?

21 *Turmatim coibant* &c. Dauid, ſiue quis alius, ſuo exemplo probat iuſtis aduerſùm iniuſtos in Deo ſpem eſſe reponendam, qui nihil iniuſtè poſſit agere, neque adeo iniuſtis fauere, vt mox antè dictum eſt. Fuit, inquit, tempus, quando aduerſùm me, iuſtum alioquin, vt qui de illis nihil commeruerã, non vnus aut pauci, ſed toti exercitus concurrerunt, méque inſontem damnarunt. At fuit mihi Deus tutiſſimum propugnaculum, & refugium: & huc ſpectat ſequens verſus.

23 *Et reddidit illis iniquitatem* &c. Reſpondet hic verſus ad illud verſus 2.: *redde retributionem ſuperbis.* Habet autem hunc ſenſum, Illos vltus eſt tandem, vt merebatur illorum iniquitas. Vel potiùs, quod tamen eòdem redit, In illorum capita tandem retorſit ſcelus ſuum, & malum quod mihi intentabant: quò & pertinet quod ſequitur, *& in malitia eorum diſperdidit*, (prop. *ſuccidit*) *eos*, id eſt, ſuâ ipſorum malitiâ eos perdidit: quaſi diceret, iiſdem artibus illos perdidit, quibus me perditum cupiebant, in quo mirabile eius iudicium apparet. *Diſperdidit eos*, inquam, *Dominus Deus noſter*, qui nobis non poteſt non fauere, cùm ſit Deus noſter.

PSALMVS

XCV.	XCIV.
VERSIO	
NOVA.	VETVS.
 Venite, [a] exultemus Domino: iubilemus [b] Deo ſalutari noſtro.	 Laus Cantici ipſi Dauid. *Venite, exultemus Domino: iubilemus Deo ſalutari noſtro.*
2 Præoccupemus faciem eius in confeſſione: in pſalmis iubilemus ei.	2 *Præoccupemus faciem eius in confeſſione: & in pſalmis iubilemus ei.*
3 Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos:	3 *Quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus ſuper omnes Deos.*
4 In cuius manu (ſunt) ima terræ, & [c] altitudines montium ipſius (ſunt.)	4 *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.*
5 Cuius (eſt) mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.	5 *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.*
6 Venite, adoremus, & inclinemus caput: genu flectamus ante Dominum qui fecit nos.	6 *Venite adoremus, & procidamus: & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.*
7 Quia ipſe (eſt) Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius: hodie ſi vocem eius audieritis.	7 *Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius.*
8 Nolite obdurare corda veſtra ſicut (in) Meriba, ſicut (in) die Maſſa in deſerto:	8 *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*
9 Vbi tentauerunt me patres veſtri:	9 *Sicut in irritatione ſecundùm diem tentationis in deſerto: vbi tentauerunt*

[a] prop. cantemus bad verb. petræ ſalutis noſtræ.

[c] alij fortitudines

me patres vestri, probauerunt me, & viderunt opera mea.

10 *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde.*

11 *Et isti non cognouerunt vias meas: vt iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam.*

probauerunt me: etiam viderant opera mea.

10 Quadraginta annis offensus fui [d] generationi (illi,) & dixi, Populus errans corde hi, & isti non cognouerunt vias meas.

11 Quibus iuraui in ira mea, Si [e] introibunt in requiem meam.

d heb. in generatione (ista.)

e intrabit

COMMENTARIVS.

Argumētum.

AB hoc psalmo Christiana Ecclesia, Latina saltem, matutinas preces auspicatur, & meritò quidem. Nam primò hortatur in hoc psalmo Dauid, siue quis alius, populum Dei ad canendas eius laudes, quòd verè magnus sit ille Dominus, ac solus Deus, Angelos etiam cogens in ordinem, in cuius manu sunt & ima terræ fundamenta, & alti montium vertices, cuius, vt qui vtrumque creauit, ipsum est mare, & aridum terræ solum: deinde ad ipsum Deum omnibus modis colendum, ob præcipuam quandam curam, quam eius habet, cùm ab illo tanquam proprius populus, grexque foueatur: ad ipsum, inquam, colendum populum hortatur, nisi velit fœdam maiorum in deserto ingratitudinem & rebellionem imitari. Quò magis autem populum excitet, & ab ingratitudine & contumacia absterreat, commodùm inducit Deum ipsum loquentem ad istum fermè modum: Ne estote contumaces quemadmodum maiores vestri, qui, cùm in Ægypto, tum extra Ægyptum in deserto tot prodigiosa miracula suis ipsorum oculis spectassent, nunquam destiterunt tamen velle me experiri, meásque vires explorare, ita vt tandem iratus iurarim neminem ex omni eorum numero in terram Chanaan à me ipsorum quieti destinatam esse peruenturum. Hæc summa est huius psalmi, cuius author quis sit, incertum. Caret enim titulo apud Hebræos. Græcus & Lat. præfixerunt hunc titulum, Laus cantici ipsi Dauid. *Author Epist. ad Heb. c. 4. versum proferens ex hoc psalmo sic ait,* Hodie, in Dauid dicendo, *&c. fortè tantùm quòd maxima pars psalmorum sit Dauidis. Hic Psalmus ad ea tempora referri potest, quum Arca transferretur è domo Abinadab, aut Obed-edom: quando Dauid, & omnes Israëlitæ lusere coram Domino in instrumentis, & canticis, vt legere est 2. Sam. 6. 1. Paral. 13. &* 15. Kimhi *& alij Hebræorum hunc quoque psalmum ad futurum tempus Meßiæ referendum censent.*

1 *Venite,* &c. Propositio Psalmi. *Venite.* A
In Fonte לְכוּ *lechu*, quod est verbum non moueri, aut ad se venire iubentis, sed hortantis, & excitantis ad agendum, simile Latinorum particulæ *Eia*, *Age*. Occurrit Gen. 19. 32. Eccles. 2. 1. Ierem. 18. 18. & aliàs. *Exultemus.* Prop. *cantemus* cum exultatione, seu *ouemus*: hebraicè enim נְרַנְּנָה *nerannena*. *Iubilemus*, seu *cantemus*, læti scilicet, *ouemus*. *Deo salutari nostro.* Ad verb. *petræ* seu *rupi salutis nostræ*. Frequens est in sacris litteris Deum petram appellari.

2 *Præoccupemus* seu *Præueniamus faciem* B
eius, id est, Veniamus in conspectum eius: adeamus illum: eamus obuiam illi. Similis loquutio occurrit Mich. 6. 6. *In quo præoccupabo Dominum? incuruabo me Deo excelso? num præoccupabo eum in holocaustis, in vitulis anniculis?* Quod Latinus sic expressit, *Quid dignum offeram Deo Domino? curuabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos?* Deut. 23. 4. legitur, *Eò quòd non præuenerint (acceperint) nos in pane & aqua*, hoc est, non venerint nobis obuiam cum pane & aqua.

3 *Quoniam Deus magnus* &c. Ratio propositionis. *Deos*, hoc est, ex Ezra & Kimhi, Angelos. Accipio ego *deos*, vt sonat, pro iis, qui pro Diis à mortalibus coluntur. Quidā codices tam Græci quàm Latini in extremo hoc versu præter Fontem addunt hæc verba, *quoniam non repellet Dominus plebem suam*: quæ verba videntur desumpta ex versu 14. Psalmi mox præcedentis. Ea neque Chaldæus, neque versio D. Hieron. habent.

4 *In cuius manu (sunt) ima* seu *abstrusa terræ*, &c. Sensus, Qui habet in potestate & ima terræ penetralia, & alta montium iuga. *Ima.* Græc. & Lat. *fines*, interiores scilicet, non exteriores, siue mundi plagæ. Symm. κατώτατα. *Altitudines.* Vocē תּוֹעֲפוֹת *thoaphoth*, Rasi exponit altitudinem veluti auis

volantis, ex עוף *oph*, i. *auis*, seu *volucris*. Ezra exponit *fortitudines*. Obseruat tamen esse qui interpretentur *cornua*, nimirum, vt puto, ex Num. 23. 22. Satis sit indicasse locum. *Cornua montium*, nihil aliud erit quàm cacumina montium. Iudica vtrum magis postulet antitheton, *altitudines*, seu *cornua*, an *fortitudines*.

5 *Et ipse fecit illud*, dum dixit, *Congregentur aquæ (quæ) sub cælo (sunt) in locum vnũ, & appareat arida*, Gen. 1. 9. *Siccam* seu *aridam*. Intelligit illam terræ partem, quæ supra aquas eminet, quæque aquis vnum in locum coactis, sicca & arida visa est, scilicet die tertia.

6 *Venite, adoremus*, &c. Repetitur & amplificatur propositio. *Adoremus* totius corporis in terram prostratione, manibus & pedibus extensis. In Fonte נִשְׁתַּחֲוֶה *nischtachaue*. *Inclinemus caput* cum aliqua parte corporis. In Fonte נִכְרָעָה *nichraa*. *Genu flectamus* in terram. Tribus his verbis, quæ ex Hebræis exposuimus, docere vult omnimodam venerationem Deo esse tribuendam. *Genu flectamus*. Lat. *ploremus*, ex Græco κλαύσωμεν, quod suspicarer irrepsisse pro ὀκλάσωμεν, hoc est, *flectamus genua*, nisi putes pro נִבְרְכָה *niurecha*, Græcum & Lat. legisse, ר litera detracta, נִבְכֶּה *niuce*: aut fortasse in Latinum codicem, indéque in Græcum irrepsisse *ploremus*, pro *oremus*, quod non omnino esset alienum à significatione hebræi verbi. Cur verbum *plorandi* hîc, cùm in 1°. & 2°. versu omnia sint lætitiæ? *Qui fecit nos*. Ad verb. *factorem nostrum*, hoc est, creatorem & conditorem nostrum: vel ex Kimhi, educatorem & exaltatorem nostrum, quo modo verbum *faciendi* sumitur 1. Sam. 12. 6. *Dominus, qui fecit Moysen & Aaron*.

7 *Populus pascuæ eius*, hoc est, populus, quem veluti pastor ducit in pascua: vel, populus victitans pabulo eius. Quod statim sequitur, cum prima interpretatione melius videtur cohærere: nisi dicas hîc duo dici, & nos victitare Dei pabulo, seu in eius pascuis viuere, & ipsum nos in pascua ducere, pedóque dirigere. *Oues manus eius*, quas videlicet manu ducit, ac regit. *Hodie si vocem eius audieritis*. Horum verborum iuxta Ezram sensus cohæret cum illis, *Venite, adoremus*, &c. si vobis nimirum animus est audire vocem eius Dei, hanc scilicet, *Nolite obdurare* &c. Græcus, quem sequutus est D. Paulus ad Heb. 3. & 4. & Lat. hæc verba voluerunt esse sequentis versus.

8 *Nolite obdurare corda vestra*, heb. *cor vestrum*, &c. Quo meliùs populum ad Deum colendum excitet, & plus ponderis oratio habeat, inducit Deum ipsum hortantem populum, admonentemque, ne patrum in deserto ingratitudinem & contumaciam imitetur, nimirum si nolit Deo suæ salutis autori ac parenti debitum cultum exhibere. Ad intelligendum autem hunc versum scire oportet Israëlitas in Raphidim, quòd extrema iam siti laborarent, iurgio Moysen virum optimè meritum adeo ægrè ab eius exitio temperasse: túcque illis Moysen, *Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum*? & idcirco loco isti nomen datum *Massa*, hoc est, *Tentatio*, & *Meriba*, id est, *Lis*, *propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum, dicentes, Estne Dominus in nobis*, (*in medio nostri*,) *an non?* Ad hanc historiam, quæ historia describitur Exo. 17. mihi non est dubium propter duo illa nomina, & ita sentit Kimhi, quin referri debeat hic versus. Ezra dicit hîc impeditos esse interpretes, sed sibi videri hunc versum ad illam seditionem pertinere, quæ per exploratores exorta est, de qua legendum cap. 14. Num. Sic est, *Meriba, & Massa*, non pro nominibus locorum propriis, sed pro appellatiuis sunt accipienda, vertendúmque, *sicut (in) contentione*, seu *contradictione*, *sicut (in) die tentationis*, quo modo Græc. Lat. D. Hieron. Felix, Pagn. acceperunt.

9 *Vbi*, scilicet in deserto, *tentauerunt me: probauerunt me*, hoc est, non semel explorare voluerunt vires meas, & experiri quid efficere possem, & num cum illis essem. Quid sit *tentare* & *probare Dominum*, clarum est ex Exo. 17. 7. vbi legitur, *tentarunt Dominum, dicentes, Estne Dominus in nobis, an non?* hoc est, Hac ratione sciemus, sitne Dominus inter nos an non. *Etiam viderant opera mea*, hoc est, etiamsi toties re ipsa quid possem suis ipsorum oculis spectassent: vt illos ex Ægypto & domo seruitutis tot prodigiosis miraculis & portentis eduxissem: vt eorum caussa scidissem mare, manna pluissem, petram rupissem. Potes exponere, *etiam*, hoc est, post tentationem etiam, *viderunt opera mea*, nec desierunt meam ipsi potentiam & beneuolentiam erga se experiri. *Vbi*, vel *Quando*. Potest hæc particula tantùm respondere ad *Meriba* & *Massa* locum nominatum. Certè Hebræi populi contumacia in Raphidim, qui locus postea ab euentu Meriba, seu alio nomine Massa dictus est, ita notata est, vt quum prohibetur Dominus tentari, sic dicatur, Deut. 6. 16. *Non tentabitis Dominum Deum vestrum, sicut tentastis in Massa*, Lat. *in loco tentationis*. Qui fit, vt potius existimem hîc quoque notari illam tentationẽ seu contumaciã populi in Raphidim,

10 *Quadraginta annis offenſus fui generationi (illi,)* heb. ex Raſi & Kimhi, *litigaui* ſeu *contendi cum generatione (iſta,)* deſerti ſcilicet ſeu patrum veſtrorum: ex Ezra, & aliis, *pertæſus ſum in generatione (iſta)*

Quadraginta annis. Hoc Autor Epiſt. ad Heb. c. 3. ad præcedētē verſum refert, ſic, *& viderunt opera mea quadraginta annis.* Verùm Græcus, Lat. & vetus in Templis canendi conſuetudo eam diſtinctionem obſeruãt, quæ hodie in Hebræo eſt. *Offenſus fui.* In Pſalterio Romano *proximus fui*, ſcilicet ex Græco προσώχθισα, quod eſt ambiguum, & ſignificat *offenſus fui*, & *proximus fui.* Verùm in Epiſt. ad Heb. loco mox notato, iſtud verbi latinè redditum eſt, *inſenſus fui.* Hæc & ſimilia mihi perſuadent varietatem in Sacris literis eſſe poſſe. Idcirco non vereor, vt aliquis ſit, qui noſtram verſionem, quòd ad hebraicum exemplar, ſatis, vt videtur, purum, exacta à Græca & Latina interdum diſſideat, iure merito reprehēdat. *Non cognouerunt*, hoc eſt, noluerunt cōſiderare, *vias meas*, id eſt, tot miracula, quæ quotidie eorum ſalutis cauſſa edebam: ideóque nuntio exploratorum præſertim conſternati, ignauiáque ſeducti deſponderunt animum, ſpémque adeundi terram promiſſam abiecerunt. Quæ res in cauſſa fuit, vt ego iratus iurarim neminem ex omni eorum numero, qui cenſus eſſet (videlicet Num. 1.) maior viginti annis, in terram Chanaan eſſe peruenturum, præter Caleb, & Ioſue, ſed omnes in ſolitudine conficiendos. Hoc legitur Num. 14. & illud eſt, quod velle videtur in ſequente verſu.

11 *Quibus.* Fatetur Genebr. rectius eſſe *Quibus*, etſi in vulgatis exemplarib. *vt* legatur. Οἷς enim, inquit, habet Apoſtolus Heb. 3. non ὡς, & Hebræum אֲשֶׁר *aſcher.*

A Addo ego in Pſalterio Romano legi *quibus*, ac ſic vertiſſe D. Hieron. Sed exemplaria greca Epiſtolæ ad Hebræos, quæ vidi, arguunt Genebrardum, etſi tamen latina interpretatio habet *quibus*. Sunt qui vertant, *Propterea.* *Si.* Particula iurandi. Reperitur Num. 14. 23. vbi iuramentum, de quo hic agitur, habetur, *Si videbunt terram (pro) qua iuraui patribus eorum.* Et mox verſ. 30. *Si vos intrabitis terram (ſuper) quam leuaui manum meam* &c. *Si* pro *non.* D. Hieron. vertit, *vt non introirent.* *In requiem meam*, hoc eſt ex Kimhi & Ezra, in terram Iſraël, de qua Deut. 12. 9. B ſcribitur, *Neque enim vſque in præſens tempus venietis ad requiem, & poſſeßionem, (hæreditatem,) quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.* Dicta eſt *requies*, quòd ibi quieuerint Iſraëlitæ: ac *requies* opponitur ſeruituti Ægypti. *Meam* ait, hoc eſt, inquit Kimhi, quam ipſe dedi ac conceſſi. De vſu pronominum, actiuè, vel paſſiuè, vide ad verſ. 6. pſ. 2. Raſi pronomen *meam* paſſiuè accipit, quòd terra Iſraël, & Ieruſalem requies Dei ſit ex pſ. 132. 14. *Hæc requies mea vſque in ſeculum.* Cæterùm quæ ſit huius verſiculi anagogica interpretatio docet Apoſtolus epiſt. ad Heb. cap. 4. vbi triplicem ſtatuit requiem ex Sacris literis, C Dei vnã, *quà requieuit die ſeptima ab omnib. operibus ſuis*: Iudæorum ſecundam, nimirũ in terra Chanaan, quæ requies hoc verſu ſignificatur, in quam ij, quibus promiſſa fuerat, non introierunt propter incredulitatem: tertiam fidelium & Chriſtianorum in cœlo, in quam qui ingreſſus eſt, etiam ipſe requieſcit ab operibus ſuis, ſicut & à ſuis Deus die ſeptimo: idcirco hanc ſabbatiſmum vocat, ad primam illam, hoc eſt, Sabbatum, in quo Deus ab operibus quieuit, reſpiciens.

De part. Si, alias dictum eſt copioſius.

PSALMVS

XCVI. XCV.

VERSIO

Nova.



ANTATE Domino canticum nouum : cantate
Domino omnis terra.
2 Cantate Domino ; benedicite nomini eius : annuntiate
de die in diem salutare eius.
3 [a] Annuntiate inter Gentes gloriam eius : in omnibus populis mirabilia
eius.
4 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis [b] nimis: terribilis [c] est [d] super omnes deos.
5 Quoniam omnes dij Gentium, idola: Dominus autem cælos fecit.
6 Gloria & pulchritudo in cõspectu eius : fortitudo & magnificentia in sanctuario eius.
7 Afferte Domino familiæ [e] Gentium:afferte Domino gloriam & fortitudinem.
8 Afferte Domino gloriam nominis eius: tollite hostias, & introite in atria eius.
9 Adorate Dominum in decore sancto : contremiscite à facie eius vniuersa terra.
10 Dicite in Gentibus, Dominus regnat, etiam firmabitur orbis terræ, non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
11 Lætentur cæli, & exultet terra: [f] commoueatur mare, & plenitudo eius.
12 Gaudeant campi, & omnia quæ in eis (sunt:) tunc exultent [g] omnia ligna syluarum.
13 Coram Domino, quia venit, quoniam venit iudicare terram : iudicabit orbem terrę in iustitia, & populos in veritate sua.

a Narrate
b valde: c ipse d supra
e populorum
f prop. tonet
g omnes arbores

Vetvs.



ANTICVM ipsi Dauid, Quando domus ædificabatur post captiuitatem. (1.Par.15.)
Cantate Domino canticum nouum : cantate Domino omnis terra.
2 *Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.*
3 *Annuntiate inter Gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.*
4 *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.*
5 *Quoniam omnes dij Gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.*
6 *Confessio & pulchritudo in conspectu eius : sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.*
7 *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.*
8 *Tollite hostias, & introite in atria eius : adorate Dominum in atrio sancto eius.*
9 *Commoueatur à facie eius vniuersa terra : dicite in Gentibus quia Dominus regnauit.*
10 *Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur : iudicabit populos in æquitate.*
11 *Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.*
12 *Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.*
13 *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.*

COMMENTARIVS.

Argumētum. RASI & Kabuenaki *affirmant hunc psalmum esse de futuro, (hoc est, ad tempus Messiæ esse referendum,) idque probare versum vltimum, vbi dicitur,* quoniam venit iudicare terram. *Addit Rasi, Vbicumque legitur* canticum nouum, *locum illum de futuro accipiendum. Censet &* Kimhi *ad tempus illud referendum esse hoc carmen, quando soluetur captiuitas, & ex gentibus colligetur populus Israëliticus: esseque à Dauide editum, postquam è domo Obed-edom Arcam eduxisset, vnà cum psalmo* Confitemini Domino, inuocate nomen eius: *nisi quòd paululum differt hic psalmus ab eo, qui cum prædicto habetur 1. Par. 16. à versu 23. & deinceps. Atque, inquit, de nouo addidit psalmo huic,* canticum nouum, *propterea quòd ipsum repetijt in hoc libro, (Psalmorum scilicet,) pro illo tempore, quo colligetur, seu soluetur captiuitas. Sic ego sentio, Psalmum hunc à Dauide editum, Arca è domo Obed-edom in arcem Sionis translata: (idque euidenter probat 1. Paral. caput 16. vbi psalmus hic, paucis immutatis, vt iam ex* Kimhi *obseruatum, legitur) verùm ad Christum quoque, cuius figura erat Arca, pertinere. Quatuor sequentes psalmi videntur esse eiusdem cum hoc argumenti, & similes psalmo 47. In hoc porrò primùm hortatur Israëlitas, vt nunquam desinant Deum extollere, & vel apud exteras Gentes gloriosa & illustria eius facta prædicare, qui solus magnus sit, & supra omnem laudem, cæterisque dijs longè terribilior, cùm ipse cælos crearit; tantáque eius maiestas, decor, & potentia in ipsius Sacrario quotidie eluceat. Secundò Gentes ipsas admonet, vt tot miraculis, quæ ex Arca Deus edidit, victæ, Deo tandem aliquando gloriæ & fortitudinis laudem deferant, eámque ipsius nomini conuenientem: vt cum oblatione atria eius ingrediantur: vt cum omnes orbis incolæ adoratum veniant in ipsum Sanctuarium, maiestatem ipsius reuerentes: vt suis fortè adhuc ignaris, quæ de Dei potentia ipsi cognouerint, palàm referant, testenturque se tandem fateri, Dominum solum regnum obtinere, rectoque eius vnius imperio omnia, quæ in mundo sunt, contineri, & conseruari. Denique cælos, terram, mare, pisces, campos, & quicquid ijs insidet, omnes arbores syluarum, res mutas, & sensu aut ratione carentes ad lætitiam & triumphum inuitat, quòd nunc præsentior adsit Deus, in Arca scilicet, inde totum orbem terrarum, populósque omnes summa iustitia, ac fide gubernaturus. Hic psalmus est* ἀνεπίγραφος *apud Hebræos. In Græco & Lat. habet istum titulum,* Canticum ipsi Dauid, quando domus ædificabatur post captiuitatem. *Quem titulum Card. Bellar. existimat vel additum à septuaginta interpretibus, vel, quod verius retur, ab ipso Esdra qui iusserit cantari hunc psalmum, quum templum reædificabatur post captiuitatem Babylonicam. Esse Dauidis hunc psalmum liquet ex versu 7. loci citati Paralip. vbi disertis verbis notatur Dauid autor esse psalmi, vel psalmorum, qui illic referuntur.*

1 *Cantate Domino canticum nouum:* &c. A Non est hic versus in Paral. *Cantate canticum nouum*, hoc est, Carmen illud in honorem Arcæ cantatum, cantate nunc de nouo ob aduentum Christi, quem illa præfigurabat. Vel potiùs, Noua carmina subinde canite: ac sic Ps. 33.3. *Cantate ei canticum nouum.* Porrò hoc versu, & duobus sequentibus pars propositionis continetur, quæ est exhortatio ad Israëlitas, vt Dei potentiam cùm inter se, tum apud exteros omnes populos absque intermissione celebrent. B

2 *Annuntiate* inter vos, alter alteri. *De die in diem*, i. quotidie. *Salutare eius*, hoc est, salutem quam nobis toties attulit Arcæ beneficio, vel quam generi humano attulit misso ad nos filio suo.

3 *Annuntiate (Narrate) inter Gentes.* Ezra ex hoc colligit per *omnem terram* in primo versu intelligendam esse duntaxat terram Israël. *Mirabilia eius*, ab ipso perpetrata per Arcam, vel per Filium, & quæ maximam ei gloriam vel apud exteras Gentes adferre possunt.

4 *Quoniam magnus Dominus*, &c. Ratio propositionis. *Terribilis est super (supra) omnes deos*, imò & diis ipsis. Testis Dagon deus Philistæorum, in cuius templum cùm illata esset Arca Domini, inuentum est manè eius simulachrum è basi excidisse, & pronum prostratum ante Arcam: cúmque iterum loco restitutum esset, iterum & repertum est corruisse, capite & manibus auulsis, ac in limine templi positis. Inde non vna clades ob eandem Arcam Philistæorum vrbes atque agros infestauit, ita vt, conuocatis eius gentis primoribus, consilium fuerit Arcam Hebræis remittere, id quod mox factum. Hæc historia,

quæ prolixè describitur 1. Sam. 5. & 6. aliæ- A que similes quamplurimæ huius versiculi veritatem comprobant. *Terribilis est supra omnes deos*, quos absurdo errore horrent cæteræ Gentes.

5 *Quoniam omnes dij Gentium* &c. Ratio posterioris membri præcedentis versus. *Idola.* Vox hebraica אֱלִילִים *elilim*, propriè *res nihili*, seu *non existentes* significat ex אַל *al*, *non*. Vnde Aquila hîc vertit ἐπίπλαστοι, Symm. ἀνύπαρκτοι. Quòd si Idola sunt nihil, tantúmque *lignum de saltu præcisum, opus manus artificis in ascia*, B vt est Ierem. 10. 3. cur metuantur, cùm *nec malè possint facere, nec bene*, vt est ibidem, versu 5. *Dominus autē cœlos fecit.* Iure merito igitur terribilis est, & *ab indignatione eius commouebitur terra, & non sustinebunt Gentes comminationem (iram) eius*, vt est Ierem. 10. 10.

6 *Gloria.* Græcus & Lat. qui habent *Confeßio*, videntur legisse תּוֹדָה *todha*, i. *confessio*, pro הוֹד *hodh*, i. *gloria. In conspectu eius* solius, non autem idolorum C gentium. *In sanctuario eius*, hoc est ex Kimhi & aliis, in cœlo: cœlum enim est locus Dei sanctus, ex illo ps. 20. 7. *exaudiuit illum de cœlo sancto suo*, seu *sanctitatis suæ*. Et 2. Paral. 30. 27. *peruenitque oratio eorum ad habitaculum sanctitatis eius in cœlum*. Ezra rectius esse putat per sanctuarium Dei intelligere Arcam. Chald. interpretatus est, *in domo sanctuarij eius*. In Paral. legitur, *fortitudo & gaudium in loco eius*. Vbi dicitur gaudium ex Kimhi, quòd è contrario Philistæi perpetuo in luctu fue- D rint, quandiu apud eos fuit Arca.

7 *Afferte Domino familiæ Gentiū*, seu *Populorum*: &c. Postquam Israëlitas admonuit, vt cùm inter se, tum apud exteros populos Dei gloriam & potentiam prędicent, nunc Gentes ipsas hortatur, vt, postquam scilicet tot Arcæ Domini, vel Christi miracula aspexerint, Deo gloriæ & fortitudinis laudem deferant: &c. *Familiæ.* Hæc vox interdum totos populos seu gentes significat. Ier. 25. 9. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes (familias) Aquilonis*, hoc est, omnes nationes, seu, vt Chald. ha- E bet, *omnia regna Aquilonis. Afferte* orc. *Domino* soli. Quid? *gloriam & fortitudinem*. Potest & hæc altera pars psalmi ad Israëlitas spectare, ita vt per *familias populorum*, intelligendæ sint Tribuum, quæ interdum *populi* appellantur, vt alibi obseruatum, familiæ & cognationes. Nemo porrò nescit populum Israëliticum non confusum, sed per familias distinctum ad festa & solemnitates solitum olim pergere: vt constat ex illo Lucæ 2. *& requirebant eum inter* A *cognatos & notos*. Ad istam consuetudinem, si hæc pars ad Israëlitas pertinet, dubio procul respexit.

8 *Gloriam nominis eius*, hoc est, gloriam dignam eius nomine. Simile est ps. 29. 2. *Tollite hostias*, &c. Inuitat Gentes, vt ritus Mosaicos vnà cum Iudæis obseruent. Ita est, si ad historiam 1. Paral. 16. hunc psalmum refers. Verùm si ad Christi tempora, ita vt his versibus contineatur vaticinium de Gentium vocatione, dic hac forma loquendi, & quæ sequitur in priore membro B subsequentis versus, significare velle Dauidem, Dei cultum Gentibus post Christi aduentum fore cum Iudæis eundem & cōmunem: nec ex eo effici, externo ritu qui Lege Mosaica præscriptus fuit, nunc Deum esseà Christianis colendum. Nam noui Testamenti cultus internus & spiritalis esse debet, sicut Prophetæ prædixerunt, & Christus ipse dixit Ioh. 4. *venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales* C *quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Cultus, seu λατρεία nostra ex Apost. ad Rom. 12. debet esse λογικὴ, seu *rationabile obsequium nostrum*. Quòd igitur hîc mentionem facit hostiarum, & atriorum, illud tenendum, eum externo ritu, qui tunc vsitatus esset, notare spiritualem cultum, qui noui Testamenti proprius est, per carnales hostias scilicet, *spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum*, quemadmodum loquitur D. Pe- D trus 1. Epist. 2. *Hostias* (in Fonte מִנְחָה *mincha)* potes tamen accipere, vt sonat, pro oblatione illa munda, quam vbique terrarum sibi oblatum iri prædixit Deus, Malach. 1. 11. vbi hebraicè eadem vox quæ hîc. *Introite in atria eius.* In Paralip. *introite (venite) in conspectum eius.*

9 *Adorate Dominum in decore sancto.* Hæc pars in Paralip. etiam in Fonte, necnon hîc apud Græcum & Lat. ad præcedentem versum pertinet. *In decore sancto* seu *sanctitatis*, hoc est, in domo Sanctuarij, apud Arcam, qui locus est omnium magnificen- E tissimus & sanctissimus. Græcus & Lat. *in atrio sancto eius*. Vide ad vers. 2. ps. 29. In Paralip. Græcus quidem habet ἐν κατοικητηρίῳ ἁγίῳ αὐτοῦ, Lat. verò *in decore sancto*. Quòd Lat. hîc verterit post Græcum *atrio*, scilicet, vt puto, ex חַדְרַת *chadhrath*, pro הַדְרַת *hadhrath*, illic verò in Paralip. *decore*, ex Hebræo præcisè, non ex Gręco, satis est euidens argumentum non esse eundem interpretem Latinum libri Psalmorum, atque aliorum librorum. *Pauete à facie eius* &c. Sensus, ô quotquot hactenus

Deum

Deum non metuisti
eius facta quæ videri
collige Deo seruie
& cultum exhiben
exultatione, sed
ps. 2. 11.
10 *Dicite in Ge*
pertinet, nihil e
ros verò populo
tur qui primi ex
& gloriâ cogno
luerint, vt rurs
ferant, eósque
ad Dei cultum
minus regnat,
Deus Dominu
lius nutu orbis t
que populi iusto
tineantur & gul
terrarum reges s
regna magis con
quàm stabiliuntur
imperio omnia in
conseruantur. Idci
Dominus regnat, sub
bitur orbis terræ, &c.
aliam esse regnandi
præstantiorem, quàm
Hoc quin Christo opti
bium non est, qui *indic*
arguet populos multos:
conflabunt gladios suos i
ceas suas in falces; &c. E
est in Iudæos, illos ex h
à ligno. Notum illud ex
sunt quæ concinit, Dauid fi
cens in nationibus, Regnau
Id quod tamen in hebræo
rum nullibi reperitur. Ius
Dialogo ad Tryphonem, p
in Græca versione sui tempe
ἐν τοῖς ἔθνεσι, ὁ κύριος ἐβασ
ξύλου, sed postea ab Hebræ
sum & sublatum ἀπὸ τοῦ ξύ
dæi ex suis codicibus aliqui
potuerint, quomodò ex Græc
qui semper penes nos fuere, p
Græcis autem, & Latinis codi
bus deest *à ligno*. Geneb. putat
à ligno, non fuisse in Hebræo c
Septuaginta additum, & quide

V I.

quando terra

gnauit, exul-
multæ.
cuitu eius: iu-
io sedis eius.
ecedet, & in-
imicos eius.
a eius orbi terræ:
terra.
ra fluxerunt à fa-
Domini omnis ter-

unt cæli iustitiam e-
omnes populi gloriam

ur omnes, qui adorant
i gloriantur in simula-

omnes angeli eius: au-
a est Sion.
uerunt filiæ Iudæ, propter
mine:
m tu Dominus altissimus
terram: nimis exaltatus es
deos.
iligitis Dominum, odite ma-
lit Dominus animas sancto-
m, de manu peccatoris libe-

orta est iusto, & rectis corde

mini iusti in Domino: & con-
memoriæ sanctificationis eius.

COMMENTARIVS.

HIC psalmus mihi videtur esse appendix superioris, & exornatio solùm quadam horum verborum versus 10. [1] Dominus regnat. *Exornatio autem ducitur ex eo quòd tam potenter in hostes, & quidem nuperrimè, vt constat ex versu* 8. *Deus animaduertit. Apud Hebræos psalmus hic quoque titulo caret: quod in Græcis quibusdam exemplaribus adnotatum est his verbis*, ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. *Græc. & Lat. hunc titulum præfixere, ille*, ψαλμὸς τῷ Δαυίδ, ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ καθίσταται; *hic*, Huic (Ipsi) Dauid, quando terra eius restituta est ei. *Quem sanè titulum à Græco additum existimo, qui putarit, neque profectò abs re, carmen hoc editum esse à Dauide post insignes victorias, quibus terras vicinas regno suo adiecit. Nec verò dubium est, quin etiam hic psalmus ad Christi regnum pertineat. Sed de hoc argumento videndi Patres.* Argumentum.

1 *Dominus regnat.* Propositio Psalmi. Solus Deus, inquit, Rex est. Habet igitur vniuersa terra quòd sibi gratuletur, quòd triumphet. *Insulæ multæ*, hoc est, tot insulæ, quæ in orbe sunt. Potes vertere, *magnæ*, id est, maximę quæque insulæ. *Insulas* quum nominat, vult significare regiones transmarinas, q. d. regiones etiam transmarinæ exultent. Inuitare scilicet voluit Dauid omnes exteras Gentes. In argumento Græci interpretis, *Dominus regnat*, id est, Nunc demum ostendit & probat Dominus se esse regem, quando tot Gentes suo imperio ac ditioni subiecit.

2 *Nubes & caligo in circuitu eius*: &c. Pingit Deum, ad impiorum videlicet terrorem, & piorum humilitatem, densa nubis caligine circuncinctum, & throno regio insidentem, cuius basis est iustitia, & iudicium, iustitia per quam bonos seruat, ac tuetur, iudicium, quo in sceleratos seuerissimè animaduertit. Iustitia & iudicium quî differant dictum est alio loco diligentiùs.

3 *Ignis ante ipsum præcedit*, &c. Ecce nunc tibi pingit Deū, cui, quasi apparitor, ignis obuios quosque aduersarios vndique corripiens, præeat. *Exurit in circuitu*, seu *circumquáque* quum ait, significare vult, inquit Kimhi, nullum illis superesse locum, quò ab illo igne aufugiant. Respicit his versibus porrò ad tonitrua, quibus quoties hostes Deus deleuit?

4 *Illucent fulgura eius* &c. De quo igne intelligendus sit præcedens versus, hic perspicuè docet. Ac quoties, inquit, ignita illa Dei fulgura suo fulgore mundum complent, quis verò tum mortalium non vehementer contremiscit? Futura præcedentis versus, & præterita huius & duorum sequentium vertantur in præsentis temporis verba, quò planior sit sententia: quanquam duo sequentes versus haud incommodè, vti mox dicetur, præteritum tempus ferre possunt.

5 *Montes sicut cera fluunt*, seu *dissoluuntur* &c. Per *montes* hîc reges esse intelligendos puto. Montes figuratè ac metaphoricōs reges interdum appellari alibi obseruatum, & clarum ex Mich. 6. 1. & 2. *Sicut cera.* Apta similitudo, vbi de Deo tonante, ignésque iaculante agitur. *A facie Domini omnis terræ*: quasi dicat, Reges, inquam, in nihilum abeunt, ac veluti colliquescunt ad conspectum Domini omnis terræ. Lat. *à facie Domini omnis terra.* Sed in Fonte est אָדוֹן *adhon*, in regimine, non אֲדֹנָי *adhonai.* Et in Græco, κυρίου πάσης τῆς γῆς. Card. Bellar. fatetur fieri posse, vt * nostra lectio vitio librariorum sit mutata, quod, inquit, facillimè contingere potuit. Addit, Vtérque tamen sensus est verus, neque est varietas hæc alicuius momenti. Potest in hoc versu exponi verbum per præteritum, quasi ad probandam diuinam potentiam dicat Reges multos ad irati Dei conspectum subitò in nihilum redactos. In argumento Græci Interpretis per præt. vertendum.

* Vulgata fsluet.

6 *Annunciant cæli iustitiam eius*, &c. Mens hæc huic versui, Dum grandinis lapidibus, & sulphuris igne in sceleratos pluit, tunc *annuntiant cæli iustitiam eius.* Ad Dei quippe iustitiam, adeóque gloriam pertinet sceleratos atque impios vlcisci. In hoc quoque versu verba per præteritum licet exponere.

7 *Confundantur (Pudore afficiantur) omnes qui adorant sculptilia*, (ad verb. *qui seruiunt sculptili*,) &c. Cùm igitur ita sit, vt Deus solus regnet, támque sit potens, & iustus, quid nunc restat, nisi vt vanos illos idolorum cultores pudeat suæ stultitię? *Qui gloriantur in simulachris* inanibus, quibus nihil subest, nec sunt אֱלֹהִים *elohim Deus*, sed אֱלִילִים *elilim, res nihili*, (quæ

vox hic legitur) merum lignum & lapis, quæ *non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur*, vt eſt Deut. 4. 28. *Glorientur* acceptam illis referentes ſuam fœlicitatem. *Adorate eum*, quem diximus verum ac ſolum Deum, *omnes Dij*. Subita & emphatica apoſtrophe. Edico vobis, ait, quos pro Dijs ſtulti mortales habent, ſiue reuerà eſtis aliquid, ſiue nihil eſtis, vti omnes iſtum adoretis. Ad fictitia & falſa ſimulachra erit proſopopœia etiã. *Adorate*. Ex Kimhi *adorent*: negat enim השתחוו *hiſchtachauu*, eſſe imper. modi, ſed vult eſſe præt. temporis pro futuro. Quid hoc, quæſo, neceſſe? Græc. Lat. & nonnulli Hebræorum, teſte Ezra, hìc Deos Angelos interpretati ſunt. Author quoque Epiſt. ad Heb. cap. 1. qui hinc videtur deſumpſiſſe illud, *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei*.

8 *Audiuit* quomodò Deus nuper ſuos vltus eſt. Eòdem pertinet poſterius membrum, *& exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia* &c. Non dubium eſt quin reſpiciat ad recentem aliquam hoſtium cladem. *Sion* regni Iudaici ſeu Iſraelitici metropolis. *Sion* pro tota Ieruſalem, ſynecdochicῶs. *Filiæ Iudæ*, hoc eſt, ciuitates eiuſdem regni minores. Sic Ierem. 49. 2. *& auditum faciam ſuper Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij, & erit in tumulum deſolationis, filiæque eius* (hoc eſt, vicinæ vrbes minores, ſeu villæ ſubditæ illi) *igne ſuccendentur*. Creberrima eſt hæc loquutio in libro Ioſue. Non ſemel quoque occurrit Ezech. 16. *Propter iudicia tua*, per quæ ſeuerè in hoſtes animaduertis.

9 *Quoniam tu Dominus altiſſimus* &c. Senſus, Quia perſpicuè ex tuis factis cognouerunt eſſe te excelſiorem cunctis, quæ in terra ſunt, & omnibus diis, vbicumque tandem exiſtant, ſiue in cœlis, ſiue in

A terris, longè ſuperiorem. *Deos*, qui pro diis ſcilicet à cæcis mortalibus falsò coluntur.

10 *Qui diligitis Dominum*, &c. Concluſio adhortatoria ad Iſraëlitas, vt malum aciuitium auerſentur, ſi velint à Deo, vt nuper, aduersùs hoſtes defendi, hoc enim ſignificatur hac generali ſententia, *cuſtodit animas ſanctorum ſuorum*: &c. *Sanctorum ſuorum*, id eſt, illorum qui piè & ſanctè ipſum colunt.

B 11 *Lux ſata eſt iuſto*, &c. Occurrit tacitæ obiectioni, hocque, quod ait, perindè eſt, meo iudicio, ac ſi diceret, Atque ſi interdum Deus non mox opem ferat iuſto, & pio homini, ipſeque ſub cruce ſæpenumero gemat, tamen certiſſimum eſt iuſto paratam eſſe gratam lucem, quæ aliquandiu, vt ſemen terræ mandatum, lateat, donec ſuo tempore vel in terris, vel præſertim in cælo ſeſe prodat. Per *lucem* intelligendam eſſe C lætitiam declarat ſequens membrum, quod pro more Pſalmographorum, eius quod figuratè erat dictum, ſimplex eſt expoſitio. *Sata eſt*. Repetendum hoc ad poſterius membrum. Græc. & Lat. *orta eſt*: ex זרח *zarach*, pro זרע *zarua*. Iudicarunt enim *oriri* magis ad lucem cõgruere, quàm *ſeminari*: & hoc ſimile eſſe putarunt illi pſ. 112. 4. *Exoritur in tenebris lumen rectis*. Chald. hìc interpretatus eſt, *Lux oritur, & reconditur iuſtis*. Qui quidem Chald. videtur legiſſe & זרח *zarach*, reddens דנח *de-* D *nach*, & זרע *zarua*, reddens מטמר *mittammer*. Dura quibuſdam videtur hæc metaphora, *Lux ſata eſt*, mihi non, qui legam pſ. 126. 5. *Qui ſeminant in lacrymis*, &c.

12 *Lætamini iuſti* &c. Senſus, Eſt igitur cur vos, ô iuſti, iure lætemini, etiam in aduerſis, Dominum omnium bonorum fontem, qui vobis non deerit, cogitantes. *Memoriæ ſanctitatis eius*. Vide ad verſ. 5. pſal. 30.

PSALMVS

XCVII. — XCVIII.

VERSIO

VETVS.



SALMVS *ipsi Dauid.* *Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.*

2 *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.*

3 *Notum fecit Dominus salutare suũ: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.*

4 *Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël.*

5 *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

6 *Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.*

7 *Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.*

8 *Iubilate in conspectu regis Domini: moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.*

9 *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.*

10 *Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.*

NOVA.



SALMVS. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: salutem fecit ipsi dextera eius, & brachium sanctum eius.

2 Notum fecit Dominus salutare suum: in oculis Gentium reuelauit iustitiam suam.

3 Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël: viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

4 Iubilate Domino omnis terra:
[a] cantate, & exultate, & psallite. a resonate.

5 Psallite Domino in cithara: in cithara, & voce psalmi.

6 In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ iubilate in conspectu Regis Domini.

7 [b] Moueatur mare, & plenitudo b prop. Tonet
eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

8 Flumina plaudant manu, simul montes exultent.

9 In conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.

COMMENTARIVS.

HIC psalmus eiusdem est cum duobus superioribus argumenti, immò & eorundem pene verborum cum 96.° vt non sit opus longo commentario. Apparet autem in hoc quoque carmine, vt & in præcedente, de insigni & recente aliquâ victoriâ & liberatione agi, quam agnosci & celebrari velit Dauid à toto populo, cui pax & tranquillitas per illam victoriam sit parta. Græcus & Lat. Dauidem huius Psalmi authorem agnoscunt. Quàm apertè totus hic Psalmus in Christum conueniat, norunt omnes Christiani. Argumẽtum.

1 *Cantate Domino canticum nouum.* Vide ad Ps. 96.1. *Salutem fecit ipsi dextera eius,* &c. Sensus, suâ vnius dexterâ, suóque vnius brachio salutem Deus attulit. *Ipsi* Deo, non quòd ipsi opus esset salute, sed quòd ipse suos vellet seruare. Additum hoc non sine singulari emphasi & energia. Kimhi simile esse huic affirmat Esaiæ 59. 16. *Et vidit quòd non esset vir, & aporiatus* (*admiratus*) *est quòd non esset qui occurreret: & salutem fecit ipsi* (Deo) *brachium eius,* &c. Addo ego illud Es. 63.5. *Circũspexi itaque, & non* (*erat*) *auxiliator; & admiratus sum, & non fuit qui adiuuaret: & salutem fecit mihi* (Deus loquitur) *brachium meum,* &c. Notanda hoc loco constructio verbi הוֹשִׁיעָה *hoschia,* cum dandi casu: quæ caussa est quamobrem à nobis est redditum illud verbi per *salutem afferre*, non per *saluare*, vt quum regit accusatiuum. Hinc potest intelligi illud Matth. 21. *Hosanna filio Dauid,* hoc est, *salutem affer*, vel *fer opem, quæso, filio Dauid.* Sic enim exponendo rectè procedit constructio: quæ alioquin esset inepta, si exponeres *salua, quæso,* &c. Non ignoro plerósque Interpretum voce *Hosanna* intelligere fasciculum salicum seu ramum cuiuscumque arboris, quem Iudæi identidem canentes Hosanna, gestarent in festo Tabernaculorum, quasi illâ acclamatione nihil aliud significetur, quàm ramum præferimus filio Dauid. Planum est ex vsu Talmudistarum הוֹשַׁעְנָא *hoschana* seu *Hosanna* significare salicis aut cuiuscumque arboris ramum. Verùm, vt ego quidem sentio, nihil necesse est in prædicta acclamatione aliter accipere vocem *Hosanna*, quàm, vt sonat. Ac puto respondere istam acclamationem illi *Viuat rex*, atque desumptam esse ex versu 25. ps. 118. id quod perspicuè ostendit illud quod Iudæi addebant, *Benedictus, qui venit in nomine Domini,* ex versu 26. eiusdem ps. quod argumento est vocem הוֹשַׁעְנָא *hoschana*, eodem modo explicandam in illa acclamatione, quo in illo loco ps. citati הוֹשִׁיעָה נָּא *hoschia nna*, vnde illud est corruptum aut certè contractum, nimirum pro *saluum fac* seu

A *salutem affer.* Vide ad vers. 25. psal. citati.

2 *Notum fecit Dominus salutare suum:* &c. hoc est, Palàm & in oculis omnium nos pro sua iustitia seruauit. Simile prorsus apud D. Luc. cap. 2. Simeon, quum Iesum vlnis suis excepisset, legitur cecinisse: nec dubium est quin ad hunc Psalmum respexerit.

3 *Recordatus est misericordiæ suæ,* &c. Sensus, Deus pro solita sua misericordia, & fide olim data erga Israëlitas se gessit, ac
B demonstrauit recordari se fœderis icti cum patribus, ac præsertim cum Abraham, Gen. 22. 17. *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Huc respexisse videtur Virgo mater, quum in suo illo Cantico dixit, *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham,* &c. Lucæ 1.

4 *Iubilate Domino omnis terra:* &c. Hæc fatetur Kimhi pertinere ad omnes nationes, quæ simul cum Israëlitis saluandæ
C sint. Verùm quod dudum à Christo Seruatore contigit, ille futurum esse credit.

6 *In tubis ductilibus*, seu *classicis*, vt in die lætitiæ: (vide Num. 10.10.) vel vt in aduentu regis. *Ductilibus.* Vide Num. 10.2.

7 *Moueatur* (prop. *tonet*) *mare*, &c. Vide ad vers. 11. ps. 96. *Orbis* repete *tonet*, id est, magnis cantibus reboet, & perstrepat.

8 *Flumina plaudant manu.* Audax meta-
D phora ducta ab hominum consuetudine, qui complosione manuum animi lætitiam solent ostendere, & Regibus gratulari, iuxta illud 2. Reg. 11. 12. *plaudentes manu dixerunt, Viuat Rex.* Ezra dicit huius versus sensum esse, vt qui homines in fluminibus nauigant, aut in montibus versantur, plaudant manu, & exultent. Verùm ego puto esse prosopopœiã, quæ figura non parum familiaris est Sanctis litteris.

9 *In conspectu Domini;* &c. Quæ ad huius versus explanationem pertinent, repetantur ex versu vlt. ps. 96.

PSALMVS

XCVIII. XCIX.

VERSIO

VETVS.


SALMVS ipsi Dauid. Dominus regnauit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moueatur terra.
2 *Dominus in Sion magnus: & excelsus super omnes populos.*
3 *Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, & sanctum est: & honor regis iudicium diligit.*
4 *Tu parasti directiones: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.*
5 *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est.*
6 *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.*
7 *Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.*
8 *Custodiebant testimonia eius, & praeceptum quod dedit illis.*
9 *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.*
10 *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

NOVA.


OMINVS regnat, contremiscant populi: sedet (inter) Cherubim, commoueatur terra.
2 Dominus in Sion magnus, & excelsus ipse super omnes populos.
3 Confiteantur nomini tuo magno & terribili: (quoniam) sanctum est.
4 Et fortitudo Regis iudicium diligit: tu parasti [a] directiones; iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. *a rectitudines,*
5 Exaltate Dominum Deum nostrum, & [b] adorate scabellum pedum eius: (quoniam) sanctum est. *b incuruate vos scabello*
6 Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter inuocantes nomen eius: inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos.
7 In columna nubis loquebatur ad eos: custodiebant testimonia eius, & [c] praeceptum (quod) dedit illis. *c prop. statutum*
8 Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus [d] propitius eras eis, & vlciscens [e] in adinuentiones eorum. *d condonans e super opera*
9 Exaltate Dominum Deum nostrum, & [f] adorate montem sanctum eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster. *f incuruate vos monti*

COMMENTARIVS.

EIVSDEM *est argum. hic Psalmus, ac tres superiores. Et quidem huius eadem est propositio, quae 97. nisi quòd in illo ex eo quòd Deus regnet in Sion, & vbique terrarum, iubentur omnes populi exultare, in hoc verò ex eadem ratione iubentur contremiscere. Est tamen & altera propositio, qua item iubentur omnes celebrare Dei nomen magnum* Argumẽtum.

& terrificum, ac Deum adorare. Vtrique propositioni efficacia asperguntur argumenta. Græc. & Lat. Dauidem huius quoque carminis autorem faciunt.

1 *Dominus regnat*, &c. Prima pars Psalmi hoc & sequente versu continetur, quæ omnes iubet Deum regem vereri. *Qui sedet (inter) Cherubim* sup. regnat. (*Inter*) *Cherubim* super Propitiatorio, vnde solebat dare responsa. Nota. In hoc versu dicitur, *Dominus regnat, contremiscant populi*: &c. At versu 1. ps. 97. *Dominus regnat, exultet terra*: &c. Versu quoque 10. ps. 96. *Dominus regnat, etiam firmabitur orbis terræ, non commouebitur*: &c. Quæ prima quidem fronte inter se pugnare videri possunt, cùm tamen vera sint. Nam quæ piis B hominibus gaudij & lætitiç, eadem impiis terroris est occasio, vt cùm illi Deum regem libenter amplectantur, hi contrà nolint regnare, qui tam seuerè interdum in ipsos animaduertit. Imò & pij homines habent quòd Deum regem læti & hilares suscipiant, simúlque vereantur & timeant, seruiendum quippe Domino in timore, & exultandum ei esse cum tremore monuit Dauid Ps. 2. 11.

2 *Dominus in Sion magnus*: ibi quippe, vt in regia, magis elucet ipsius maiestas: nec C tamen duntaxat in Sion magnus, sed *& excelsus ipse super omnes populos*, sicuti rex aliquis non solùm in regia magnus est.

3 *Confiteantur nomini tuo* &c. Altera Psalmi pars, qua item omnes populi iubentur nomen Dei celebrare. Sermo ad Deum ipsum subitò conuertitur. (*Quoniam*) *sanctum est* tuum illud nomen. Optima ratio. Populi omnes, inquit, tuum, ô Deus, sublime & terrificum nomen concelebrent, quoniam sanctum est, idolorum verò, quæ ab ipsis coluntur, nomina turpia & prophana, ideòque nulla laude digna. Non statim D quod magnum est, laudem meretur: sed quod magnum & sanctum, vt Dei nomen, illud vtique omnem laudem superat: sicut econtrà quod nec magnum nec sanctum, vt falsa Idolorum nomina, omni laude carere debet.

4 *Et fortitudo Regis iudicium diligit*, seu *dilexit*. Sunt qui hoc sic accipiant, quasi velit dicere, Et verò huius Regis summa potentia iuris & æqui est amātissima. Cum E hac expositione non malè cohæret reliqua pars versus. Nam quòd subitò tertia persona in secundam mutatur, illud verò non debet videri nouum, ad ardentiorem scilicet affectum exprimendum, & aliàs sæpe vsitatum est. Ego hoc, *Et fortitudo Regis iudicium diligit*, accipio tanquam generalem aliquam sententiam, quæ hunc sensum habeat, Robur regis ius amat, ac postulat, A quasi dicat, Robur regis in iustitia præsertim positum est: & verò cùm ita sit, quis iustitiam magis coluit quàm tu? *Tu parasti directiones*, seu *rectitudines*; &c. hoc est, tu omnia hactenus rectè & iustè administrasti. *In Iacob* quum ait, non alios populos excludit, sed eum nominat populum, in quo præsertim Deus iustitiam suam conspiciendam dedit. Facit à me Ezra, qui priorem partem sic explicat, Fortitudo & gloria est Regi, qui iudicium diligit. Iuxta hunc vertendum esset, *Et fortitudo (est) Regis, qui iudicium diligit*. Rasi refert hoc ad verbum superioris versus *Confiteantur*, sic, *Et* (sub. confiteantur) *fortitudini* seu *fortitudinem Regis, (qui) iudicium diligit*.

5 *Exaltate* ore vestro. Omnes, tam Israelitas, quàm Gentiles alloquitur. Kimhi. *Scabellum pedum eius*, hoc est, ex Chald. & Kimhi, domum Sanctuarij. *Adorate scabellum* &c. id est, Deum apud scabellum &c. In postremo versu, qui idem est ferme cum hoc, pro *scabellum pedum eius*, legitur *montem sanctum eius*. *Quoniam sanctum est*, scabellum pedum eius videlicet.

6 *Moyses & Aaron* &c. Esse adorandum & orandum Dominum probat exemplo trium sanctissimorum virorum, qui cùm Deum sæpe orarint, nunquam repulsam passi sunt. *In sacerdotibus eius*, hoc est ex Kimhi, qui maximi fuerunt inter illius sacerdotes. Superlatiui vim habet præpositio *in*, apud Sacras litteras haud rarò. Intellige, si vis, simpliciter, pro, qui sacerdotes seu inter sacerdotes eius fuerunt. Videtur hic locus docere Moysem fuisse sacerdotem. Ezra, Kimhi & alij Moysem affirmant, sanè probabiliter, sacerdotio functum esse septem illis diebus consecrationis Aaron & filiorum eius, de quâ Leuit. 8. Non desunt ex veteribus Rabbinis, teste Kimhi, qui doceant Mosem totis quadraginta annis, quibus Israelitæ fuerunt in deserto, summo sacerdotio fungi potuisse. Sed quo nitantur Scripturæ testimonio, nullus video, nisi hoc fortasse, quod tamen eorum sententiam minimè iuuat. Certè istorum Rabbinorum seu Magistellorum mihi semper suspecta est fides, nisi textu aliquo firmetur. *Et Samuel inter inuocantes nomen eius*, seu *in inuocantibus nomen eius*. Kimhi per *inuocantes nomen Domini*, Prophetas intelligit, affirmátque Samuelem inter Prophetas sui temporis fuisse maximum, & fortasse prophetarum maximum post Mosem: eámque ob rem dici Ieremi. 15. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me*. Kimhi

ex Deras obseruat multa in Sacris literis de Mose pariter & de Samuele dici. Sed longum esset omnia ista recensere. Adi Kimhi, si curiosus es.

7 *In columna nubis* &c. Ezra & Kimhi hoc ad Mosem & Aaronem tantùm volunt pertinere, non verò ad Samuelem. Rasi & alij ad Samuelem etiam: sed hi nullo nituntur probabili Scripturæ loco, in quo dicatur Deus loquutus fuisse cum Samuele in columna nubis. Quòd Deus sæpe Mosi locutus sit in columna nubis, nemo nescit. Quòd Aaroni etiam, docebit capitis Num. 12. versus 5.us. *Custodiebant testimonia eius*, &c. Ostendunt B hæc verba Deum non omnes statim exaudire qui orant, nisi etiam eius mandata obseruent, ac voluntati pareant.

8 *Tu exaudiebas eos*, Mosem scilicet, Aaronem & Samuelem, quum pro salute populi orarent. *Deus propitius (condonans) eras eis*, hoc est, ex Kimhi, propter eos, eorum caussâ. Chaldæus hoc sensu interpretatus est, *Deus condonans eras populo tuo propter eos. Et vlciscens in adinuentiones eorum*, ad verb. *super opera eorum*, id est, ea quæ aduersùm illos moliti sunt Core, & eius conscij, C Num. 16. Sic ferè ad hoc Kimhi, ad quem hoc addo, *adinuentiones*, seu *opera eorum* passiuè, non actiuè debere accipi, hoc est, non quæ facerent opera, sed quæ paterentur Rasi quoque explicat *propitius fuisti*, seu *condonasti* peccatum Israëlitarum propter eos. Nota in hoc versu subitam & emphaticam ad Deum Apostrophen.

A 9 *Exaltate Dominum* &c. Repetitur ferme versus quintus. *Adorate montem sanctum eius*, id est ex Kimhi, montem Moriam, in quo domus Sanctuarij. *Quoniam sanctus Dominus* &c. & sanctus locus eius. Sic Leuit. 19 30. *Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite: ego Dominus*. Quum, inquit Kimhi, Domum, seu Sanctuarium metuunt, eum metuunt qui Domum mandauit ac delegit: quùmque parietem Domus siue Sanctuarij adorant, eum adorant qui Domum sanctificauit, ad Deúmque respicient, & mentem excitant. Sic nos (audiant inimici crucis Christi) crucem quum adoramus, Christum ipsum adoramus, *aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitamus tunc eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùm semetipsum contradictionem: vt ne fatigemur, animis nostris deficientes.* Sic nos Christi & Diuorum imagines quum adoramus aut colimus, Christum & Diuos ipsos colimus: non lignorum, aut colorum naturam colimus: absit: sed inanimatos characteres Christi & Diuorum. Hos enim cùm habeamus, per ipsos, Christum & Diuos nos tenere atque amplecti viuos ac spirantes nobis videmur. Quum adoramus atque exosculamur librum Legis aut Euangeliorum, non naturam membranarum aut atramenti adoramus aut exosculamur, sed verba Dei, quæ in illo continentur.

ad Heb. 12.

B. Leontius Epis. Neapoleos Cypri.

PSALMVS

XCIX. C.

VERSIO

NOVA.

PSALMVS ad confessionem. Iubilate Domino omnis terra.

2 Seruite Domino in lætitia: introite in conspectum eius in exultatione.

3 Scitote quòd Dominus ipse (est) Deus, ipse fecit nos, & non (ipsi) nos, populus eius, & oues pascuæ eius.

4 Introite portas eius in confessione; atria eius in [a] hymnis: confitemini illi; [b] laudate nomen eius.

a heb. *laudes:* b prop. *benedicite*

5 Quoniam bonus (est) Dominus, in æternum misericordia eius: & vsque in generationem & generationem veritas eius.

VETVS.

PSALMVS *in confessione.* *Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia.*

2 *Introite in conspectu eius, in exultatione.*

3 *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos:*

4 *Populus eius, & oues pascuæ eius: introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.*

5 *Laudate nomen eius: quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *QVanquam hic Psalmus etiam ob contextus & orationis cum superioribus quatuor similitudinem eiusdem videtur esse cum illis argumenti, & eodem tempore, eadémque ex occasione conscriptus, nihilominus tamen ex Titulo colligo peculiari vsui præterea hoc carmen fuisse destinatum,* ad confessionem *nimirum seu* gratiarum actionem, *quotidie propter beneficia diuinitus nobis concessa habendam. Chaldæus, Rasi &* Kabuenaki *censent idcirco scriptum fuisse hunc psalmum, vt in sacrificiis confeßionis seu eucharisticis decantaretur. Hoc porrò carmen hortatur omnes mortales, & præcipuè Iudæos, vt hilares debitum Domino cultum præstent, vt sistant se coram eo, adsintque ad ipsius ædis fores ipsum celebraturi, ac collaudaturi, solum Deum, generis hominum conditorem, & conseruatorem, perpetuò bonum, misericordem, & veracem.*

1 *Iubilate Domino* &c. Primo versu propositio psalmi continetur, quę amplificatur postea.

2 *Seruite Domino in lætitia:* &c. Seruitus apud homines, quantumuis iusta & clemens, mœroris semper habet aliquid: at Dei seruitus, modò liberalis, quo ipse vt pater ac Dominus colitur, nihil habet tristitiæ, etsi aliquid tremoris semper folliciti de officio. Vnde illud alterum ps. 2. 11. *Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore.*

Introite in conspectu eius &c. id est, alacres vos sistite coram eo, & quasi serui mi- A nistrate. Vbi? Ad Arcam: vel ad Tabernaculum conuentus, quò populus ad celebrandum Deum conuenire solebat.

3 *Scitote* &c. Pars propositionis, quâ seorsum Israëlitæ compellantur. *Dominus ipse (est) Deus.* Populus Israëliticus, viso miraculo, *Dominus ipse (est) Deus, Dominus ipse (est) Deus,* ait, 1. Reg. 18. 39.

Et non (ipsi) nos. Hebræus codex duplicem habet lectionem, in textu vnam, in margine alteram: in textu וְלֹא אֲנַחְנוּ *velo anachnu, & non nos* nominandi casu: quam lectionem Græcus sequutus est, quum

vertit, καὶ οὐχ ἡμεῖς: in margine ולו אנחנו *velo anachnu*, *& ipsi* seu *ipsius nos*: quo modo legit Chaldæus, qui interpretatus est, *& ipsius nos*, necnon B. Hieron. qui vertit, *& ipsius sumus*. (*Ipsi*.) Card. Bellarm. Latinum interpretem sentit addidisse illud, *ipsi*, ad vitandam cacophoniam, quæ sentitur, cùm dicitur: *ipse fecit nos, & non nos*: & voluisse illud, *ipsi*, accipi in nominatiuo. Agellius Episcopus Acernensis putat *ipsi* dandi casum esse: & confudisse in Latino quempiam duas prædictas lectiones, & fecisse, *& non ipsi nos*. Quæ commixtio, inquit laudatus author, errorem continet, quasi dicat, non sumus ipsius, id est, οὐκ αὐτῷ ἡμεῖς. Nisi fortè, inquit, simpliciori modo quispiam intelligat *ipsi* pro αὐτοί, nominandi casu. Ego in meliorem partem cum Card. Bellar. malo interpretari, quasi diceret, & non ipsi nos fecimus nos. Verbum *faciendi* hoc loco videtur significare non tantùm de nouo facere, sed & ornare & extollere, quemadmodum 1. Sam. 12. 6. vbi legitur, *Dominus qui fecit Moysen & Aaron*, claros scilicet & nobiles. Nō temerè igitur & inutiliter addidit, *& non* (*ipsi*) *nos*, ne esset aliquis, qui bonam saltem sibi fortunam facere posse putaret, superbum illum Pharaonem Regem Ægypti imitatus, qui Ezech. 29. 3. sic dicebat, *Meus est fluuius meus, & ego feci memetipsum*, id est, regem magnum mea virtute me feci. Vide quæ notata sunt ad vers. 7. ps. 95. Quamquam quid repugnat verbum *faciendi* hìc accipere, vt sonat? Etiamsi enim, inquit Card. Bellar. nemo ignorare possit, se non esse sibi vitæ auctorem: tamen multi sunt, qui non considerent à quo facti sint, & qui ita se gerant, ac si neque Deum, neque vllum alium auctorem haberent. Propterea, inquit, vtilissimum fuit, vt seriò admonerentur homines cogitare, se non esse sibi auctores vitæ, sed vitam, & omnia vni debere Deo. Addo ego, Profani homines existimant solem & hominē generare, adeoque facere hominem, & filios parentibus vitam debere putant, cùm tamen vitę Deus autor existat præcipuus: ideóque haud abs re addidit, *& non* (*ipsi*) *nos*, hoc est, nos homines homines non facimus propriè, etsi generamus: quia Deus est qui vitam cum anima largitur. Ex Rasi, *ipse fecit nos, & non nos*, est perinde ac si diceret, fecit nos, cùm antea nulli essemus. Symm. hoc modo accepit, qui vertit, αὐτὸς ἐποίησεν οὐκ ὄντας. *Populus eius*, &c. Per appositionem, *nos* scilicet *populus eius*, &c. Etsi hoc de omnibus hominib. accipi potest, de Israëlitis tamen, populo ipsi peculiari, potissimùm est intelligendum, id quod probat sequens versus, qui ad Israëlitas, quorum erat frequentare Domum Domini, duntaxat pertinere potest. Simile huic reperitur ps. 95. 7. Sunt, ex Hebræis etiam, quorum puto esse Saadiam, qui existimant, *populus* (seu *popule*) *eius*, &c. esse vocandi casus, ac referendum ad *Scitote*.

4 *Introite portas eius* &c. Intelligi debet de Tabernaculo conuentus, quod tunc erat in Silo, & quod vocatur non semel 1. Sam. 1. & 3. domus & templum Domini.

5 *Veritas eius*, id est, promissorum fides & constantia. Misericordiam inter & veritatem quid intersit, centies dictum. Cur te obtundam de eadem re sæpius?

PSALMVS

CI. C.

VERSIO

NOVA.



DAvid Pſalmus.
Miſericordiam & iudicium cantabo: tibi Domine pſallam.
2 Intelligam in via immaculata; quando venies ad me? perambulabo in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.
3 Non ponam ante oculos meos rem iniuſtam; opus declinantium odi: non adhærebit mihi.
4 Cor prauum recedat à me: malignum non cognoſcam.
5 Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc ſuccidam: elatum oculo, & latum corde, hunc non potero (ferre.)
6 Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabit.
7 Non habitabit in medio domus meæ qui facit dolum: qui loquitur mendacia, non firmabitur in conſpectu oculorum meorum.
8 In matutinis ſuccidã omnes peccatores terræ, vt [a] diſperdã de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

[a] prop. excindam

VETVS.



PSALMVS ipſi Dauid.
Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.
2 *Pſallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.*
3 *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.*
4 *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam: facientes præuaricationes odiui.*
5 *Non adhæſit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoſcebã.*
6 *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.*
7 *Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.*
8 *Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.*
9 *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.*
10 *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum.

HOc carmen edidit Dauid, vt apparet, ſtatim atque regni duodecim Tribuum adminiſtrationem auſpicatus eſt. Cur duodecim tribuum *dico? Quia* ciuitatis Domini, *per quam Hieroſolyma videtur intelligenda, meminit in poſtremo verſu: Hieroſolymam autem ſolùm obtinuit Dauid, poſtquam ei omnes Tribus communi ſententia regnum detuliſſent. Proponit autem in hoc Pſalmo Dauid qualem ſe cùm erga ſe & familiares, tum erga Remp. præſtiturus ſit. Ac primùm quidem Dei miſericordiam, & iudicium, quorum beneficio regnum ſit adeptus, perpetuò celebraturum vouet ac promittit: daturum ſemper operam, vt innocenter, etiam intra priuatos parietes, viuat: nunquam ſibi peruerſum quippiam faciendum*

Deum non metuistis, nunc ob admiranda eius facta, quæ videtis, ipsum metuite. Hinc collige Deo seruiendum, eique obsequium & cultum exhibendum in timore, non sine exultatione, sed semper cum tremore, ex psal. 2. 11.

10 *Dicite in Gentibus*. Si ad Israëlitas hoc pertinet, nihil est difficultatis: si ad exteros verò populos, & Gentes ipsas, monentur qui primi ex Gentibus de Dei potentiâ & gloria cognouerint, ipsúmque adeo coluerint, vt rursum suis visa aut cognita referant, eósque verbo & exemplo excitent ad Dei cultum. *In Gentibus* palàm. *Dominus regnat*, &c. Sensus, Profectò solus Deus Dominus regnat, atque ita, vt eius solius nutu orbis terræ immotus subsistat, tótque populi iusto eius rectóque imperio contineantur & gubernentur. Multi in orbe terrarum reges sunt, sed interdum per eos regna magis concutiuntur, & agitantur, quàm stabiliuntur, ac firmantur. At Dei imperio omnia in toto orbe subsistunt, & conseruantur. Idcirco postquam dixit, *Dominus regnat*, subdit mox, *etiam firmabitur orbis terræ*, &c. quò detur intelligi Dei aliam esse regnandi rationem, multóq; præstantiorem, quàm cæterorum regum. Hoc quin Christo optimè conueniat, dubium non est, qui *iudicabit inter Gentes, & arguet populos multos*: & sub cuius regno *conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*; &c. Esa. 2. 4. Suspicio hîc est in Iudæos, illos ex hoc loco detraxisse *à ligno*. Notũ enim illud ex Hymno, *Impleta sũt quæ concinit Dauid fideli carmine, Dicens in nationibus, Regnauit à ligno Deus.* Id quod tamen in Hebræo codice Psalmorum nullibi reperitur. Iustinus Martyr in Dialogo ad Tryphonem, affirmat in Græca versione sui temporis fuisse εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου, sed postea ab Hebræis fuisse abrasum & sublatum ἀπὸ τοῦ ξύλου. Sed vt Iudæi ex suis codicibus aliquid expungere potuerint, quomodò ex Græcis & Latinis, qui semper penes nos fuere, potuerunt? In Græcis autem, & Latinis codicibus omnibus deest *à ligno*. Geneb. obseruat illud quidem, *à ligno*, non fuisse in Hebræo codice, sed à Septuaginta additum, & quidem prophetice, trecentis circiter annis ante Christum: & hoc modo hunc locum citare Veteres, Iustinum, Lactantium, Tert. Arnob. Aug. Cassiod. Theodulphum, Psalterium Romanũ, &c. sublatas autem esse duas illas voculas è nostris exemplaribus, siue à Iudæis, siue à quibusdam olim sciolis, vt linguam Hebræam ostentarent, aliquid in Septuaginta notando quod minimè in Archetypo reperirent. Agellius, Epis. Acernensis, putat pro אף *aph*, quod hodie in Hebræo est, olim in aliquibus Hebraicis libris fuisse עץ *ets*, quod significat *lignum*: vnde Septuaginta vertisse *à ligno*. Deinde cùm in aliis codicibus lectio vsitata reperiretur, *etenim*, (pro *etiam*,) vtrumque, sed cum aliquo signo diuersæ lectionis positum fuisse: quo signo sublato à posterioribus quid eo significaretur ignaris, remansisse lectionem vtramque in Latinis, Græcísque codicibus, *Dominus regnauit à ligno, etenim correxit* & quæ sequuntur. Postremò lignum sublatum esse à quopiam qui videret in Hebraicis, qui suo tempore circumferebãtur, non haberi. Sic ille. Si est ita, vt à quibusdam sciolis expunctæ sint istæ voces, qui fieri potuit, vt nemo prorsus repugnarit? An scioli doctis, qui nulli seculo defuerunt, occludere os omnino potuerunt? Deinde cur ex omnibus, quotquot sunt in orbe terrarum, Græcis & Latinis libris sublatæ essent, nec in quibusdam saltem remansissent? Sciolorum quorundam autoritas tantúmne potuit? Mihi profectò non fit verisimile. Atqui multis hæc & eiusmodi alia commenta placent. Aug. Iustinianus, Genuensis, ordinis Prædicatorum, Episcopus Nebiensis, in suo Psalterio quinque linguarum, ad marginem horum verborũ, *Deus regnauit*, annotat hoc ex Fabro, Quod legitur in Romana Psalmodia, *Regnauit à ligno Deus*, non est de Hebraica veritate, sed Christiana deuotione, vt arbitror, additum. Sequutus est verò hanc paraphrasticam editionem Theodulphus, qui nobile passionis carmen ac deuotum composuit, vbi dixit: *Impleta sunt quæ concinit Dauid fideli carmine, Dicens in nationibus, Regnauit à ligno Deus.*

11 *Lætetur cæli, & exultet terra*: &c. Tertia & postrema pars Psalmi, in qua per prosopopœiam res etiam sensu, & ratione carẽtes ad lætitiam & triumphum inuitat. Vult istâ prosopopœiâ ingens gaudium exprimere ob Arcam Hierosolymis receptã, vel ob Christi aduẽtum. Econtrà Ioël Propheta cap. 2. 10. necnon 3. 15. summã tristitiam, summum mœrorem significaturus, *solem & lunam obtenebratũ iri, & stellas retracturas splendorẽ suũ* ait. Sic Esaias cap. 24. 23. *Et erubescet luna, & cõfundetur sol*. Adde Ezech. vers. 15. cap. 31. *Lætentur cæli*, dando rorem, *& exultet terra*, dando prouentum. *Cõmoueatur mare*, ad verb. *tonet mare*, hoc est, boet, ac reboet fluctibus mare, quasi præ lætitia, suóque motu gaudium veluti testetur. *Et plenitudo eius*, id est, ex Kimhi, pisces. Explicat hunc hebraismũ sequẽs versus, *Gaudeãt cãpi, & omnia quæ in eis (sunt.)*

ciendum propositurum: neminem improbum in amicis habiturum: occultos calumniatores, & susurrones, aularum pestem, procul fugaturum: superbos, aut ambitiosos, alteram regnorum perniciem, nullo modo toleraturum: viros probatæ fidei consilijs adhibiturum: probos ministros rebus gerundis præfecturum: versutos & mendaces in contubernium non admissurum, aut certè continuò expulsurum: affecturum denique iustis pœnis, & exterminaturum quoscumque improbos, ac præsertim sacram Domino vrbem Hierosolymam ab omnibus sceleratis repurgaturum. Hæc dum pius Rex ait, crede docere velle ipsum quales reges esse debeant, vt possit inscribi hic psalmus Speculum Regum: *etsi non omnia quæ ad regium munus pertinent, hic tractantur, sed præcipua, ad quæ facilè cætera reduci possint.*

1 *Misericordiam & iudicium cantabo:* &c. David simulatque regni hebræorum administrationem auspicatus est, quòd ex opilione, infima hominum sorte, ad supremam dignitatem, & quandam veluti inter mortales deitatem, hoc est, regiam potestatem, esset euectus, &, vt loquitur Asaph ps. 78. 70. sublatus de caulis ouium, & de post fœtantes acceptus, vt pasceret Iacob populum Dei, & Israel hereditatem eius, vnius Dei misericordię; quòd verò sublati tot sui hostes, eiusdem iudicio adscribit: iudicium quippe intelligit hoc loco, vt aliàs, B seueritatem, qua improbos & contumaces Deus coërcet. Discant hinc Reges, quòd ad tantum munus vocentur, non naturæ, non fortunæ, non artis, non virtutis, non armorum, quasi Reges è Regibus nascantur, Reges fortuna temere offerat, dolus aut ars faciat, virtus designet, arma obtrudant, sed solius diuinæ misericordiæ opus esse: quòd verò, sublatis hostibus, regni gubernacula capessant, eadémque feliciter administrent, illud esse diuini iudicij, per quod qui potestati, adeóque Dei ordinatio- C ni resistunt, euertuntur. Regum igitur, Dauidis exemplo, hæc prima cura sit, vt statim atque ad regni gubernacula accesserint, Dei misericordiam & iudicium palàm celebrent, nec vnquam cessent. *Misericordiam & iudicium* Dei *cantabo* quoad viuam: *tibi Domine psallam* super eâdem misericordia & iudicio. Frigent Ezra, Kimhi, & alij Hebræorum, quique illos sequũtur, exponentes de misericordia & iudicio, quæ erga suum populum facturum se polliceretur David. Nam prætérquàm quòd phrasis aliena mihi videtur ab ista interpretatione, posterius etiam membrum, quod solet esse prioris repetitio, repugnat, ac potiùs cum priore expositione conuenit. Kimhi obseruat nescio quem Rabbinum sic ferè exponere hunc versum, Siue misericorditer mecum agas, siue seuerè ac duriter pro tuo iudicio, semper canam; vtrumque, & misericordiam & iudicium celebrabo, & *tibi Domine psallam.* Non est, vt ego quidem arbitror, aliena sententia: hancque Chaldæus expressit his verbis, *Si misericordiam tu retribuis mecum, si iudicium tu facis mecum, pro omnibus cantabo: coram te Domine psallam.*

2 *Intelligam in via immaculata*, id est, Adijciam semper animum deinceps ad innocentiam, atque integritatem vitæ, studebo bonis, atque integris moribus. Regis interest esse bonum, atque innocenter viuere. Rex namque si bonus est, tales erunt & subditi: quippe hos rectè facere ille faciendo docet. Si boni subditi, facile in hos obtinebit imperium. *Vell. lib. 2.* Contrà si Rex malus est, B necesse est malos fieri subditos: hæc enim conditio principum, vt quicquid faciant, præcipere videantur: *Quint. Decl. 4.* & priuatorum vitia intra ipsos ferè resident, principum latè vagantur: vtque in corporibus, sic in imperio, grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur. Quò perniciosiùs de Rep. merentur principes, quòd, vbi vitiosi sunt, *Cic. lib. 3. de Leg.* non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem: neque solùm obsunt, quòd ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt: plúsque exemplo, quàm pec- C cato nocent: nec tantum mali est peccare principes, (quamquam est hoc magnum per se ipsum malum) quantum illud, quòd permulti imitatores illorum existunt. Si verò mali subditi, quid restat, nisi vt illi, quamprimùm libitum fuerit, seruitutis ac regni iugum excutiant? Pessimus enim quisque asperrimè rectorem patitur. *Salust. ad Cæs.* *Quando venies ad me*, & opem feres, vt id possim perficere, intelligere nimirum & ambulare in via immaculata? Absque te enim nihil possum. Ex ingenti affectu faciendi, quod proponit, nascitur tam subita interroga- C tio, quæ votum continet, quasi diceret, ecquando, Domine, venies ad me? מָתַי *mathai, quando*, perpetuò est interrogatiuum extra hunc locum. Quidni igitur & hic, præsertim cùm in Græco sit πότε, & in Chald. אֵימָתַי *emathai*, quorum vtrumque interrogat? Ex Rasi exponendum, *quando veniet ad me* via recta, vt ambulem in ea?

Perambulabo in innocentia cordis mei, id est, conabor ac studebo perpetuò me gerere animo syncero & puro. *In medio domus meæ*, id est, etiam intra priuatos parie-

tes, seu, vt loquitur Rasi, clàm vt palàm.

3 *Non ponam ante oculos meos rem iniustam*, id est, Nihil vnquam ipse mihi proponam impiè aut iniustè agendum. *Rem iniustam*, ad verb. *rem belial*, id est, nequitiæ, seu nequam hominis, homine nequam dignam videlicet. Quid significet *belial*, vide ad verf. 9. ps. 41. & in Lexicis. *Opus*, ad verb. *facere*, infin. pro nomine ex Kimhi. *Declinantium* à recta via. Res belial & opus declinantium idem sunt. *Odi*, neque adducar vnquam, vt perpetrem aut imiter. *Non adhærebit mihi* res belial, aut opus declinantium. Hoc loco Dauid suo exemplo reges monet, cùm omnia possint, ipsis tamen solummodò licere quod iustum est; cauendúmque esse diligenter, ne ex magna fortuna licentiam tantùm vsurpent. Valeat illud, *Licet si libet*. Nam remotâ iustitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? (August. 4. de Ciuit.) Meminerint Reges se legibus quoque alligatos, & hoc è bono suo esse. Nam profectò immunis à legibus monarchia acerba, ac nemo ei facilè subsit, adeòque firma & diuturna esse non potest. (Plato in Polit.)

4 *Cor prauum*, hoc est, ex Ezra & Kimhi, Vir cordis praui, *recedat à me*. Sensus, Tali homini interdico ego mea domo & familiaritate: quò pertinet *malignum*, seu *malum*, virum scilicet, secundùm Ezram & Kimhi, *non cognoscam*, id est, nunquam habebo inter amicos & familiares.

5 *Detrahentem secretò* &c. Promittit in priore parte huius versus se occultos detractores & susurrones, quales, heu! nimiùm multi in aulis versantur, è domo & aula exterminaturum. *Secretò*, hoc est, apud me solum, vt mos est aulicorum ad Regis gratiam demerendam. *Succidam*, ex aula, & domo scilicet. Non potuit quippe iustè occultos illos detractores omnino exterminare, & capitali pœna afficere. *Elatum oculo*, id est, superbum. Superbi enim solent oculos attollere. *Latum corde*, id est, hominem ambitiosum, &, vt vertit Lat. post Græcum, *insatiabili corde*, cui nihil vnquam potest esse satis siue honorum siue opum. Hoc hominum genus regnis est infestissimum. Cur? Quia, vt dicit Sapiens Rex Prou. 28. 25. *Latus animo* (Vulg. *Qui se iactat & dilatat*,) *iurgia concitat*. Idcirco istud hominum genus nullo modo ait toleraturum. *Hunc non potero* ferre sup. vel videre, quæ ellipsis familiaris est satis Sacris litteris. Lat. post Græcum hic habet, *cum hoc non edebam*, ex אֹכַל *ochal*, *comedam*, pro אוּכַל *vchal*, *potero*.

6 *Oculi mei ad fideles terræ*, erunt sup. hoc

A est, Circumspiciam vndique quinam in terra Iudæa fidem & probitatem colant, *vt sedeant mecum* pro tribunali, vel in sanctiore regni consilio: vt illos meis consiliis adhibeam. *Oculi mei*. Reges exemplo suo monet Dauid oculis suis, quoad licet, vti, ipsósq; videre, & consulere quod in rem sit. Etsi Reges sapientes sapientes viros assumere in partem curarum debent, hócque tenere, *magna negotia magnis adiutoribus egere*. (Vell. lib. 2.) Pauca aliqua vnus videt, vnus audit. Multos itaque regis oculos & multas

B aures esse oportet, quique princeps de sua vnius sententia omnia geret, superbum hunc cum Liuio iudicabo magis quàm sapientem. *Fideles*, hoc est, viros fidei, & integritatis spectatæ, fortes & veros in dicenda sententia, constantes, taciturnos. *Terræ* Iudææ cui imperitabat Dauid. Nam cur exteros adsciuisset? Disce hinc, Rex, consiliis haud temere adhibendos exteros, sed indigenas qui norint Remp. quod, vt ait Cic. 2. de Orat. ad consilium de Rep. dandum caput est. *Mecum*. Non satis est

C Regem optimos habere consiliarios, nisi etiam ipse consiliis intersit, & maximas res agat saltem, ne vim principatus resoluat, cuncta ad consilium reuocando. (Taci. Ann.) *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit*. Quos homines consilijs adhibiturus esset, dixit, nunc quibus administris sit vsurus, probis scilicet. Ministros intellige quorum manu & opera magis, quàm consilio, in Repub. gubernanda Rex vtitur. Audiant Reges hanc vocem sanctissimi Regis, *ambulans in via immaculata, hic mihi*

D *ministrabit*: eiusque exemplo probos ministros cum cura deligant, malis nihil credant, nullam existimationis suæ partem committant. Teneant illud cuiusdam, Meliorem esse Remp. & propè tutiorem, in qua princeps malus sit, eâ in qua mali principis ministri. *Ministrabit*. Vtitur verbo שֵׁרֵת *schereth*, quod honestius ministerium significat: vnde & sacerdotibus tribuitur. Quî differant עָבַד *auadh*, *seruiuit*, & שֵׁרֵת *schereth*, *ministrauit*, facilè intelliges ex tribus postremis versiculis cap. 8.

E Num.

7 *Non habitabit in medio domus meæ* &c. Iam quales velit ministros domesticos ait, non versutos, non mendaces, qui in qua domo habitant, necesse est illam odiis, rixis, pugnis totam flagrare; cui rei nisi prouideat princeps, eius authoritas in publico vilescat oportet, qui domui suæ non potest bene præesse. Optimè D. Paulus ad Timoth. 3. *Si quis*, ait de Episcopis loquens, *domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* De Diaconis item idem

ferme. Addo, Si in regio contubernio Io- A
cus sit eiusmodi hominibus, habebit Rex
perpetuò, ingenti suo & regni damno, qui
omnia ad gratiam, nihil ad veritatem lo-
quatur, & cum ipsius fortuna potiùs, quàm
cum ipso: qui eius honesta atque inhonesta
laudent, qui bonos culpent, criminentur,
malos contrà, si è re est ipsorum, acerrimè
tueantur. *Non firmabitur* &c. id est, haud
diu hunc patiar coram me versari, sed
statim atque eius ingenium cognouero, a-
bigam atque extrudam domo. Discat prin-
ceps ex Cominço (cap. 33.) digno Rege con-
siliario, Nullum maius indicium bonæ mē-
tis Principem posse ostendere, quàm vt ad-
iungat sibi viros virtute & fama celebres,
iisque familiariter vtatur. Nam omnes sta-
tim iudicabunt eum talem esse, quales eos B
cognoscent quibus consueuit.

8 *In matutinis* singulis *succidam*, atque
exterminabo deinceps *omnes peccatores ter-
ræ* reos mortis: *omnes* absque vlla exceptio-
ne, & acceptione personarum, vbicumque
locorum in hac terra reperientur, ac multò
magis eos qui vrbem Deo sacram Hieroso-
lymam suis sceleribus contaminant: quò
pertinet posterius membrum, *vt disper-
dam*, prop. *excindam*, *de ciuitate Dei omnes
operantes iniquitatem*, hoc est, vt sacram
Domino ciuitatem, scilicet Hierosolymam,
ab omnibus sceleratis repurgem: quasi præ-
cipua causa, quæ Dauidem ad iustitiæ seue-
ritatem & pœnas ab improbis exigendas
impulerit, fuerit vrbs Hierosolyma, quæ,
vtpote Deo sacra, imprimis erat curanda,
& expurganda sceleribus. Cur Hierosoly-
mam vocat Dauid *ciuitatem Domini*, cùm
nondum suo tempore illic esset extructum
Templum? Respondeo, Quoniam illam ci-
uitatem Dei futuram, ibique extruendum
Templum traditione erat receptum, vt cē-
sent Hebræi, aut saltem diuino numine e-
doctus id Dauid optimè nouerat. *In ma-
tutinis* ait, quòd fortasse matutino dunta-
xat tempore olim in Veteri Lege, vt nunc,
capitales caussæ cognoscerentur: quò res-
pexisse videtur Ieremias cap. 21. 12. *Domus
Dauid, sic dixit Dominus, iudicate manè
iudicium, & eruite vi oppressum de manu op-
primētis. Operantes iniquitatem*, ad verb.
operatores seu *operarios iniquitatis*, qui sci-
licet non semel nec vno modo tantùm pec-
cant, sed sæpius, nec vlla ratione possunt
meliorem ad mentem reuocari. Isti tan-
dem puniendi sunt, ac de medio tollendi,
nec tam tamen, vt ait Seneca 1. de Ira, vt ipsi
pereant, quàm vt alios pereūdo deterreant.
Castigandi enim improbi non tam quia
peccarunt, quàm ne peccetur, sicuti qui-
dam dixit.

PSALMVS

C I. | C I I.

VERSIO

VETVS.


Ratio *pauperis, cùm anxius fuerit, & in conspectu Domini effuderit precem suam.*

2 *Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.*

3 *Non auertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*

4 *In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me:*

5 *Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.*

NOVA.


Ratio [a] pauperis quum anxius fuerit, & coram Domino effundet precem suam.

2 Domine exaudi orationem meā, & clamor meus ad te veniat.

3 Non [b] auertas faciem tuam à me: in qua die tribulor, inclina ad me aurem tuam: in qua die inuoco, [c] velociter exaudi me.

4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut focus aruerunt.

a *affligi*
b heb. *abscondas*
c heb. *festina*

d prop. herba, 5 Percussum est vt [d] fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

6 A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

e deserti: 7 Similis factus sum pelicano [e] solitudinis: factus sum sicut nycticorax vastitatum.

8 Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

9 Tota die exprobrauerunt mihi inimici mei: insanientes in me per me iurauerunt.

10 Quia cinerem tanquam panem manducaui, & potum meum cum fletu miscui.

11 A facie iræ & indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.

12 Dies mei sicut vmbra inclinata: &
f herba aresco. ego sicut [f] fœnum arui.

13 Tu autem Domine in æternum
g permanebis: [g] permanes: & [h] memoriale tuum in
h memoria tui generationem & generationem.

14 Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius; quia venit tempus.

15 Quoniam maximè diligunt serui tui lapides eius, & pulueris eius miserentur.

16 Et timebunt Gentes nomen Domini, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

17 Quia ædificauerit Dominus Sion, & visus fuerit in gloria sua.

18 Respexerit ad orationem myricæ, & non spreuerit precem eorum.

i vel generationi posteræ: 19 Scribetur hoc [i] in generationem posteram: & populus [l] qui creabitur
l ad verb. creatus laudabit Dominum.

m heb. sanctitatis suæ: 20 Quia prospexit de excelso [m] sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.

n vinctorum: 21 Vt audiret gemitum [n] compeditorum: vt solueret filios interemptionis.

22 Vt annuntient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem.

6 Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

7 A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

8 Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

9 Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

10 Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me aduersum me iurabant.

11 Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

12 A facie iræ & indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.

13 Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui.

14 Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

15 Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

16 Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

17 Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

18 Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

19 Respexit in orationem humilium: & non spreuit precem eorum.

20 Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum:

21 Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit:

22 Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.

23 Vt annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ierusalem.

24 *In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino.*
25 *Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.*
26 *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.*
27 *Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.*
28 *Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.*
29 *Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*
30 *Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.*

23 In conueniendo populos in vnum: & regna, vt seruiant Domino.
24 Afflixit in via [o] virtutem meam, abbreuiauit dies meos. *o fortitudinem*
25 Dico, Deus mi, ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione generationum anni tui.
26 Initio terram fundasti: & [p] opera manuum tuarum (sunt) cæli. *p heb. opus*
27 Ipsa peribunt, tu autem [q] permanes, & omnia ipsa sicut vestimentum veterascent: sicut [r] opertorium mutabis ea, & mutabuntur. *q heb. permanebis,* *r indumentum*
28 Tu autem (idem) ipse (es:) & anni tui non deficient.
29 Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in conspectu tuo stabilietur.

COMMENTARIVS.

INscriptio, & contextus ipse, præcipuè verò versus 14.us & 15.us apertè ostendunt hoc carmine contineri precationem Hebrææ Gentis iam longa exilij calamitate apud Babylonios fractæ: & quidem ex versu 14. perspicuè apparet editum esse, & populo Iudaico, qui per paupere *in titulo intelligendus est, præscriptum, cùm 70. anni per Ieremiam præfixi iam pene essent elapsi. Quis sit auctor ignoratur, nisi fortè est Daniel, aut alius Propheta. Quisquis est, suo vel alterius nomine primùm Deo supplicat, sua mala exponens, variisque similitudinibus amplificans. Deinde futurum prædicit, aitque tempus instare, vt Deus Sionis misereatur. Inde rursum queritur de hostibus, Deum rogans ne immaturè, necdum decurso vitæ spatio, se è medio tollat, ante redditam libertatē. Tandem ait Deum, qui æternus sit, & immortalis, promissam libertatem posteris saltem aliquando præstiturum, ac sic se consolatur.* Argumētum.

1 *Pauperis*, seu *afflicti*, hoc est, populi Israelitici in summas angustias & miserias redacti: vel cuiuslibet ex illo populo, quasi singulis hæc precandi formula fuerit præscripta. Potes vertere *Oratio pauperi*, præscripta scilicet.

2 *Domine exaudi* &c. In hoc, & sequente versu est propositio & exordium audientiam faciens. *Exaudi*, seu *audi* &c. Certum est Deum omnium orationes & voces audire. Quod ergo dicit *audi*, id est, inquit Ezra, fac vt sit palàm omnibus te meam orationem audire.

3 *Non auertas* (heb. *abscondas*) *faciem tuam à me.* Tu dixisti Deut. 31. 17. *abscondam faciem meam ab eis*: quæ maledictio in nobis est impleta. *Ne abscondas* diutiùs *faciem tuam à me*: quò pertinet id A quod sequitur, *velociter exaudi me.* Kimhi. Isaac Abuag sic, Etsi de exulibus est dictum, *& abscondam faciem meam ab eis*, ne abscondas faciem tuam à me in die angustiæ meæ: siquidem de afflictis & pauperibus non est iste locus intelligendus, cùm contrà ps. 12. 6. scriptum sit, *Propter miseriam inopum, propter gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Constat autem hanc esse *orationem pauperis, quum anxius fuerit.*

B 4 *Quia defecerunt sicut* &c. Sequitur vsque ad vers. 13. expostulatio siue narratio malorum & calamitatum. *Defecerunt sicut fumus dies mei*, id est, sicuti res, quæ comburitur, abit in fumum & tandem in nihilum, sic dies mei sensim euanescunt in assiduis huius exilij miseriis. Simile est Ps.

37. 10. *Et ossa mea tanquam focus* &c. id est, ossa ipsa, quæ naturâ frigida sunt, instar foci aruerunt, tamque exusta sunt quàm focus. Huc pertinet illud Prou. 17. 22. *spiritus tristis exiccat ossa*. Huc & referendum illud Zach. 3. 3. *Nunquid non iste torris (est) erutus de igne?* Iosue (Iesus) scilicet sacerdos ereptus è Babylonica captiuitate. *Focus*. Græc. φρύγανον, Lat. *cremium*, id est, lignum aridum cremari facile. Chald. interpretatus est *chytropus*: B. Hieron. *frixa*. Vox Hebræa מוֹקֵד *mokedh*, locum significat, iudice Kimhi, in quo perpetuò ignis accenditur, id est, *focum*. Occurrit hæc vox Es. 33. 14. in num. multitudinis.

5 *Percussum est vt fænum*, (heb. *herba*,) &c. Sensus, Non secus atque herba Solis ardoribus percussa, exaruit cor meum. Cur? *Quia oblitus sum* præ dolore *comedere panem meum*, panem scilicet humido radicali conseruando necessarium. Hoc sensu dicebat ps. 22. 16. *Aruit tanquam testa virtus mea*.

6 *A voce gemitus mei* &c. hoc est, Præ nimia ægritudine & gemitu assiduo ita contabui, vt carne prorsus consumptâ ossa cuti adhærescant. Caro enim hîc pro cute appellatur, sicut econtrà Iob 18. 13. cutis pro carne, quoniam, inquit Kimhi, hominis cutis est caro, nec potest à carne detrahi, vt in cæteris animalibus. Hinc illud Iob 19. 20. *Pelli meæ, & carni meæ* (extimæ scilicet) *adhæsit os meum*.

7 *Similis factus sum* &c. Pro *pelicano* alij interpretantur *onocrotalum*, pro *nycticorace* bubonem. Sanè ne Hebræi quidem sciunt quorum auium nomina sint vocabula Hebraica: hoc tantùm apud eos constat, esse nomina auium tristium, & solitudinis amantium. Hac igitur similitudine significare vult, se præ mœrore ægrè ferre lucem, & ipsum quoque charissimorum congressum. *Nycticorax vastitatum*, id est, loca vasta, ac desolata incolens.

8 *Vigilaui*, seu *Vigilo*, addit Chaldæus, *tota nocte*: quasi dicat, Totas noctes peruigil transigo præ mœrore. *Sicut passer solitarius*, hoc est, compare viduatus, aut pullis orbatus.

9 *Tota die exprobrauerunt*, pro, exprobrant, &c. Caussam adfert cur fugeret hominum commercium, & solitudinem quæreret: Misero mihi, inquit, nunquam cessant insultare inimici, miserias exprobrare. *Insanientes in me*: ad verb. *insani mei*. Idem hoc quod *inimici mei*, omni scilicet impetu, & insano quodam furore me persequentes. *Per me iurauerunt*, ac iurant, si sibi aut aliis malè imprecari volũt: ita enim mecum infœliciter agitur, vt hunc iurandi A morem habeant, *Sim sicut Iudæus ille, si hoc aut illud fecero*. Hoc sensu legimus Es. 65. 15. *Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis*. Et Num. 5. 21. *Det te Dominus in maledictionem, & iuramentum in medio populi tui*. Sic hoc ex Rasi, Kimhi, & aliis Hebræorum exponendum. Cum Græco & Lat. pro, *per me*, potes vertere *aduersùm me*, hoc sensu, in meam perniciem conspirarunt ac coniurarunt. Nec porrò caret præclaro sensu Græcæ versionis illud, οἱ ἐπαινοῦντές με, nec illud Latinæ, *qui lau-* B *dabant me*, nimirum ex מְהֻלָּלַי *mehallelai*, pro מְהוֹלָלַי *meholalai*: sententia enim est eiusmodi, Non aperti hostes modò, sed & occulti, palàm laudantes, quod pessimum inimicorum genus, in me conspirant.

10 *Quia cinerem* &c. Non est hæc ratio mox præcedentis versus, sed 2. & 3. quibus Psalmi propositio continetur. Fortasse magis in promptu esset dicere, quod non semel est dictum, particulam כִּי *ci*, non valere hîc coniunctionem caussalẽ, sed affirmãtis esse aduerbiũ, & signifi- C care *certè*: aut profectò tantùm esse expletiuam. Potes igitur vertere *Certè cinerem* &c. *Cinerẽ tanquã panem mãducaui*, hypallage poëtica, & prouerbialis loquendi modus, pro, panem tanquam cinerem manduco, hoc est, Panis non magis sapit palato meo, quàm cinis: ita sensus, atque adeo gustum mœror corrupit. *Potum meum* &c. Sensus est, adeo magnam vim lachrymarum semper effundo, vt potum ipsum lachrymis, quasi vinum aqua, misceam. Iure autem pa- D tior tot molestias, quoniam tu vis, ac iure mihi iratus es: hócque significat versus qui sequitur.

11 *A facie iræ* &c. Nam nisi mihi esses iratus, tot mala haud paterer. Eòdem pertinet quod sequitur, *quia eleuans* &c. In heb. *eleuasti me, & proiecisti me*: id est, quẽadmodum qui vult rem aliquam maiore cũ impetu deorsum in terram proiicere, illam prius in altum attollit, sic tu me sublimem extulisti, vt vi maiore ex alto præcipitem dares. Extulisti me ad summum dignitatis & fœlicitatis fastigium, nunc verò in extre- E mas miserias deiecisti. Quòd si nunquam meliorem fortunam essem expertus, æquiore profectò animo hæc ferrem mala: summum quippe genus infelicitatis misero est fuisse aliquando felicem. Extat Thren. 2. 1. tristis querela in hanc sententiam: *Quomodò obtexit in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cælo in terram decorem Israël*, &c. Seneca.

12 *Dies mei sicut vmbra* &c. Sensus, Interim dum finẽ expecto his malis, vita abit, fiúntque dies mei instar vmbræ inclinatæ, &

ad occasum vergentis, nec procul absunt ab A
interitu. Eodem pertinet posterius membrum. *Inclinata* à Sole. Sol recedens atque abiens vmbras inclinat. Hinc passiuè hic dicitur *inclinata*: & Ierem. 6.4. *inclinatæ sunt vmbræ vespertinæ*. Sic ferè philosophatur Kimhi. Vertere potes *extensa*, à Sole scilicet, qui serò maiores vmbras facit. Quo sensu locus Ierem. mox citatus ab aliis vertitur, *extenderunt se* (Lat. *longiores factæ sunt*) *vmbræ vespertinæ*. Ezra censet נְטוּי *natui*, esse Toar simile עָצוּם *atsum*, id est, *robustus*. Si sic, vertendum *inclinans*. B
Res hæc nullius est momenti.

13 *Tu autem Domine* &c. Equidem ego mori me sentio: at tu æternùm futurus es, ac tandem aliquando salutem allaturus, ac Sionis misserturus, iuxta Prophetarum vaticinia: quò pertinet sequens versic. *Et memoriale tuum*, hoc est, nomen illud tuum יְהוָה, de quo illud Exo. 3.15. *hoc memoriale meum in generationem* (&) *generationem*. Vide quæ de hac re diximus ad vers. 5. ps. 30. Accipe, si vis, *memoriale tuum*, seu *memoria tui*, simpliciter: quasi dicat, memoria C
tui æternùm vigebit, túque adeo: qui enim extingui potest, eius memoriam tandem deleri necesse est. Pro זִכְרְךָ *zichrecha*, *memoriale tuum* seu *memoria tui*, Abben Ezra videtur legisse כִּסְאֲךָ *chisacha*, *solium tuum*, atque in eo ipsum errasse ait Kimhi. Sanè quidem Thren. 5.19. vbi idem versus, qui hic, legitur כִּסְאֲךָ, & in quibusdam exemplaribus hic quoque, sed mendosè, teste Kimhi.

14 *Tu exurgens*, heb. *exurges* mox, *misereberis Sion* iam tot annos desolatæ. *Tempus miserendi eius*: &c. Significat 70. illos D
annos post quos Hebræi in patriam erant reducendi, iuxta vaticinium Ieremiæ Prophetæ cap. 25.11. & 12. necnon 29.11. iam pene exactos esse, aut non longè abesse. Quòd autem idem repetitur, sic videtur accipiendum, quasi dicatur, instat tempus illud, immò iam venit. Est Zach. 1.12. simile huic versui, *Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es, iste septuagesimus annus est?* E

15 *Quoniam maximè diligunt* &c. Sensus, Debes, ô Deus, citò exurgere & misereri Sionis, presertim cùm serui tui tantopere erga eius lapides, & rudera afficiantur, & eius in puluerem redactæ misereantur. Kimhi sic ferè exponit, In hac captiuitate exoptant ipsos eius lapides exosculari: *& pulueris eius miserentur*, hoc est, puluerem eius diligunt: solemus enim misereri eius quod amamus. Hoc sensu etiam accipit Ezra. Non malè videntur sensisse, qui putant hoc versu contineri rationem vltimæ partis superioris versus, perinde ac si diceretur, Præstitutum redemptionis tempus aduenisse vel ex eo probari potest, quòd iam Cyro & Dario placuit Hierosolymam instaurari. Cyrus & Darius serui Dei appellantur, quòd eorum opera Deus ad Iudæorum rempublicam restituendam vteretur. Sic etiam Dominus apud Esaiam Cyrum pastorem & christum suum Es. 44. & 45.
vocat. Ridiculum quod legitur in Midras Aggadah, Iechoniam, eósque qui vnà cum eo in Babyloniam sunt deportati, secum Hierosolymâ asportasse lapides, & puluerem ad extruendas ibi Synagogas: ideóque hic dici, *Quoniam dilexerunt serui tui lapides eius*, &c. Annon mirum est quomodò isti Hebræorum Magistelli vnius fortasse occasione voculæ tam præclaras texant fabulas?

16 *Et timebunt gentes* &c. tunc quum misertus fueris Sionis: quò pertinet versus, qui sequitur.

17 *Quòd* (vel *Quum*) *ædificauerit* &c. Ratio superioris versus. Postquàm, inquit, restaurauerit Dominus Sionem, ibique se rursum gloriâ conspicuum ostentarit, tunc *timebunt Gentes* &c.

18 *Myricæ*, id est ex Kimhi, Israëlitarum qui sunt in exilio quasi myrica in deserto. Vide Ier. 17.6. Myrica genus est humilis & fragilis arbusti. Ad sensum igitur verterunt Græc. & Lat. *humilium*. Rasi עַרְעָר *arar*, quod *myricæ* vertimus, exponit *vociferantis*, ex loco illo Es. 15.5. *clamorem contritionis* יְעֹעֵרוּ *ieoreu*, id est, *clamabunt*, ex cit. Rasi. Exponit etiam Rasi prædictam vocem *subuersi*. Chald. *vastatorum*. Alij *nudatissimi* vertunt, ex עָרָה *ara*, quod est *nudari*. Eódem redeunt istæ interpretationes.

19 *Scribetur hoc in generationem posteram* seu *generationi posteræ*. Sensus, Hæc Sionis restauratio scriptis consignabitur, quò illius memoria ad posteros permanare possit; vt illi nunquam cessent Deum celebrare: quò spectat alterum membrum, *& populus qui creabitur* &c. *Qui creabitur*. Ad verb. *creatus*, tunc scilicet, qui erit tunc scilicet in rerum natura. Chald. interpretatus est, *qui creandus est*. Rasi per *populum creatum* intelligit populum, qui factus est noua creatura, è seruitute in libertatem, è tenebris in magnam lucem exeundo.

20 *Quia prospexit de excelso* &c. hoc est, prospexit è cælo in terras sui populi afflictionem. Quo sensu ps. 138.6. *Quoniam excelsus Dominus, & humilem respicit, & altus à longè cognoscit*.

21 *Compeditorum*, ad verb. *vincti*, colle-

ctiuè pro vinctorum. Exules intelligit, quibus captiuitas inſtar erat duriſſimi carceris, compedum & vinculorum. Quanquam fortaſſe verum eſt multos reuerâ fuiſſe in vinculis: id quod potiùs puto. Propter vocem *compeditorum* ſeu *vinctorum* rectè ſubdit *vt ſolueret*. *Filios interemptionis*, hoc eſt, morti deſtinatos, & *qui traditi eſſent ad mortem*, vt habet Chald. vel qui ſaltem præ moleſtiis & anguſtiis morti eſſent proximi. *Filius mortis* Hebræis dicitur, qui reus eſt mortis: vel, vt hîc, qui morti eſt addictus, vel morte etiam damnatus: vel ſaltem morti proximus. Pſal. 79. 11. ſimile huic verſui reperies. Vide ibi.

22 *Vt annuntient (narrent) in Sion* &c. Ecce cur Iſraëlitas Deus in libertatem reſtituerit. *Vt annuntient* vincti illi ſcilicet, & filij interemptionis: at non ſoli, ſed vnà cum aliis Gentibus ac regnis ad tui cultum concurſantibus, quod ſignificat ſequẽs verſus.

23. *In conueniendo populos in vnum*: &c. Hoc, teſtibus etiam Ezra & Kimhi, ad tempus illud ſpectat, quum *applicabuntur Gentes multæ ad Dominum, & erunt* ipſi *in populum*, vt eſt Zach. 2. 11. quúmque verterit Dominus *ad populos labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, vt ſeruiant ei humero vno*, vt eſt Soph. 3. 9. Hoc, inquam, potiſſimùm ſpectat ad cœtum illum ex omnibus Gentibus collectum, adunatúmque pèr Chriſtum, in cuius ſanguine qui aliquando erant longè, facti ſunt propè; qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluit, inimicitias in carne ſua, vt ait D. Paulus ad Eph. 2. Et quidem huius rei initia ſtatim in reſtitutione populi viſa ſunt, quando Darius Medus, Cyrus, & ſine dubio ex horum ſubditis quamplurimi veri
2. Mac. 3. 3. Dei cultum ſunt amplexi: quando Seleucus Aſiæ Rex de reditibus ſuis omnes ſumptus ad ſacrificia pertinentes ſuppeditauit. Eſt ergo verſus hic ita intelligendus, vt tempus vtrumque, liberationis ſcilicet è captiuitate Babylonica, & incarnationis Chriſti, complecti videatur.

24 *Afflixit in via* &c. Redit eò vnde digreſſus eſt, vrgétque quod paulò antè dixit, dies ſuos eſſe ſicut vmbram inclinatam. Nã cùm in libertatem reſtitui magnopere cuperet, valde etiam timebat ne breui moreretur, nec frui ſalute aut libertate poſſet. Nunc igitur ſic ait, *Afflixit*, hoſtis ſcilicet, *in via fortitudinem meam*, hoc eſt, dum huc & illuc hoſtis furorem fugito, miſerè defeſſus ſum, ſic vt acciſis & abſumptis viribus naturalibus immatura mihi mors immineat. *Dico* idcirco, *Deus mi*, &c. Dicit de hoſte *afflixit*, necnon *abbreuiauit*, quoniam eiuſmodi afflictionis, atque adeo im-

A maturæ mortis ille fuit in cauſſâ. Græc. & Lat. verterunt *Reſpondit* (legerunt enim עָנָה *ana*, pro עַנָּה *inna*) *ei in via virtutis ſuæ*, (legerunt quippe כחו *cocho*, pro כֹּחִי *cochi*) *paucitatem* (legerunt קֹצֶר Kotſer, pro קִצַּר Kitſſar) *dierum meorum nuntia mihi*: nam ex ſequente verſu deſumpſerunt has duas voces אמר אלי, eáſque legerunt, hunc in modum אֱמֹר אֵלַי *emor elai*, *dic ad me, nuntia mihi*, pro אֹמַר אֵלִי *omar eli*, *Dico, Deus mi*. Genebrardus falsò hîc al-
B legat Kimhi, quaſi faueat huic verſioni, *nuntia mihi*. Qui poſſunt intelligere Kimhi, legant. Deprehendent nihil minùs ſentire, quàm quod illi affingit Genebrardus.

25 *Ne reuoces me*, ad verb. *aſcendere facias me ad te*: vern. *Ne m'appellez pas à vous*. Ezra verbum *aſcendendi* exponit de anima, quæ cùm ſit cæleſtis originis, in cælum redit, poſtquam eſt à corpore ſeparata. Quo ſenſu dixit Eccleſiaſtes cap. 12. 7. *Et reuertatur puluis in terram vnde* (heb. *quẽ-*
C *admodum*) *erat, & ſpiritus redeat ad Deũ, qui dedit illum*. Vocabulum תַּעֲלֵנִי *taaleni*, quod ad verbum vertimus *aſcendere facias me*, Kimhi vult exponendum eſſe *ſuccidas me*: quo modo interdum accipitur id verbi.

Ne reuoces me ſeu *aſcendere facias me*, vel *ſuccidas me, in dimidio dierum meorum*, hoc eſt, Ne me perire ſinas tam ſubitò, antequam libertate frui poſſim. Chald. interpretatus eſt, *ne tollas me de mundo*. *In generatione generationum* &c. Poſtquam de breuitate vitæ queſtus eſt, vt verſ. 12. ſub-
D ijcit item breuem deſcriptionem æternitatis Dei in reliqua huius verſus parte, & tribus ſequentibus verſibus, quemadmodum ſuprà, verſu 13. fecerat. Atque hoc ſibi videtur velle, Cùm mihi præpropera mors propter varios labores & ærumnas, quas patior, quotidie immineat, ideóque promiſſam à te libertatem non auſim ſperare: hæc res profectò me conſolatur, ô Deus, quòd æternus es & immortalis, vt ſi fortè nobis, qui nunc ſumus, libertatem, quam es pollicitus, non concedes, certè filiis ac nepoti-
E bus conceſſurus ſis, hoc enim tandem videtur velle inferre in poſtremo verſu. Fatendũ verſus hos non admodũ videri cohærere, niſi, quemadmodum fieri ſolet in poëſi, ſuppleantur nonnulla. Quid? ſi dicas connexionem horum verſuum ad finem vſque pſalmi talem eſſe, vt captiui poſtulantes à Deo longius vitæ ſpatium, vt liberari tandem à miſeriis poſſint, ac frui ſalute, quò id faciliùs impetrent, Dei potentiam atque æternitatem prædicent, quaſi dicerent, Tu facilè nos potes in vita ſeruare, cùm æternus ſis, terrámque ac cælos crearis, cóſ-

dèmque, si videatur, possis destruere. Porrò non dubitamus, inquiunt, quin posteri nostri saltem in patriam reuersuri sint, vbi te venerabuntur ac colent.

26 *Initio terram fundasti:* &c. Quoniam mox dixerat *in generationem generationum anni tui*, quod æternitatem sequuturam significat, nunc sic ait, vt omni ex parte æternum esse Deum ostendat, *Initio terram fundasti:* &c. perinde ac si diceret, Quemadmodum tu æternùm duraturus es absque fine, sic tu primus es absque principio: túque es qui fecisti cœlos & terram. Quum *initio* ait, significat Deum fuisse ante mundum creatum, vt censet Ezra. Chald. interpretatur sic, *Ab initio, quo creata est omnis creatura.* Quod ait *terram fundasti*, significat, ex Ezra, terram centrum esse ipsorum cœlorum, quemadmodum, inquit, potest probari demonstrationibus.

27 *Ipsa*, terra scilicet, & cœli, *peribunt*, &c. Par & geminum ferè huic versui Es. 51. 6. *cœli sicut fumus euanescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet.* Sic Math. 24. *Cœlū & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt.* Quos locos facile esset interpretari in eorum sententia, qui existimant mundum, quemadmodum habuit initium, sic quoque finem habiturum. Verùm huic sententiæ apertè repugnat illud Ieremiæ cap. 31. 35. & seq. *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, ordinem* (heb. *statuta*) *lunæ & stellarum in lumen noctis:* &c. *Si defecerint leges istæ coram me,* (vel, *Si amoueri possunt statuta ista à facie mea,*) *dicit Dominus, tunc & semē Israël deficiet,* &c. Repugnat & illud Dauidis ps. 148. 6. *Et statuit ea* (cœlos scilicet, solem, lunam & stellas) *in æternum, in sæculum: statutum posuit, & non præteribit.* Igitur versus hic, & ille Es. 51. 6. de corruptione singularium, non vniuersaliū intelligēdus est, vt putat quidā R. Iuda: & probabile est per *cœlos*, seu *cœlū* hìc, vt alibi, significari aërem, seu quicquid à terra ad cœlum vsque interiacet spatij. Nostri tamen vulgò docent cœlos & terram non ratione substantiæ quidem, sed qualitatum immutanda, ac veluti peritura. Quo sensu D. Petrus 2ª. 3°. nouos cœlos, & nouā terram dicit. Kimhi quod in hoc versu dicitur, *Ipsa peribunt*, &c. vult exponendum esse conditionaliter, sic, *peribunt* si voles. Quasi nimirum diceretur, non ex se hoc habent, sed

A ex te, vt æternum duratura sint: tu autem ex te, & per te vnum æternùm futurus es. *Et omnia ipsa*, quæ terræ & cœlorum ambitu continētur. Vel *& omnia*, seu *tota, ipsa*, hoc est, terra & cœlum tota. *Sicut opertorium*, prop. *indumentum, mutabis ea*, &c. hoc est, sicuti quis detritam & laceram vestem exuit, ac mutat, sic aliquando terram & cœlum, quum vsu ipso, sicut vestimenta solent, attrita fuerint, mutabis. Sed cur addit *& mutabuntur*? Ad maiorem emphasim, quasi diceret, vestem quidem aliquis exuit ac mutat, nec tamen in se mu-
B tatur vestis, at tu ita terram & cœlum mutabis, vt etiam ipsa mutentur. Ego tamen, vt dicam quod sentio, vltimum verbum וְיַחֲלֹפוּ *viiachalophu*, ex altera scilicet eius verbi significatione, hic verti posse crediderim, *& transibunt*, hoc est, prorsus interibunt, atque euanescent. Hæc etiā ex Kimhi intelligenda sunt conditionaliter, si volet Deus.

28 *Tu autem* (*idem*) *ipse* (*es*,) nullis alterationibus, nullis temporum spatiis obnoxius. *Et anni tui non deficient*, cùm interim nos miseri quotidie præ molestiis deficia-
C mus, & moriamur, vitæque breuitas patrias sedes repetere non sinat. Miserrimi profectò nos, nisi certò sciremus id felicitatis posteris nostris reseruari: atque hoc est quod dicitur versu seq.

29 *Filij seruorum tuorum*, id est, filij nostri, qui serui tui sumus, nullúmque pro te laborem recusamus, *habitabunt* tandem in pristinis sedibus. *Et semen eorum* seruorum tuorum, hoc est, filij nostri: vel *eorum* filiorū seruorum tuorum, hoc est, nepotes nostri. Prior expositio simplicior est.
D *In conspectu tuo*, hoc est, te colendo, tibi seruiendo. Vide simile ps. 41. 13. Porrò simile huic versui legere est apud Ierem. cap. 30. 20. *Et erunt filij eius* (Iacob) *sicut à principio, & cœtus eius coram me permanebit*, seu *stabilietur.* Simile quoque est illud apud Zach. cap. 8. 4. *Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem: & vir baculum tenens in manu sua præ multitudine dierum.* Vers. 5. *Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus*, (*pueris*,) *& puellis ludentibus in plateis eius.* Vterque autem locus & Ie-
E remiæ & Zachariæ ad litteram, & iuxta sensum historicum de reductione captiuitatis Babylonicæ accipiendus videtur: quamquam dubio procul de Christi tempore allegorico sensu est exponendus.

PSALMUS

CIII. CII.

VERSIO

NOVA.



AVIDIS. Benedic
anima mea Domino:
& omnia [a] quæ intra
me sunt nomini san-
cto eius.

a interiora mea

2 Benedic anima
mea Domino, & noli obliuisci [b] om-
nes retributiones eius:

b omnia beneficia

3 Qui propitiatur omnibus iniqui-
tatibus tuis: qui sanat omnes infirmi-
tates tuas.

4 Qui redimit de [c] interitu vitam
tuam: qui coronat te (in) misericor-
dia & miserationibus.

c fouea

5 Qui satiat bono os tuum: reno-
uabitur, vt aquilæ, iuuentus tua.

6 Facit iustitias Dominus, & iu-
dicia omnibus iniuriam patienti-
bus.

7 Notas fecit vias suas Moysi: filiis
Israël opera sua.

8 Miserator & [d] misericors Domi-
nus: longaminis & multùm miseri-
cors.

d clemens

9 Non in perpetuum [e] commi-
nabitur, neque in æternum irasce-
tur.

e iurgabit

10 Non secundùm peccata nostra
fecit nobis, neque secundùm iniqui-
tates nostras retribuit nobis.

11 Quoniam secundùm altitudi-
nem cæli [f] à terra, corroborauit
misericordiam suam super timentes
se.

f heb. super terram.

12 Quantùm distat Ortus ab Occi-
dente, longè fecit à nobis iniquita-
tes nostras.

13 Quomodo miseretur pater filio-
rum, misertus est Dominus timenti-
bus se.

VETUS.



*PSI David. Bene-
dic anima mea Domi-
no: & omnia, quæ in-
tra me sunt, nomini
sancto eius.*

*2 Benedic anima
mea Domino: & noli obliuisci omnes re-
tributiones eius.*

*3 Qui propitiatur omnibus iniquita-
tibus tuis: qui sanat omnes infirmitates
tuas.*

*4 Qui redimit de interitu vitam tuam:
qui coronat te in misericordia & misera-
tionibus.*

*5 Qui replet in bonis desiderium tuum:
renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

*6 Faciens misericordias Dominus,
& iudicium omnibus iniuriam patien-
tibus.*

*7 Notas fecit vias suas Moysi, fi-
liis Israël voluntates suas.*

*8 Miserator, & misericors Do-
minus: longanimis, & multùm mise-
ricors.*

*9 Non in perpetuum irascetur: neque
in æternum comminabitur.*

*10 Non secundùm peccata nostra fe-
cit nobis: neque secundum iniquitates no-
stras retribuit nobis.*

*11 Quoniam secundùm altitudinem
cæli à terra, corroborauit misericordiam
suam super timentes se.*

*12 Quantum distat Ortus ab Occi-
dente: longè fecit à nobis iniquitates no-
stras.*

*13 Quomodo miseretur pater filio-
rum, misertus est Dominus timentibus se:*

quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.
14 *Recordatus est quoniam puluis sumus: homo, sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit.*
15 *Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.*
16 *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.*
17 *Et iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius:*
18 *Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.*
19 *Dominus in cælo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.*
20 *Benedicite Domino omnes angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.*
21 *Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.*
22 *Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.*

14 Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est quod
puluis sumus.
15 Homo, sicut fœnum dies eius;
tanquam flos agri, sic efflorebit.
16 Quoniam [g] spiritus [h] pertransi- g *ventus*
bit in illum, & non [i] subsistet: & non h *pertransit*
cognoscet eum ampliùs locus eius. i heb. *ipse*
17 Misericordia autem Domini ab
æterno & vsque in æternum super
timentes eum: & iustitia illius [l] in fi- l *filiis*
lios filiorum:
18 [m] His qui seruant [n] testamentum m *Eos*
eius, & memores sunt mandatorum n prop. *pactum*
eius ad faciendum ea.
19 Dominus in cælo parauit [o] se- o *thronum suum,*
dem suam, & regnum ipsius omnibus dominatur.
20 Benedicite Domino Angeli eius,
potentes virtute, facientes verbum
illius: [p] ad audiendam vocem ser- p vel *audiendo*
monum eius.
21 Benedicite Domino omnes exercitus eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius.
22 Benedicite Domino omnia ope-
ra eius, in [q] omni loco dominatio- q heb. *omnibus*
nis eius: benedic anima mea Do- *locis*
mino.

COMMENTARIVS.

In hoc dulcissimo hymno Dauid primo loco seipsum excitat, & quidem acriter, ad benedicendum Deo, & recolenda vniuersa eius beneficia, qui omnes sibi iniquitates condonat: qui è graui morbo confirmatum omnibus bonis pro sua incredibili clementia cumulat, &, palato repurgato, suauibus cibis ad satietatem sic pascit, vt omnis ætas deinceps aquilæ iuuentuti, quæ nunquam senescit, similis sit futura. Postquam egit de beneficiis priuatim sibi exhibitis, ad publica commemoranda progreditur, narratque vt Deus afflictorum tutatur iura, qui ad misericordiam est facilis, ad parcendum promptus, ad iram tardus, placabilis, atque iniuriarum & iracundiæ minimè tenax; cui pro peccato magno paulùm supplicij satis est: siquidem quantò cælum terram altitudine superat, tantò Dei misericordia est supra peccata, & quàm longè Oriens ab Occidente distat, tam longè à nobis summouet Deus delicta, nostrique, non secus atque indulgentissimus pater liberorum, miseretur. Mox addit rationem, cur sic Deus se erga nos gerat, quòd nouerit quàm simus proni ad peccandum, quàm fragiles & imbecilli, vt si nobiscum summo iure velit agere, prorsus pereundum nobis sit. Inde misericordiam Dei ait non humanæ vitæ spatio, quod admodum exiguum est, terminari, sed sempiternam esse erga timentes ipsum, ita vt paternæ pietatis fructus ad ipsos etiam posteros redundet, si modo patrum exemplo viuant. Denique postquam istis dictis se satis excitatum videt ad celebrandum Deum; quò Angelos, omnia denique, quæ in rerum natura sunt, in societatem vocet, Deum ait suum habere in cælo solium, indeque, quasi Regem, omnibus imperare. Tandem & seipsum, vt initio psalmi, excitat. Argumentum.

1 *Benedic anima mea Domino. Benedice-* A
re Deo est Deum celebrare, eique gratias
agere: *Deum benedicere alicui* est Deum be-
nefacere alicui: Deus quippe verbo potest,
quicquid vult, sic vt benedicendo benefa-
ciat: at hominem homini benedicere tan-
tùm est bene precari. *Omnia quæ intra me*
sunt, heb. *omnia interiora mea*, hoc est, om-
nes intimi sensus, & affectiones animi.
Anima mea, ma personne. Nam quod ani-
mam propriè, vt à corpore distinctam, non
intelligat, patet ex versu 4. *Qui redimit de*
fouea vitam tuam, ac præsertim ex versu 5. B
Qui satiat bono os tuum. Benedic anima
mea, hoc est, Benedic tu ex toto corde &
tota anima tua.

2 *Benedic* &c. Eiusdem repetitio stu-
dium & ardorem ostendit. *Retributiones*
eius, hoc est, beneficia, quæ ipse vltro no-
bis tribuit pro sua incredibili misericordia.
Symm. optimè hîc vertit τὰς εὐεργεσίας αὐ-
τοῦ. Optimè & Chald. חִסּוּלוֹי *chissului*,
quod idem est ac חִסּוּדוֹי *chissudhoi*, id est,
beneficia, seu *misericordias eius*. Dico opti- C
mè hos sic esse interpretatos. Nam durum
mihi videtur beneficia diuina *retributiones*
appellari, præsertim cùm merita nostra
dona sint miserentis Dei: nisi cum Card.
Bellar. idcirco Dei beneficia putes *retribu-*
tiones nominari, quòd Deus pro tot malis
nostris tanta bona assiduè nobis retribuat,
iuxta illud Domini Lucæ 6. *ipse benignus*
est super ingratos & malos. Agellius Epis-
copus Acernensis diuina beneficia retribu-
tiones vocari ait, non quòd de eo priùs me-
riti simus, sed quòd pro iis, quæ ille de nobis D
est meritus, si non possumus paria, saltem
laudes retribuere debemus. Itaque Dei be-
neficia retributiones appellari, non quia il-
le nobis retribuit, sed quia nos pro illis re-
tribuere laudes & obsequium debemus.
Verùm sentiendum potiùs cum Hebræis,
qui verbum גָּמַל *gamal*, vnde nomen, quod
hîc Græcus & Lat. interpretati sunt *retri-*
butiones, priorem etiam tribuere, seu con-
ferre significare docent. Vide quæ notaui-
mus ad versum postremum psal. 13.

3 *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus*
tuis: &c. Kimhi censet in hoc versu idem E
bis dici: per *infirmitates* enim seu *morbos*,
infirmitates seu morbos animæ, qui sunt
peccata, significari. Quod si per *infirmita-*
tes morbos corporis placet intelligere, in-
terpretare posterius membrum hunc in
modum, quò scilicet præcedenti respon-
deat: qui infirmitatibus, per quas pecca-
torum pœnas luis, medetur: nimirum
idem ipse, qui illas immisit, medicus tuus
factus est.

4 *Qui redimit de interitu* seu *foueâ* &c.
Nunc attingit Dei beneficia, quæ ad corpus
spectant, ac primùm ad valetudinem, quæ
plerumque ob peccata turbatur, & affligi-
tur: ideòque à peccatorum remissione
exorsus est. Fortè, quod ex priore huius
versus membro coniicio, hic psalmus à
Dauide è morbo recèns confirmato editus
est. *Qui coronat te* &c. hoc est, qui cumu-
lat te diuerso genere beneficiorum, &
quidem ex mera liberalitate & benigni-
tate.

5 *Qui satiat bono os tuum*: &c. Pertinere
mihi videtur hic versus ad præcedentem,
perinde ac si dicat, Qui te grauiter ægro-
tantem, déque vitâ periclitantem sanitati
restituit, ósque illud tuum, quod antea
tanta cum nausea & fastidio cibum omnem
reiiciebat, tam suauiter ad satietatē pascit,
vt tua aquilæ in morem iuuentus renoue-
tur, ac reuirescat, & sicut est Iob 33. 25. te-
nerior efficiatur caro tua carne pueritiæ, &
reuertaris ad dies adolescentiæ tuæ. He-
bræi hîc tradunt aquilam decimo quoque
anno renouari. Saadias scribit aquilam al-
tiùs volatu euehi, quàm omnes alias aues,
ac pene ad ignem elementarem pertinge-
re, cuius calore æstuans in mare se præ-
cipitat, indéque nouas vires ac plumas in-
duere, atque ad priorem iuuentam redire,
ídque facere decimo quoque anno ad cen-
tesimum vsque, ad quem quum peruenit,
iterum se pro more attollere, sed inde in
mare decidere, & ibi extingui. Hoc verum
sit necne, ignoro. Illud enim scio, He-
bræos ex quacumque vocula fabulandi oc-
casionem arripere, & potiùs quàm sileant
aut hæsitent, quiduis comminisci, atque
oraculi loco obtrudere. Profectò constat
Aquilam omnium auium esse viuacissi-
mam, & ad vltimum vsque senium semper
vegetam, nec annis debilitari, nec morbis
vnquam tentari. Igitur aquilæ similitudi-
ne videtur vsus ad exprimendum summum
vigorem, & integram valetudinem ad ex-
tremam vsque ætatem, quasi hoc velit, *re-*
nouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua, hoc est,
sanitati restitutus, quasi aquila, perpetuò
vigebis, nec vnquam senesces.

6 *Facit iustitias Dominus*, &c. Hactenus
de beneficiis sibi priuatim exhibitis egit:
nunc ad ea, quæ ad vniuersos spectant, pro-
greditur. In hoc versu *iustitia & iudicium*
videntur confundi, quanquam aliàs distin-
guuntur, vt dictum est ad vers. 5 ps. 33. & 1.
ps. 72. *Facere Deum iustitiam & iudicium*
nihil aliud esse hîc videtur, quàm Deum
pro sua iustitia tutari, ac defendere.

7 *Notas fecit.* In Fonte est fut. pro præt.
ex Ezra & Kimhi, qui citant exempli gra-
tia locū ex ps. 106. 19. *Vias suas*, hoc est,
qualiter

qualiter se gerat erga suos. *Moysi*, quum A nempe *transiens Dominus ante eum, clamauit, Dominus, Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax, Qui custodit misericordiam in millia, qui aufert iniquitatem & scelera atque peccata.* Exo. 34. 6. & 7. Quò pertinent versus sequentes. *Et filiis Israel* in deserto. *Opera sua*, idem est quòd *vias suas.*

8 *Miserator, & misericors* seu *clemens Dominus*: &c. Hoc & sequentibus vndecim versibus viæ Dei describuntur, quas ille Moysi eas cognoscere cupienti, vt est B Exo. 33. 18. reuelauit. Porrò *viæ Dei*, hoc est, ratio agendi ipsius cum hominibus, totæ positæ fermè sunt in misericordia, quæ hîc copiosè & prolixè describitur. *Longanimis.* Verbum minimè Latinum idem significans in sacris litteris quod *tardus irarum*, quo modo est in Hebræo. *Longanimis*, hoc est, vt explicat Lyranus, diu expectans peccatores ad pœnitentiam. Et ne credatur, ait Hugo Card. diu expectare, vt magis puniat, addit, *& multum misericors*, expe- C ctando scilicet, non propter maiorem damnationem, sed propter eorum conuersionem. Etsi autem ita est, &, quemadmodum ait hoc loco Kimhi, non punit nos Deus, statim ac peccauimus, sed pœnam atque iram differt, si fortè resipiscamus, non est tamen quòd de Dei patientia nimiùm nobis blandiamur, qui vt patiens est ac lentus, ita supplicij tarditatem grauitate compensat, quando quis illius lenitate peruersè vtitur, nec vult resipiscere, sed magis ac magis pertinaciâ peccandi animum obstinat, & in sceleribus pergit. Certò teneat D quisquis ita se gerit, etsi Deus aliquandiu dissimulare videatur, & conniuere ad eius scelera, quia non statim trahit ad pœnam, tamen præsens, quod meretur, malum in diem abire, plagásque crescere, nisi prospiciat.

9 *Non in perpetuum comminabitur* seu *iurgabit*, &c. Significare vult Deum esse placabilem, & iniurias facilè obliuisci, & in ira, vt est Habacuc 3. 2. misericordiæ recordari. E

10 *Non secundùm peccata nostra* &c. Nam si, vt est Psal. 130. 3. iniquitates obseruaret Dominus, quis stare posset? si nobiscum summo iure ageret, atque ita exequeretur iram suam, sicut videtur conuenire immensæ eius iustitiæ, prorsus actum sit de nobis. De Deo, vt leni ac facili patre, illud tenendum, pro peccato magno paulum supplicij satis esse illi. Subiungitur mox ratio, *Quoniam secundùm altitudinem* &c.

11 *Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra*, Heb. *super terram*, &c. Sensus, Sicut enim spatium, quod terram inter & cælum intercipitur, infinitum, aut certè propter magnitudinem infinito simile est, ita Dei misericordia, qua prosequitur timentes ipsum, est immensa & infinita. Ps. 57. 11. dicebat, *Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua. Secundùm altitudinem cæli à terra.* Non potuit vti aptiore similitudine: nihil enim in orbe altius est cælo. *Corroborauit*, vel *corroborata est*. *Corroborandi* verbum sumendum hoc loco, vt Gen. 7. versibus 18. 19. & 20. En tibi vers. 20. *Quindecim cubitis supernè roborauerunt se aquæ*, vbi Lat. habet, *Quindecim cubitis altior fuit terra*, Græc. ὑψώθη. Ergo hîc *corroborata est misericordia eius super timentes eum*, idem esse videtur, atque infinitis partibus maior & altior est Dei misericordia hominum peccatis, ita vt qui pœnitentia ducti Deum timent, diluuio quodam eius misericordiæ veluti mergantur & absorbeantur, & vbi abundauit delictum, superabundet & gratia, sicuti ait Apost. ad Rom. 5. Sic Ps. 117. 2. *Quoniam confirmata (corroborata) est super nos misericordia eius. Timentes se.* Per *timentes Deum* intellige qui pœnitentia ducti ipsum reuerentur. Kimhi Israelitas vult significari, qui etsi interdum peccent, nihilominus Deum timent ac verentur, & ad ipsum se conuertunt, non quemadmodum aliæ gentes, quæ alios Deos timent. Ego per *timentes Deum* soleo intelligere religiosos Dei cultores, qui etsi interdum peccant, fieri enim aliter non potest, quin interdum homo peccet, nihilominus tamen nunquam Dei obliuiscuntur, sed ipsum semper verentur ac metuunt, ac si per carnis infirmitatem ceciderint, statim resurgunt atque eriguntur.

12 *Quantùm distat Ortus* &c. Vnus est ex Dei titulis Mosi reuelatis Exo. 34. auferre iniquitatem, & scelera atque peccata. Obseruat Kimhi dici hîc, *Quantùm distat, Ortus ab Occidente*, non autem *Septentrio à Meridie*, quòd totum interuallum inter Orientem & Occidentem interiectum sit habitabile, & possit aliquis spatium istud emetiri, non item illud, quod Septentrionem inter & Meridiem intercedit, propter nimium frigus aut calorem.

13 *Quomodo miseretur pater filiorum*, &c. Dei misericordiam aduersùs suos cum patris misericordia confert, non cum matris, quòd illius, quàm huius, erga liberos clementia sit iustior, & rationabilior. Matres liberis plerumque nimiùm sunt obsequentes, adeóque, vt illarum facilitas horum corrumpat animos. Patres, etsi nonnunquam patrio animo victi faciunt vt liberis concedant, neque semper eorum volunta-

ti, aduersantur, aut agunt pro suo iure, co- A
gentes eos, quæ imperant, facere, nihilo-
minus tamen, paulò qui sapientiores sunt,
cauent ne illi inepta lenitate & facilitate
praua corrumpantur, itidem vt nimiâ ma-
trum indulgentiâ fit. Eam ob causam hîc
Deus cum patre, non cum matre compa-
ratur, siquidem patrium habeat Deus ad-
uersùs bonos viros animum, & illos fortiùs
amet, vt alicubi ait Seneca. Quanquam
Deus ipse Es. 49. 15. sic ait, *Nunquid obli-
uisci potest mulier infantem suum, vt non mise-
reatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego* B
tamen non obliuiscar tui. Tanta est scilicet
Dei Opt. Max. de suis cura, vt vel mater-
nam de liberis curam longè superet, citra
tamen prauam indulgentiam. Quin suis
sæpe sudorem & lachrymas excutit Deus:
non quemadmodum matres, quæ filios (Seneca in *Quare bonis viris &c.*)
nunquam flere, nunquam tristari, nûquam
laborare volunt. Deus quippe bonorum
amantissimus, qui illos quàm optimos esse
atque excellentissimos vult, rebus aduersis
illos exercet: & voluptatem capit, dum
spectat probos viros colluctantes cum ali- C
qua calamitate: vt liceat hîc cum mox lau-
dato Seneca exclamare, *Ecce spectaculum di-
gnum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus.
Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala for-
tuna compositus, vtique si & prouocauit.*
14 *Quoniam ipse cognouit figmētum nostrum:*
&c. Ratio præcedentium versuum. Cur
Deus tanta erga nos vtitur clementia? cur
tam facilè exoratur? cur pœnas sceleribus
nostris pares non exigit? cur tanto inter-
uallo peccata à nobis summouet, tamque
facilè nostri miseretur? Quoniam non tam D
scelera nostra æstimat, quàm procliuitatem
nostrā ad peccandum, & imbecillitatē con-
siderat. *Figmentum nostrū.* Ezra interpreta-
tur progenerationem seu naturā nostram.
Chald. *Figmentum nostrum malum, quod ad
peccandum nos impellit.* Kimhi ex Gen. 8.
21. vbi legitur, *quia figmentum* (*cogitatio,
sensus, affectus*, Heb. יצר ietser, sicuti hîc)
humani cordis malum à pueritiâ suâ. Vult er-
go *figmentum* hîc accipi pro affectu malo,
praua concupiscentia, vt illic in Gen. &
alibi in sacris litteris. Non malè quidem. E
Illic in Gen. iurat Deus se nequaquam vl-
trà maledicturum terræ propter homines,
*quia figmentum humani cordis malum à pueri-
tia sua*, vel iuxta Vulg. *quia sensus & cogitatio
humani cordis in malū prona sunt ab adolescētia
sua:* Hîc verò Dauid Deum facilè erga nos
misericordia afficiaffirmat, quia ipse co-
gnoscat figmentum nostrum, hoc est, no-
stram ad peccandum procliuitatem perspe-
ctam habeat. Ego, maximè propter sequens
membrum, & duos sequentes versus, *fi-*

gmentum nostrum passiuè acciperem, prò
modo, quo à Deo ficti sumus, scilicet de
puluere, quasi velit dicere, Deus vtitur
erga nos misericordia, neque nos pro meri-
tis castigat, quia nouit fictiles nos esse te-
stas, nouit nos nihil aliud esse quàm pulue-
rem, vt si nobiscū summo iure velit agere,
actum sit de nobis, in nihilū facilè redigen-
di simus, & sicut lutum figuli nullo nego-
tio euertendi. Fauet posteriori interpreta-
tioni posterius membrum: sic enim pro
more idem bis dicitur. Videtur sic accepis-
se Ezra, quem non multò antè citaui. Eo-
dem ferè modo accipitur *figmentum*, Es.
29. 16. *& figmentum dicet de fictore suo*, &c.
Si priori modo placet interpretari, dic, In
priore membro procliuitatem ad peccan-
dum notari, in posteriori verò fragilitatem,
& imbecillitatem nostram, quæ duæ res fa-
ciunt, ne Deus in nos sæuiat, & summo iu-
re agat.
15 *Homo, sicut fœnum dies eius:* &c. Vitam
hominum fœno, & flori herbarū comparat,
quę si ventus aliquis immitior perflarit, illi-
cò marcescunt: quò spectat versus sequens.
16 *Quoniam spiritus* (*ventus*) *pertransibit*
(*pertransit*) *in illum* florem, ex Ezra &
Kimhi. Simile occurrit Esaiæ 40. 6. *Om-
nis caro fœnum, & omnis misericordia eius
quasi flos agri.* 7. *Exiccatum est fœnum, cecidit
flos, quia spiritus Domini sufflauit in eum.*
Potes, mea quidem opinione, *in illum* ad
hominem referre, hocque *Quoniam spiritus
pertransibit in illum, & non subsistet*, ad verb.
& non ipse, metaphoricè interpretari, pro,
Quoniam homo ille subita morte, quasi
herbulæ flos repentino vento, tollitur, vt
inter viuentes ampliùs omnino non appa-
reat. Simile est Iob. 27. 20. *nocte opprimet*
(in fonte *furatura est*) *eum tempestas.* 21.
Tollet eum ventus vrens, (*Eurus*,) *& aufere-
tur*, (*abibit*,) *& velut turbo rapiet eum de loco
suo. Et non cognoscet eum* hominem *ampliùs
locus eius*, hoc est, nec deinceps ille agnos-
cetur, vbi paulò antè viuens versaba-
tur. Simile prorsus est Iob. 7. 10. Si prius
membrum ad florem vis referre, hoc quo-
que ad eundem referas oportet, quasi dica-
tur, neque cernit ampliùs eum florem lo-
cus, vbi paulò antè floruerat. Hoc si durius
alicui fortasse videatur, vtrumque mem-
brum de homine potiùs interpretetur.
17 *Misericordia autem Domini ab æterno &
vsque in æternum*, seu *à sæculo & vsque in sæ-
culum*, &c. Simile est Es. 40. 8. *Exiccatum
est fœnum, cecidit flos: verbum autem Dei no-
stri manet* (*stabit*) *in æternum.* Alter locus
est celebrandæ Dei misericordiæ. Cùm,
inquit, adeo breuis sit hominis vita, vt quo-
uis flore fugacior videri possit, non satis est

Deo eos, qui pietati studuerint, fouisse, & A misericordia prosequutum esse, nisi etiam ad posteros, ac nepotes, modò parentum exemplum imitentur, eandem misericordiam extenderet. Hoc igitur & sequente versu vult significare Dei misericordiam erga religiosos sui cultores non terminari vitæ humanæ spatio, quod breue est, aut extingui morte alicuius, ac cessare præmium eius virtuti debitum, sed ad posteros etiam paternæ pietatis fructum, quæ summa est Dei misericordia, peruenire ac redundare, modò non indignos se præbue- B rint, à maiorum pietate degenerando, ac deflectendo, sed Deum & ipsi religiosè coluerint, eiúsque mandatis obtemperarint: quò pertinet versus qui sequitur. *Iustitia eius.* In priore membro misericordia, in posteriore iustitia, per quam scilicet Deus, quia semel ex pura liberalitate & misericordia ad id se astrinxit, remunerat bona opera. *In filios filiorum.* Caueto restringas ad nepotes, cùm scriptum sit Ex. 20. 6. *Et faciens misericordiam millibus.* Et Exo. 34. 7. C *Qui custodit misericordiam in millia* seu millibus, scilicet generationibus, vti ex eorum locorum circumstantijs constat, necnon ex Deut. 7. 9. *Et scies quòd Dominus Deus tuus, ipse (est) Deus, Deus fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & ijs qui custodiunt præcepta eius, in mille generationes.*

18 *His (Eos) qui seruant* &c. De quibus filiis ac posteris intelligat, nunc explicat, & restringit ad eos, *qui seruant testamentum eius*, &c. Simile est Ex. 20. 6. *Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Quid? Igitur filij, qui patrum exemplum non fuerint sequuti, D præmio paternæ pietatis non gaudebunt? Nullane pars ad eos redibit? Imò aliqua, sed ad illos præsertim, qui patribus similes fuerint. Aliqua pars, inquam, præmij temporalis scilicet, ad eos interdum redibit, qui à paterna pietate desciuerint. Nonne legimus Deum Abiæ regi Iuda *propter Danidem dedisse lucernam in Ierusalem, suscitando filium eius post eum, & stabiliendo Ierusalem: Eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei,* &c. 1. Reg. 15. 4. & 5. Etsi Abias *ambularet* E *in omnibus peccatis patris sui,* (Roboam) *quæ fecerat ante eum, nec esset cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius,* vt est loco cit. vers. 3. Legimus quoque 2. Paral. 21. 6. & 7. quum Ioram *ambularet per viam Regum Israel, sicut egerat domus Achab, filia quippe Achab erat vxor eius, & faceret malum in conspectu Domini, noluisse tamen Dominum disperdere domum Dauid, propter pactum quod inierat, & quia promiserat vt daret ei lucernam, & filiis eius omni tempore. Testamentum* seu *pactum eius*, hoc est, Decalogum eius. Vide ad vers. 14. Psal. 25.

19 *Dominus in cælo parauit* &c. Postquàm satis se excitatum sentit ad celebrandum Deum, quò Angelos, cælos ipsos ac stellas, omnia denique, quæ sunt in rerum natura, in societatem vocet, Deum ait suum habere solium in cælo, vnde quasi Rex omnibus infra se positis imperet. In cælo, quod nimirum est super omnia, solium habere, & omnibus imperare seu dominari, idem sunt. Audi Kimhi. *Dominus in cælo parauit solium suum*, tanquam Rex, qui in solio sedet supra omnes. Quòd si, inquit, cælum est Dei solium, profectò omnia, cælum & terra, sub eius imperio sunt: hocque est, quod mox sequitur, *& regnum ipsius omnibus dominatur.*

20 *Benedicite Domino omnes Angeli eius.* Primùm Angelos ad Deum laudandum inuitat, vt qui in eius regno primum locum tenent, primi etiam ad hoc munus se accingant, aliaque omnia suo exemplo excitent. Sed cur Angelos hortatur ad laudandum Deum, quos non dubium est sponte, & sine fine perpetuò canere, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. Respondeo ex zelo celebrandæ Dei gloriæ id facere Dauidem, & quò magis animos hominum expergefaciat, eorumque soporem excutiat, ne dum Angeli Deo gratias agunt pro beneficiis generi hominũ exhibitis, ipsi interim obdormiscant. *Potentes virtute.* Nihil in rebus creatis Angelorum virtuti potest obsistere. Quod verum esse docent vrbium excidia, & exercituum strages per Angelos factæ, Sodomæ & Gomorrhæ incendium, centum & octoginta quinque millia fortissimorum & strenuorum virorum in castris Sennacherib vna nocte interemptorum, aliaque quamplurima exempla, quæ longum esset recensere. *Facientes verbum illius.* Angeli legati Dei sunt, qui eius mandata non modò perferunt, sed etiam exequuntur. Vnde illud Exo. 23. 20. *Ecce ego mitto Angelum qui præcedat te, & custodiat in via,* &c. Es. 63. 9. *Angelus faciei eius,* hoc est, missus ab eo, *saluauit eos.* Quid Angeli in scala illa Iacob à terra cælum attingente ascendentes & descendentes, Deo in summo insidente, aliud significant, quàm Deum è cælo res has inferiores per Angelos administros & executores gubernare, atque administrare? Verùm hæc res est nimis certa. *Ad audiendam vocem sermonum eius,* vel *ad obediendum voci verbi eius.* Cur faciunt Angeli verbum Dei? Tantùm vt Deo obediant, non spe præmij, quemad-

modum homines. Sic hoc ex Ezra. Vertere potes, *audiendo vocem verbi eius*, perinde ac si diceret, *facientes verbum illius* simul atque ipsum loquentem & imperantem audiuerunt. A

21 *Benedicite Domino omnes exercitus eius:* &c. Repetitio præcedentis versus. Nam ob posterius membrum puto per *exercitus Dei*, hoc loco intelligendos Angelos, qui tanquam exercitus & copiæ Dominum exercituum sequūtur, eúmque semper tanquam apparitores circunstant, parati ad obsequendum, & ad omnes nutus intenti, id quod significat posterius membrum. Potes B intelligere per *exercitus Dei*, omnia quæ sunt. Nam omnia quæ sunt, sub Deo veluti militāt, & ad eius obsequium, quasi mercede cōducti milites, præsto sunt. Hinc Deus ac Dominus exercituum Deus appellatur. Vide quæ dicta sunt ad vers. 10. Ps. 24 & aliàs. Posterius membrum, quod videtur significare voluntarium obsequium, ideóque tantùm competere naturæ rationali, facit me, vt credam per *exercitus Dei* in hoc versu Angelos intelligendos, qui peculiariter Deo seruiunt, ac ministrant, & quasi copiæ militares circunstant, eiusque mandata expectant. Sed cur non satis habuit semel alloquutum esse Angelos, præsertim cùm illi nostris stimulis non egeant, qui sponte Deum laudant? Forte tantùm quòd multi sint ordines Angelorum.

22 *Benedicite Domino omnia opera eius*, &c. Creaturæ quæ ratione præditæ sunt, propriè Deum laudare possunt: aliæ impropriè, & metaphoricè, inquantùm, inquit Lyranus, in eis, & in earum proprietatibus relucet Dei sapientia & bonitas. Hoc igitur *Benedicite Domino omnia opera*, &c. quatenus pertinet ad ea, quæ ratione caret, nihil aliud est quàm, O vos homines contemplamini omnia opera Dei, quæ vspiam sunt, & benedicite Domino. Hoc sensu Iob 12. vers. 7. & sequentibus dicitur, *Nimirum interroga nunc iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Aut loquere terræ, & respondebit tibi, (docebit te,) & narrabunt tibi pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* in fonte, *Quis ignorat in omnibus istis, quòd manus Domini fecit istud?* id est, quicquid est in illis mirabile. *Benedic anima mea Domino.* Iisdem verbis Psalmum claudit, quibus inchoarat, quod & in sequente facit.



PSALMVS

CIV. CIII.

VERSIO

NOVA.

BENEDIC anima mea Domino : (Domine Deus meus magnificus es vehementer, gloriam & decorem induisti)
2 Qui amictus est lumine sicut ve-
a cortinam. stimento : qui extendit cælum sicut
[a] pellem.
b cœnacula 3 Qui contignat in aquis [b] superiora
sua ; qui ponit nubes currum suum :
c nuntios qui ambulat super pennas ventorum.
4 Qui facit [c] angelos suos spiritus :
ministros suos ignem flammantem.
d eius, 5 Fundauit terram super bases [d] suas,
ne moueat se in sæculum, & æter-
nùm.
6 Abysso sicut vestimento operue-
ras eam : super montes stabant aquæ.
7 Ab increpatione tuâ fugerunt : à
voce tonitrui tui præcipites cesse-
runt.
8 Ascenderunt montes, descende-
e ad runt valles, [e] in locū quē fundasti eis.
9 Terminum posuisti (quem) non
transgredientur : non reuertentur
operire terram.
10 Qui emittit fontes in conualli-
bus : inter medium montium [f] per-
f prop. ambulent. transeunt.
g heb. Adaquant omnes bestias 11 [g] Potant omnes bestiæ agri : fran-
gunt onagri sitim suam.
h iuxta 12 [h] Super eos volucres cæli habi-
tant : de medio frondium dant
i heb. vocē. [i] voces.
k cœnaculis 13 Qui rigat montes [k] de superiori-
bus suis : de fructu operum tuorum
satiatur terra.
14 Qui producit fœnum iumentis,
& herbam seruituti hominis, vt
educat panem de terra:

VETVS.

BENEDIC anima mea Domino : Domine Deus meus magnificatus es vehementer.
2 Confessionem, & decorem induisti :
amictus lumine sicut vestimento.
3 Extendens cælum sicut pellem: qui te-
gis aquis superiora eius.
4 Qui ponis nubem ascensum tuum:
qui ambulas super pennas vento-
rum.
5 Qui facis Angelos tuos, spiritus, &
ministros tuos, ignem vrentem.
6 Qui fundasti terram super stabili-
tatem suam: non inclinabitur in sæcu-
lum sæculi.
7 Abyssus sicut vestimentum, amictus
eius: super montes stabunt aquæ.
8 Ab increpatione tua fugient: à voce to-
nitrui tui formidabunt.
9 Ascendunt montes, & descendunt
campi, in locum quem fundasti eis.
10 Terminum posuisti, quem non trans-
gredientur: neque conuertentur operire
terram.
11 Qui emittis fontes in conuallibus:
inter medium montium pertransibunt
aquæ.
12 Potabunt omnes bestiæ agri: expe-
ctabunt onagri in siti sua.
13 Super ea volucres cæli habitabunt:
de medio petrarum dabunt voces.
14 Rigans montes de superioribus suis:
de fructu operum tuorum satiabitur
terra:
15 Producens fœnum iumentis, & her-
bam seruituti hominum:

16 *Vt educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis:*
17 *Vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.*
18 *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit: illic passeres nidificabunt.*
19 *Herodij domus dux est eorum: montes excelsi ceruis: petra refugium herinaciis.*
20 *Fecit lunam in tempora: sol cognouit occasum suum.*
21 *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ.*
22 *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.*
23 *Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.*
24 *Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam vsque ad vesperum.*

25 *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.*

26 *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.*
27 *Animalia pusilla cum magnis: illic naues pertransibunt.*
28 *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia à te expectant vt des illis escam in tempore.*
29 *Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.*
30 *Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.*
31 *Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.*
32 *Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis:*
33 *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.*
34 *Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quandiu sum.*

15 Et vinum, (quod) lætificat cor
hominis, vt [l] exhilaret faciem præ [l] vel *nitere faciat*
oleo: & panem, qui cor hominis
confirmat.
16 Saturantur arbores Domini: cedri Libani, quas plantauit.
17 Illic aues nidificant: ciconiæ abietes sunt domus.
18 Montes excelsi ibicibus: petræ refugium cuniculis.
19 Fecit lunam in tempora: sol cognoscit occasum suum.
20 Ponis tenebras, & fit nox: in ipsa pertranseunt omnes bestiæ syluæ.
21 Leunculi rugiunt ad prædam, &
ad quærendum à Deo escam [m] sibi. [m] *suam.*
22 Oritur sol, congregantur, & in cubilibus suis accubant.
23 Exit homo ad opus suum, & ad
[n] operationem suam vsque ad vesperum. [n] *culturam*
24 Quàm [o] magna sunt opera tua [o] vel *multa*
Domine! omnia ipsa in sapientia fecisti: impleta est terra [p] possessione [p] heb. *possessionibus tuis.*
tua.
25 Hoc mare magnum, & latum manibus: illic reptilia, quorum non (est) numerus, animalia pusilla cum magnis.
26 Illic naues pertranseunt: draco iste, (quem) formasti ad ludendum in eo.
27 Omnia ipsa ad te expectant, vt des escam ipsorum in tempore suo.
28 Dante te illis, colligunt: aperiente manum tuam, saturantur bono.
29 Auertente (autem) te faciem, turbantur: aufers spiritum eorum,
[q] deficiunt, & in puluerem suum re- [q] *expirant,*
uertuntur.
30 Mittis spiritum tuum, creantur: & renouas faciem terræ.
31 [r] Sit gloria Domini in sæculum: [r] vel *Erit*
[s] lætetur Dominus in operibus [s] vel *lætabitur*
suis.
32 Qui respicit terram, & tremit: tangit montes, & fumant.
33 Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quandiu fuero.

34 Iucundum erit ſuper eum eloquium meum : ego delectabor in Domino.	35 *Iucundum ſit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino.*
[t] de — 35 Deficiant peccatores [t] à terra, & iniqui vltrà non ſint : benedic anima mea Domino. [u] Alleluia. [u] Laudate Dominum.	36 *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint : benedic anima mea Domino. Alleluia.*

COMMENTARIVS.

EST hic Pſalmus ἀνεπίγραφος Hebræis. Verùm interpres Græcus, more ſuo, quò argumentum explicaret, hunc titulum præfixit, ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως: qui titulus argumentum continet. Nam hoc carmine nihil aliud quàm Dei ſapientia, potentia, bonitas, & prouidentia, quæ ex opificio mundi, certis & deſtinatis ſingularum eiuſdem partium vſibus elucent, celebrantur & commendantur. Annotat Ezra conicci ex eo quòd huius Pſalmi idem ſit principium & finis, ac ſuperioris, qui eſt Dauidis, hunc quoque eſſe Dauidis. Non mala coniectura. Et certè cùm Græcus, vt notatum eſt, tum Latinus interpres hunc Pſalmum Dauidi tribuunt. Argumentum.

1 *Benedic anima mea Domino.* Propoſitio. Mox ſequentur rationes. *Magnificus es vehementer*, ſeu, *magnus es valde*. Idem ſignificat hoc, *gloriam & decorem induiſti*, id eſt, adeo magnus & ſplendidus ex tuis operibus eluces, vt quaſi gloriâ & decore indutus appareas. Apoſtrophe hîc eſt ad Deum per parentheſin, meo iudicio, legenda.

2 *Qui amictus eſt* ſeu *amicit ſe lumine ſicut veſtimento.* Deum primo loco pingit lumine, quaſi ſplendida veſte, amictum, & in cælo, quaſi in tentorio, ſedentem. *Qui extendit cælum ſicut pellem* ſeu *cortinam* ad inhabitandum. Nam hoc debet exponi ex illo Eſ. 40. 22. *qui extendit velut cortinam* (in Græco ὡς καμάραν, in Lat. *velut nihilum*, in Chald. כְּזְעֵר *cizer, velut minutum*) *cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum*, hoc eſt, vt ipſe ſub iis habitet, ac ſedeat, nimirum *ſuper gyrum* ſeu *circulum terræ*, vt eſt initio mox cit. verſus. Sic ex ſententia Ezræ locum illum Eſaiç, qui ad hunc verſum intelligendum facit, exponimus. Scio Kimhi, quod Eſaias affirmat Deũ ſedere ſuper gyrum ſeu circulum terræ, idem eſſe velle, atque ſedere ſuper cælum, ſiquidem cælum quaſi circulus terram ambiat. At mehercule ego, quòd Deus eſſe dicatur in cælo, quaſi in tentorio, accipio Ezræ expoſitionem, ſi modò excipiatur, illud ab Eſaia dictum ἀνθρωποπαθῶς, & iuxta humanum concipiendi modum. Alioquin Deus qui nullo continetur loco, ſed omnia continet, atque idcirco מָקוֹם *makom*, id eſt, *locus*, ab Hebræis appellatur, non infra cælum modò, ſed & in ipſo cælo, imò fortaſſe & ſupra & extra cælum, vbi nullus locus eſt, exiſtit.

3 *Qui contignat in aquis* &c. Præcedente verſu veſtes & tentorium Dei deſcripſit, nunc cœnacula, currum, equos, nuntios, & miniſtros ei attribuit. *In aquis*, hoc eſt, in nubibus, quæ, vt Phyſici loquuntur, eſſentialiter ſunt aqua, ſuntque veluti tabulatum ſuper terram, vt in iis iure merito hîc dicatur Deus ſua cœnacula cõtignaſſe. *Superiora* ſeu *cœnacula ſua*. Huc referendum illud verſus 13. *Rigans montes de ſuperioribus* ſeu *cœnaculis ſuis*. *Qui ponit nubes currum ſuum*, id eſt, qui nubibus, quaſi curru, inuehitur. *Qui ambulat ſuper pennas ventorum.* Hoc ad vim diuinam vbique præſentem, & tanquam ventum celerrimè omnia permeantem ac penetrantem pertinet. Simile habes huic verſui Pſalm. 18. verſ. 10. & ſequentibus.

4 *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus:* ſeu *nuntios ſuos ventos:* &c. Senſus ex Hebræis, qui ventis & fulguribus tanquam nuntiis, ac miniſtris vtitur. Deus *recedere fecit mare vento Orientali vehementi*, Ex. 14. 21. Deus *flauit vento ſuo, & operuit Ægyptios mare*, Ex. 15. 10. *Dominus miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari.* Ionæ 1. 4. Deus *pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem, à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has*, &c. Gen. 19. Ignis cælitus miſſus ſatellites ab Ochozia Iſraëlitarum rege ad perdendum Eliam delegatos abſumpſit, 2. Reg. 1. Sunt & alia multa exempla eius generis. Iſta eſt ſententia huius verſus ex Raſi, Ezra, Kimhi, aliiſque Hebræis, recentioribus præſertim, qui per רוחות *ruchoth*, i. *ſpiritus*, ſpiritus flantes, id eſt, ventos: per *ignem flammantem*, fulmina & fulgetra intelligunt. Ad hunc verſum, vt ab Hebræis accipitur, referri debet illud Pſ. 148. 8. *Ignis, & grando, nix, & vapor: ſpiritus procellarum faciens verbum eius.* Ergo venti & fulgetra non temerè &

fortuitò, aut ex caussis tantùm physicis excitantur, sed arcano plerumque Dei consilio, & arbitrio. Auctor Epist. ad Hebr. cuius sacrosancta apud nos esse debet authoritas, cap. 1. hunc versum de Angelis accepit, quum inquit, *Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Angeli profectò spirituales sunt essentiæ, igneique veluti vigoris, & efficacitatis. Quid aliud, amabò, currus ille igneus, & equi ignei, quorum fit mentio in raptu Eliæ, 2. Reg. 2. 11. quàm Angeli? Quid aliud equi & currus ignei, quorum plenus erat mons in circuitu Elisæi, 2. Reg. 6. 17. quàm Angeli? Non D. Paulus modò, sed & veteres quoque Rabbini, mystici præsertim, vt ex Ialkut R. Simeonis Concionatoris ad hunc locum videre est, de Angelis hunc versum exposuerunt. In horum & authoris Epist. ad Hebr. sententia, *Angelos* nomen est naturæ, & subiecti locum obtinet, hunc in modum, qui facit vt Angeli sui sint spiritus. Sic & *ministros suos* subiecti vice fungitur. In Hebræorum verò sensu vtrumque hoc pro prædicato est. Hebræorum sensus, mea quidem sententia, magis esset è contextu Psalmi, qui totus videtur loqui de natura visibili & aspectabili, nisi obstaret Authoris epist. ad Hebr. authoritas. Quidni verò vnus & idem locus duos ferre possit sensus? Nota obiter cùm hic in Vulg. sit, *Qui facis Angelos tuos*, in secunda persona, in epist. ad Heb. legi, *Qui facit Angelos suos*, in tertia persona, sicuti hic in fonte Hebræo.

5 *Fundauit terram super* &c. Postquam de iis, quæ in aëre sunt aut fiunt, egit, de terra & aqua dicere aggreditur. Ac primò quidem Deum ait terram in medio aëre ponderibus suis libratam, & basibus fultam stabili ac nunquam mobili firmitate suspendisse, ac fundasse. Quænam verò sunt illæ terræ bases? Non aliæ quàm terræ grauitas ad centrum mundi vergens, & sphærica figura, quæ nisi talis esset, fieri non posset, quin terra in orbis medio collocata in vnum sex laterum inclinaret, adeóque contra naturam sursum ferretur, sicut hic optime annotat Kimhi, qui habet ad istum modum, Fundauit eam (nimirum terram) rotundam instar globi, propterea quòd illa est in medio rotundi, nec vlla figura potest esse in medio figuræ, quæ in vnum laterum non inclinet, præter figuram circularem.

6 *Abysso sicut vestimento* &c. His aliquot versibus describit poëticè atque eleganter opus tertij diei, quo die summus ille opifex Deus omnem illam vim, & vastam voraginem aquarum, quibus antea terra tota

A obruebatur, & quasi veste obuoluebatur, in vnum locum, qui Maria appellatus est, coëgit. Gen. 1. Ea est aquarum natura, vt extare super terram, eámque omni ex parte circumfundere debeant. Verùm eas Deus admirabili sua potentia ac sapientia à terræ superficie compulit in vnum locum, *congregauitque sicut aceruum aquas maris*, vt est Ps. 33. 7. nudans ac detegens hominum, germinum, & animantium caussâ ipsam terræ superficiem, quæ antea vndique aquis B erat obtecta. Quum subdit, *super montes stabant aquæ*, significat aquas à principio ipsos etiam montium vertices superasse. Sic ex Kimhi exposuimus. *Abysso sicut vestimento operueras eam.* Græcus & Latinus verterunt, *Abyssus sicut vestimentum, amictus eius*: legerunt quippe כְּסוּתוֹ *cesutho*, *amictus eius*, pro כִּסִּיתוֹ *cissitho*, *amicieras* seu *operueras eam.* Idem sensus, & facilis est versio. *Eius* terræ. In Græco tamen est αὐτοῦ, in masc. gen. quod tamen D. Chrysost. existimat positum esse pro αὐτῆς, vt ad terram referatur, C quæ Græcè appellatur γῆ, quod nomen est fœm. gen.

7 *Ab increpatione tua fugerunt*: &c. Quum dixisti, inquit, *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum*, Gen. 1. 9. fugerunt aquæ, seseque subduxerunt à tuo conspectu, veluti seruus à Domino, aut aliquis alius à fortiore se increpitus fugam arripere solet: quo sensu dicitur Es. 30. 17. *à facie increpationis quinque fugietis. A voce (sonitu) tonitrui tui præcipites cesserunt*, hoc est, D sicut quis præceps fugit, abripitque sese subitò, quum quempiam sibi minitantem, & dira intonantem audit: ita aquæ tua voluntate, sic tanquam sonitu tonitrui, attonitæ sese surripuerunt, gradum ad locum, in quem cogi volebas, accelerantes. Sic ferè Kimhi, qui annotat verba fut. temp. in hoc & sequente versu esse pro præteritis. *Increpatione Dei* necnon *voce tonitrui diuini* significat poëticè minax ac veluti intonans Dei mandatum, absque quo aquæ illæ loco nunquam cessissent. Significare vult porrò E summa ad eam rem Dei potentia opus fuisse. *Increpandi* verbum, quum Deo tribuitur, idem est quod coërcere & reprimere. Sic Ps. 106. 9. *Et increpuit Mare rubrum, & exiccatum est.* Sic Matth. 8. ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις ϗ τῇ θαλάσσῃ. Lucæ 4. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ. Ibid. ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ.

8 *Ascenderunt montes*, &c. Poëticè hoc dicitur, pro, Aquis cedentibus, seséque subducentibus cœperunt apparere, ac visi sunt veluti surgere, & attolli montes, & contrà valles deprimi & descendere. *Eis* montibus & vallibus.

9 *Terminum posuisti* aquis in vnum locum coactis. quem terminum? Arenam in ripis & littoribus sitam, teste Ieremiâ, qui Deum sic loquentem facit, cap. 5. *qui posui arenam terminum mari, statutum sempiternum, nec præteribit: commouebuntur quidem, & non præualebunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Non reuertentur* &c. id est, non deinceps, vt initio, quũ creatæ sunt, terrã operient, nimirum ex se, & vi sua. Secus de diluuio, quod Dei mandato est factũ. Est Iob cap. 38. vers. 8. & sequentibus, quod ad huius versus sententiam illustrandam pertineat, *Et (quis) conclusit* (Deus Iob alloquitur) *ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens?* &c. *Circumdedi illud terminis meis*, (in Fonte, *Et decreui super illo statutum meum*,) *& posui vectem, & ostia: Et dixi, Vsque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos*, in fonte, *& hic ponet* (sub. te ventus) *in elatione fluctuum tuorum.*

10 *Qui emittit fontes in conuallibus*: &c. Repete ex primo versu, *Benedic anima mea Domino*, qui emittit &c. Postquam de mari egit, commodùm meminit fontium, eorum describens situm, & vsum. *Inter medium montium pertranseunt*, ad verb. *inter montes ambulabunt*, pro, *ambulant*, futuro hîc & deinceps loco præs. pro more. Ambulant, non stant, quò ad plures beneficium pertineat. Addo, Nisi fontium, &, quæ ex his fiunt ac nascuntur, fluminum aquæ fluerent, facile putrescerent. Atque hæc caussa est, inquit Kimhi, cur Deus, aquas maris sale veluti condierit, ne, quia non fluunt, ac mouentur, ipsæ putrescerent, & aërem suo fœtore inficerent.

11 *Potant* inde ex fontibus, &c. In Heb. *Adaquant*, ad verb. *Adaquabunt*, fontes illi scilicet, *omnes bestias agri. Frangunt*, hoc est, extinguunt ac sedant. *Onagri*. Onagrorum meminit, quòd hoc animal, vnde & nomen inuenit, in desertis viuat, ideóque sæpe laboret siti. *Frangunt*. Græc. & Lat. *expectabunt*, in illis fontibus, ex יְשַׂבְּרוּ *iesabberu*, per שׂ, pro יְשְׁבְּרוּ *yschberu*, per שׁ. Symm. vertit ἀιαχτήσονται ὄναγροι δίψαν αὐτῶν. *Sitim suam*. Græc. εἰς δίψαν αὐτῶν; Lat. *in siti sua*. In Fonte nulla est præpositio.

12 *Super* (*Iuxta*) *eos* fontes *volucres cæli habitant*. Pleræque auium propter fontes ac fluuios sedent ac commorantur: quædam etiam super aquas crescunt: aues enim sunt aqueæ naturæ, iuxta illud Gen. 1. 20. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile (quod) volet super terram*, quasi diceretur, Producant duas species, vnam, quę viuat in aquis, alteram, quæ volitet, atque etiam viuat in terra. Sic ferè Kimhi, qui admonet עַל *al*, (quod propriè est *super*) hîc significare *iuxta, prope*. Frequens est hæc significatio. *De medio frondium* arborum, quæ plurimę ad ripas crescunt, *dant voces*, indéq; garriunt & suauissimè cantillant potæ, & amœnitate loci allectæ. *Frondium*. Græc. & Lat. *petrarum*, ex כֵּיפָּאִים *cephaim*, pro עֳפָאִים *aphaym*. Similitudo vocis decepit. Doctissimus Collega noster Gabriel Sionita vertit ex Syro *de medio montium edunt murmur*, scilicet aquæ: id quod fauet Græcæ & Latinæ versioni.

13 *Qui rigat montes* &c. De aquarum fontanarum, atque adeo fluuialium vsu egit: nunc de pluuia dicere incipit. *De superioribus* (prop. *cœnaculis*) *suis*, id est, nubibus, vt vers. 3. *Montes*, qui perpetuò sicci, adeóque steriles essent, nisi pluuia irrigarentur. *De fructu operum tuorum* &c. Repentina hîc enallage personæ in pronomine. *Operum tuorum*, id est, arborum, ex Ezra. Kimhi vult idem dici in posteriore quod in priore membro, & per *fructum operum Dei* intelligendam esse pluuiam, quæ diuinæ sapientiæ opus sit, & insigne miraculum. Probat ex Iob 28. 26. vbi dicitur Deus ponere, ac præscribere pluuię legem. Necnon ex eiusdem cap. 38. 28. vbi scribitur, *Nunquid est* (sub. præter me) *pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris?* Opus Dei, inquit Kimhi, pater est, pluuia verò fructus. Certum est pluuiam caussas habere physicas: sed illas Deus non sine miraculo pro sua prouidentia ac sapientia plerumque moderatur, & regit. De hac re alibi iam dictum. Ego *per fructum operum Dei* intelligo simpliciter fructus, qui ex terra Dei operâ ita abundè proueniunt, vt iis vniuersa satietur terra.

14 *Qui producit* seu *germinare facit fœnum iumentis*, &c. Sensus, Deus terram pluuiâ irrigando producit fœnum in vsum iumentorum ac pecudum, necnon herbam ad præcipuum hominis alimẽtum destinatam, videlicet frumentum ac triticum, quò spectat posterius membrum, *vt educat*, ipse homo, *panem de terra*. *Seruituti hominis*, id est, ad vsum & alimentum hominis, Gallicè *au seruice de l'homme*. Potest verti, ac sic ex Ezra & Kimhi vertendum, *& herbam ad culturam hominis*, hoc est, herbam ex cultura hominis duntaxat prouenientem, triticum nimirum, vt ex sequente membro constat, quod triticum ex terra hominis cultura præparata prouenit, cùm fœnum aliáque eiusmodi ad bestiarum vsum pertinentia spontè è terra nascantur. Voluit sic ac decreuit Deus, dicens, *In sudore vultus tui vescèris pane*, Gen. 3. 19. Alij aliter interpretantur hunc versum. Mihi sic visum est interpretari.

15 *Et vinum, (quod) lætificat cor hominis, vt*
exhilaret (ex Ezra, *lucere* seu *niterefaciat*)
faciem præ oleo: &c. In hoc versu duo simul
complectitur, quibus præsertim hominis
vita sustentatur, vinum scilicet, & panem,
quorum duorum virtutem declarat. De pa-
ne iam egerat, sed quæ esset eius virtus, non
docuerat. Nunc docet. Sensus igitur huius
versus est, Deus quoque è terra vinum pro-
ducit, cuius beneficio cor hominis sic re-
creatur, vt etiam facies ipsa, in qua statim
lætitia cordis sese prodit, hilarior efficiatur,
magisque splendescat, quàm si oleo esset
peruncta. *Præ oleo*, id est, magis quàm oleum
nitere facit. Ex Rasi vertendũ, *vt exhilaret*
seu *nitere faciat faciem ex* (*in*) *oleo*, & expo-
nendũ, & oleũ, vt eo exhilaret seu nitere fa-
ciat vultum. Non probo, etsi hũc multi se-
quũtur, & hoc sensu videtur accepisse Græ-
cus & Latinus. Nota in hoc versu vsurpari
bis nomen אֱנוֹשׁ *enosch*, quod hominem, vt
fragilem & imbecillum, propriè significat.
Aptè quidem, & loco, vbi de miseri homi-
nis vita vino recreanda, & pane fouenda,
fulciendáque agitur. De vino ait tantùm
lætificat: at de pane *fulcit* seu *confirmat*: quòd
panis omnino ad vitam conseruandam per-
tineat, non item vinum. Vino porrò opti-
mè *lætificandi* verbum conuenire nemo
nescit, illique tribuitur Iud. 9. 13. vbi vi-
num dicitur *lætificare Deum & homines*.
Deum, dum illi in libamen offerretur, &
quidem cum cantico ad hilaritatem testan-
dam, quod vino erat peculiare, si Hebræis
credimus: homines verò, dum modicè ab
illis sumitur. Verbum *confirmandi* seu *ful-
ciendi* pani tribuitur Gen. 18. 5. *Accipiám-
que buccellam panis, & fulcite cor vestrum*.
Necnon Iud. 19. 5. *Fulci cor tuum buccella
panis*.

16 *Saturantur arbores Domini*: &c. *Satu-
rantur* pluuia, quum, vt est paulò ante, ri-
gat Dominus montes de cœnaculis suis.
Arbores Domini, id est, arbores altæ & pro-
ceræ, pro consuetudine Scripturæ, de qua
dictum est alio loco diligentiùs. Fieri potest,
teste Kimhi, vt *arbores Domini* appellet,
quæ sponte sua sine vlla hominum cura,
culturáve oriuntur & crescunt. *Arbores
Domini*, id est, arbores, quę ex vi solummo-
do tęrræ diuinitus impressa nascuntur. Sic
accipiendum, inquit idem Kimhi, quod
sequitur, *cedri Libani quas plantauit*, Domi-
nus, dum terræ scilicet virtutem indidit il-
las producendi. Chald. *arbores Domini* in-
terpretatus est *arbores quas creauit Domi-
nus*.

17 *Illic aues nidificant*: &c. Omissis breui-
tatis ergò aliis arborum vtilitatibus, vt
quòd varios proferunt fructus, gratam vm-

A bram præbent, spectantium oculos incre-
dibili voluptate afficiunt, & cæsæ extruen-
dis nauigijs atque ædificijs materiam, igni
alimenta suppeditant, eas commodum &
tutissimum auibus præbere domiciliũ nunc
affirmat, proceras præsertim, de quibus
egerat in superiore versu. Nam procera-
rum arborum, quæ ferè infructuosæ sunt,
hic videtur vsus præcipuus, præsertim dum
viuunt. *Ciconiæ abietes sunt domus*. Ad verb.
Ciconia, abietes domus eius: vbi pro consue-
tudine linguæ Hebraïcæ eleganti simul est
B relatiuum cum antecedente. Perspicua hîc
est sententia: Ciconia in abietibus, cedris,
aliisque altioribus arboribus sibi domici-
lium ac nidum extruit. Quis dubitat? Græ-
cus & Lat. longè à Fonte videntur recessis-
se, vertentes, ille, τῶ ἐρωδιῶ ἡ κατοικία ἡγεῖται
αὐτῶν; hic, *Herodij domus dux est eorum*.
Huius interpretationis occasionem facilè
nos deprehendimus. Nam dubio procul le-
gerunt, pro, בְּרוֹשִׁים *beroschim*, i. *abietes*,
בְּרֹאשָׁם *beroscham*, i. *in capite eorum*, & *caput*
iudicarunt metaphoricè hîc, vt aliàs inter-
C dum, poni pro duce: vnde pro eo, quod
ad verbum illorum opinione legebatur,
Ciconia, seu *Herodius*, (parum refert) *in ca-
pite eorum* passerum, seu *earum* auium *do-
mus eius*, verterunt, scilicet perspicuitati
studentes, *Herodij domus dux est eorum*, hoc
est iuxta Genebrardum, qui hîc suo more
subtiliter argutatur, Herodius præest
passeribus, ducit auiculas ad illum locum,
index est viæ. Verum sit hoc, necne, non
est mei instituti quærere. Certè scio in He-
bræo sensum esse perspicuum & cohæren-
tem. Præterea video Aquilam dudum ver-
tisse, ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτοῦ, *Erodio abietes*
D *domus ipsi*. Symm. τῷ ἰκτῖνι βοράτ οἶκος, *Miluo
borat* (*i. abies* ex Chald.) *domicilium*. D.
Hieronymum: *Miluo abietes domus eius*, seu,
vt ipse etiam in Epist. ad Suniam testis est,
Milui abies domus est. Video quoque legens
Epistolam ad Suniam eundem D. Hiero-
nymum obseruare Sextam editionem ma-
nifestiùs interpretatam esse, *Miluo cupressus
ad nidificandum*. Ferè prætermiseram Syrum
interpretem, qui vertit, *Ciconiæ nidus est in
abietibus*. Chaldæum, qui interpretatus est,
E *Ciconiæ*, iuxta alios *Milui*, *abietes sunt domus
habitationis*. Agellius Episcopus Acernen-
sis, vir pius iuxta & doctus, & Septuaginta
interpretum maximè studiosus, fatetur in-
genuè difficile esse intelligere quid Septua-
ginta hoc loco voluerint, faciliúsque He-
bræos interpretari. Folengius, Mantua-
nus, Monachus Cassinas, addictior alio-
quin Vulgatæ versioni, partem huius ver-
sus subobscuram videri affirmat, quæ ta-
men ex Hebræo dilucidior fit. Addit, quid

sibi velit, *dux est eorum*, vix augurari, vel eò maximè, inquit, quòd nullus ex Hebræo, quod sciam, legit dux, sed abies. Nec ipse aliter hanc partem, quàm Hebræi exponit.

18 *Montes excelsi* (sub. ex posteriore membro *refugium*) *ibicibus* vel *rupicapris*: & cæt. Postquàm ostendit cui vsui sint proceræ arbores, nunc docet cui montes excelsi, hósque ait, necnon petras feris quibusdam latebras præbere. *Ibicibus.* Ibicum meminit, quòd montes maximè persequantur. Inde Iob 39. 4. *ibices petræ.* *Petræ refugium cuniculis.* quid veriùs? Cuniculi gaudent in effossis foraminibus petrarum versari ac delitescere. A versu septimo opus tertij diei duntaxat persequutus est. Nam quod de auibus dixit, illud referri debet ad arbores eius diei opus: quod verò de feris, ac bestijs, ad montes, & petras, quæ etsi primo die vnà cum terra creata sunt, nihilominus ad tertium diem pertinere possunt, quo die, compulsis aquis inferioribus in locum vnum, apparere cœperunt montes & petræ, ita vt viderentur ascendere montes, ac descendere valles, quemadmodum dicitur suprà, vers. 8.

19 *Fecit lunam in tempora*: &c. Nunc de opere quarti diei agit, magnis illis videlicet luminaribus, luna, & sole, quæ die quarto Deus creauit, vt diuiderent diem ac noctem, & essent in signa, ac tempora, & dies & annos, quemadmodum scribitur Gen. 1. vers. 14. & sequentibus. Sed cur de luna, quæ minus est luminare, primo loco agit? Propterea quòd nox, inquit Kimhi, præcedat diem: & quarta nocte luna & stellæ lucem ministrauerint, manè verò eiusdem diei ortus fuerit sol. Quod ait lunam esse factam in tempora, hoc est, distinguere ac notare tempora, illud etiam Kimhi de solè putat esse accipiendum, iuxta illud Genes. loco mox citato, *Fiant luminaria in firmamento cæli, vt diuidant diem ac noctem, & sint in signa ac tempora, & dies, & annos.* Existimo ego lunam potissimùm à Deo factam dici in tempora, quòd Iudæi, vt aliæ pleræque gentes, annis vterentur lunaribus, & ex lunæ cursu temporum spatia distinguerent, menses ac festa notarent, quemadmodum ex Exod. & Leuit. constat. Author libri, qui Ecclesiasticus inscribitur, apertè à nobis facit, qui cap. 43. vers. 7. & sequentibus sic ait, *Et lunam fecit ad stationem in tempore suo, ostensionem (indicium) temporum, & signum æui.* (quo in loco, vbi in Vulgatis exēplaribus Græcis legitur, Καὶ σελήνην ἐποίησεν &c. testis est Drusius M S. habere καὶ σελήνη ἐν πᾶσι &c. háncque lectionem esse & codicum impressorum Aldi, Basileensis, Rom.

A editionis, & eius exemplaris, quo vsus fuit interpres noster, qui vertit, *Et luna in omnibus* &c.) Ac pergit idem Eccles. *A luna signum diei festi*, &c. *Mensis secundùm nomen eius est.* *Sol cognoscit occasum suum*, hoc est, sol nunquam ab occasu aberrat, &, quasi viam norit, eò rectà & absque vllo errore quotidie reuertitur. Simpliciùs, sol nouit suo tempore occidere. quod porrò de occasu ait, idem de ortu est áccipiendum. Sed cur non etiam de luna hoc dixit? Propterea quòd, inquit Ezra, lunæ multæ sint B variationes in lumine ac motu: vna autem oriendi & occidendi via sit soli. Ego censerem verti posse, *sol cognouit occasum eius*, lunæ scilicet, quasi diceret, sol, dum manè quarti diei ortus est, vidit & cognouit occasum lunæ, quòd luna tunc occideret. Vel, sol, quasi nosset lunæ occasum, adeóque suo lumine mortalibus opus esse, ortus est statim post illius occasum. Vtroque modo phrasis erit Poëtica, pro, statim post lunæ occasum sol ortus est. Sed fortasse hęc sunt argutiora, & supponunt noctem die C priorem fuisse, quod tamen est incertum, etsi Hebræi, mea quidem sententia, probabiliùs affirmant. Atque duplex ratio præsertim me mouet vt cum Hebræis sentiam. Vna, quòd cap. 1. Gen. perpetuò dicatur, *Et fuit vespera, & fuit manè dies* &c. priore loco sēper nominatâ vesperâ. In hoc quoque Psalmo priùs de nocte, deinde de die agitur, vt ex sequentibus versibus videre erit. Altera, quòd Iudæi olim à Mose verbis Dei iussi sint diem à vespera exordiri ac D supputare. Verùm hæc obiter tantùm, déque his doctioribus iudicium.

20 *Ponis tenebras*, &c. Exponit nunc aliquas vtilitates, quas ex noctium & dierum vicissitudine animalia percipiunt. *Ponis tenebras, & fit nox*, id est, Tuo statuto ac decreto quotidie occidit sol, sícque tenebræ terris inducuntur, fitque nox. *In ipsa pertranseunt* seu *ambulant* &c. Omissa quiete, quam corporibus hominum diurnis laboribus fatigatis, humidæ noctis tenebræ sua- E dent ac conciliant, dicit feras syluestres, quę de die metu hominum prodire non audènt, noctu è suis lustris proreptare, quò prædas agant: idq; leonum exemplo in sequente versiculo declarat. *Pertranseunt.* Ex Hebr. ad verb. *reptant*, quod Kimhi hîc vult accipi pro *incedere* seu *ambulare* simpliciter, sicut & Gen. 9. vers. 2. *cum vniuersis quæ mouentur*, ex Hebr. ad verb. *reptant, super terram.* Vide locum.

21 *Leunculi rugiunt ad prædam*: &c. Leones, ait, ferox alioquin animal, interdiu metu hominum in antris etiā delitescere, nec nisi noctu ferè ad prædā prosilire. *Leun-*

culi. Vox Hebraïca כְּפִירִים *cephirim*, leunculos propriè designat, qui iam adulti incipiunt è lustris progredi ad prædam, maiores videlicet catulis, qui nondum ad prædam excurrunt. Varia sunt apud Hebræos leonis nomina pro diuersa ætate. *Rugiunt* fame extimulati *ad prædam*, hoc est, quærentes prædam, non nacti, vti ex posteriore membro constat. Leones inhiantes prædæ circumeunt rugientes. Hinc illud primæ Petri quinto, *aduersarius vester diabolus tanquā leo rugiens circuit quærens quē deuoret.* *Ad prædam.* Græcus & Latinus, eodē sensu, *vt rapiant*, qui fortasse per infin. legerunt לִטְרֹף *litroph*, pro לַטָּרֶף *lattareph.* *Et ad quærendum à Deo escam sibi*, ad verb. *suam.* Quî hoc leones possunt? Non illi Deum cognoscunt quidem, nec de Deo cogitant, sed quum omnia oculis collustrant, aut aures aduertunt, num qua sese offerat prædà, tum à Deo, cuius est de cibo prouidere omni animanti, videntur escam efflagitare: non secus ac vulgò dicitur infans vagitu suo escam à matre petere, qui tamen matrem nondum cognoscit. Hoc sensu Psalmo 147. 9. pulli coruorum dicuntur inuocare Deum. Huc pertinet & illud Iob 39. 3. *Quis præparat coruo escam suam*, (*ipsius*,) *quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos?* Huc refer quoque versum vigesimum septimum huius Psalmi. Ea quæ casu & fortuitò contingere videntur, ad prouidentiam etiam diuinam pertinent. Inde fit, vt quum Exodi capite 21 versu 13 de eo, qui non ex insidijs, sed *fortuitu absque odio & inimicitijs*, vt est Numerorum capite 35. versu 22. ac *nesciens*, vt est Deuteronomij capite 19. versu 4. alium interfecerit, agitur, sic loquatur Scriptura, *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius*: &c. Deus illum tradidit propter scelus aliquod, ex Ezra, aut aliam causam. Igitur nihil fit nisi Dei voluntate & consilio.

22 *Oritur sol*, &c. Perinde est ac si diceret, Oriente sole feræ belluæ lucem non ferentes, sibique metuentes ab hominibus, qui tum ad colendos agros è domibus exiliunt, in sua se lustra colligunt, ac recipiunt, ibique diem totum conclusæ quiescunt. *In* אֶל *el*, pro *in*, teste Kimhi.

23 *Exit* verò tunc *homo*, postquàm noctu quieuit, *ad opus suum & ad operationem* ac culturam *suam* in agrum *vsque ad vesperum*, quo tempore vrbem ac domum repetit, feris iterum sua cubilia relinquentibus, pérque agros prædam agentibus. *Vsque ad vesperum.* Hic modus ac terminus præscribitur hominum operæ. Non enim vult Deus hominem vires suas nimio labore atterere, sed alternis quietis vicibus recreare & confirmare.

24 *Quàm magna*, vel *multa sunt opera tua Domine!* &c. Ex admiratione earum, quas dixit, rerum, & aliarum, quæ sese offerunt dicendas, in hanc exclamationem erumpit. *Magna*, vel *multa sunt.* רַבּוּ *rabbu* vtrumque significat, & accommodatum est verbum ad Dei opera, quæ simul multa & magna sunt. *Omnia ipsa*, quæ cernimus, siue in cælo, siue in terra, *in sapientia fecisti*, eáque tuam sapientiam testantur. *Impleta est est terra possessione tua*, ad verb. *possessionibus tuis*, id est, opibus, quibus nos ditas. Nihil est in terra vacuum tuis opibus. *Possessione tua.* Græco τῆς κτίσεώς σου, hoc est, *creatura tua*, quomodò editionem Romanam veterem habere, neque opus fuisse mutare notat Agellius. Aquila, Symm. Theod. τῆς κτήσεώς σου, hoc est, *possessione tua.* Idem semper est sensus: etsi hi propiùs ad Fontem accedunt: nomen enim קִנְיָן *kinian*, *possessionem* significat, estque à verbo קָנָה *kana*, quod est *possidere*: quanquam à Græc. redditur interdum per verbum κτίζειν, cum ἰῶτα, quod significat *creare*, putà Genesis capite 14. versu 19. *Benedictus Abram Deo excelso, possessori cæli & terræ*, pro quo in Græco ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν; vnde & in Latino, *qui creauit cælum & terram.* Similiter & græc. versu 22. Prouerbiorum quoque capite 8. versu 22. vbi in Hebr. & Lat. *Dominus* קָנָנִי kanani, i. *possedit me in initio viarum suarum*, &c. Græcus vertit Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, &c. Quæ Græca versio fecit, vt Arrius impiè Christum vocaret κτίσμα ἐκ τῶν μὴ ὄντων. Verùm censerem ego istis omnibus in locis legendum & corrigendum ἔκτησε, & hic κτήσεως, per η.

25 *Hoc mare magnum*, &c. Sed & vastum illud mare, minus alioquin tuis opibus diues, habet quoque multa admiranda. *Hoc*, omnibus scilicet notum. *Magnum* longitudine, *& latum manibus*, hoc est, latitudine spatiosum, latum locis seu spatijs. *Manus* hîc pro locis vel spatijs, vt alibi. Græcus vertit εὐρύχωρος, id est, *latum spatijs*: Lat. *spatiosum manibus.* Similis est loquendi modus Esaiæ capite 22. versu 18. *terram latam manibus*, in Vulg. *latam & spatiosam.* Quibus verò præsertim vsui est mare? Piscibus. Nam *illic reptilia, quorum non est numerus*, &c. Nunc igitur de piscibus, qui die quinto creati sunt, ordine agit. De auibus, etsi ad quintum diem quoque pertinent, nihil dicet, quia iam suprà ex occasione egit, vbi de arboribus. *Quorum non est numerus*, iuxta species, etiam.

26 *Illic naues pertransennt.* Heb. *ambulant.* Magnum hoc diuinarum laudum argumentum,

mentum, quòd cùm homo pedibus mare peragrare non possit, Deus illum, Noë scilicet, artem fabricandarum nauium docuerit, quarum beneficio tam securè ac facilè in humido illo elemento versetur, quàm in terra, tam facilè, imò faciliùs in mari pisces venetur, quàm in syluis ceruos, apros, ac lepores. Absque nauibus esset, homo in pisces maris nihil posset, cùm tamen Gen. 1.26. dixerit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris.* Necnon versu 28. *& dominamini piscibus maris.* Absque nauibus esset, quot mercibus careremus, quæ solo mari importantur, & exportãtur? *Draco iste* marinus, cete videlicet, (*quem) formasti* &c. subaudi ex priore membro, illic ambulat. (*Quem) formasti ad ludendum in eo* mari. Sensus est, quem creasti, vt in mari dominium obtineret, cæteros omnes pisces pro nihilo habens, ijsque illudens. Phrasis poëtica *ludere cetum in mari*, pro, cetum principatum obtinere in mari, ita vt omnia, quæ in mari sunt, præ se contemnat, & merus ei lusus sit cæteros pisces capere, ac venari. Sic hoc ferè ex Kimhi exponimus, qui obseruat *ludere* accipi debere hoc loco, vt Habacuc 1.10 *Et ipse* (Nabuchodonosor) *Reges subsannat, & principes lusus* seu *risus (sunt) ei: ipse omni munitioni illudit*, seu *omnem munitionem ridet.* Potes vertere eodem sensu, *ad illudendum ei*, scilicet mari, hoc est, vt illudat omnibus, quæ sunt in mari. Lat. sic habet, apud quem tamen, *ei*, non videtur ad mare referendum, quoniam Græcus, quem sequitur, vertit αὐτῷ, quod ad θάλασσαν non potest pertinere, propter dissidium generis. Campensis hanc huius versus partem sic μεταφράζει, ipsi ceto eas vires tribuisti, vt ridere audeat, & contemnere reliqua, quæ degunt in mari, omnia. Ex Rasi, & alijs quibusdam Hebræorum magistellis vertendum esset, (ac miror sic quoque vertisse Pagninum) *Leuiathan iste, (quem) formasti ad ludendum cum eo.* Fingunt enim stolidi atque insani homines Deum quotidie à prandio tres horas. Sed horret mens referre. En tibi hactenus quinque dierum poëticè exposita opera: imò sex dierum: bestiarum enim ac iumentorum, necnon etiam ipsius hominis, quæ die sexto sunt creata, facta suprà mentio est, non seorsum quidem, sed simul cum aliis, ad quæ pertinent.

27 *Omnia ipsa ad te expectant*, &c quod non multò antè per occasionem de leonibus dixit, ipsos leones noctu prædas agere, & à Deo escam veluti reposcere, nunc in genere de omnibus animantibus affirmat. *Omnia ipsa* quæ vita prædita sunt. *Ipsa* demonstratiuè, & emphaticè. *Ad te expectant*, id quod nos solùm cognoscimus, qui scimus Deum dare panem omni carni, & vniuersis animantibus de victu prospicere, non illa verò quæ expectant, quia solo naturæ impulsu id faciunt absque vlla tui cognitione. Sic suprà leunculi dicuntur quærere à Deo escam. Sic Psalm. 147.9. pulli coruorum Deum inuocare. Sic Ps. 145.15. *Oculi omnium in te sperant, & tu das illis escam illorum in tempore opportuno*, Græc. ἐν εὐκαιρίᾳ, Heb. vt hîc, *in tempore suo. Escam ipsorum* propriam. Nam variæ varijs animantibus escæ conueniunt, & sua est cuique generi. Animantium aliæ herbis vescuntur, seminibus aliæ, animalibus aliæ. Græc. habet δοῦναι τὴν τροφὴν αὐτῶν: Lat. *vt des illis escam*. Ps. mox citato vtrumque est & in Hebr. & in Lat. *tu das illis escam illorum. In tempore suo.* Græc. εἰς εὐκαιρίαν. *Suo* in Fonte sing. numeri, hoc est, in tempore vniuscuiusque speciei: proprium enim est vnicuique speciei tempus ad parandam escam. *Suo* referri etiam potest ad escam.

28 *Dante te illis colligunt*: &c. Idem bis dicitur in hoc versu. Kimhi notat patrem suum Ioseph Kimhi priorem partem de ijs intelligere, qui in agrorum sterilitate hinc inde minutatim colligunt, posteriorem verò de ijs, qui Deo aperiente manum, hoc est, fertilitatis tempore, bonis ad satietatem fruuntur.

29 *Auertente (autem) te faciem*, &c. hoc est, Non suppeditante te illis ad victum necessaria, sicq; te ab illis quodammodo subducente, & curam subtrahente, necesse est illa turbari, & animis concidere. *Auertente (autem) te faciem.* Ad verb. *Abscondis faciem tuam. Turbantur* quum ait, vult significare omnia tunc animalia mox hærere attonita, adeo vt tandem, Deo auferente spiritum vitalem, deficiant, & in puluerem reuertantur, quò spectat posterius membrum. *Aufers*, ait, quia Deus est, qui spiritum largitur, vt sequens versus dicet. *In puluerem suum reuertuntur*: ablato enim spiritu corpus in puluerem, ex quo præsertim compositum est, reuertitur ac resoluitur. Si hominis corpus puluis est, & in puluerem reuersurum est, ex Gen. 3.19. quantò magis cæterorum animantium corpora? *Suum* quum ait, significare vult animantium corpora ex puluere potissimùm composita.

30 Mi*ttis spiritum tuum* viuificum, ac inspiras spiraculum vitæ, tu qui es Deus spirituum vniuersæ carnis: móxque *creantur* [Num. 16. 22.] alia in mortuorum locum, nouáque subinde fiunt, & nascuntur: sicque nouorum semper productione *renouas faciem terræ. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra*

autem in æternum stat, ait Ecclesiastes cap. 1. A 4. Manent vniuersalia, pereunt particularia. *Mittis*. Ergò animantia non generantur casu. Mystici, ex Hebręis etiam, putà Rasi, hunc versum accipiunt de resurrectione mortuorum.

31 *Sit gloria Domini in sæculũ*: &c. Repetitur propositio. *Sit*, id est, celebretur. *Gloria Domini*, quę ex sapiẽtia & potẽtia eius in mundi creatione & eiusdem conseruatione elucescit: quò spectat id quod sequitur, *Letetur Dominus in operibus suis*, cognoscens ac intelligens ea à nobis coli & laudari. Arti- B fex magis suo opere delectatur, quum videt ipsum laudari, ac probari. *Lætetur* metaphoricè de Deo. Potes vertere, *Erit gloria Domini in seculum: letabitur* &c. quasi absolutâ rerum creatarum narratione hoc dicat, Hæc porrò omnia, quæ sunt gloria Domini, & ex quibus eius gloria elucescit, longo tempore manebunt: vtque principiò Deus, postquam vniuersum mundum condidisset, lætatus est, quum *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, Gen. 1. 31. ita deinceps *letabitur in operibus suis*. Vltimo C modo Kimhi.

32 *Qui respicit terram*, &c. Sensus: Præpotens, inquam, ille Deus, qui vel solo aspectu terræ orbem, quando vult, sic totum concutit, vt tremat: qui solo tactu ita montes accendit, vt fumum & flammas vomant. Habebat fortè in mente montem Sinaï, qui *totus fumabat, eo quòd descendisset super eum Dominus in igne, cuius ascendebat fumus quasi fumus fornacis*, Exod. 19. 18. *Fumant*. Vulg. *fumigant*, pro, fumant.

33 *Cantabo Domino* &c. Vir sanctus admirabilis huius mundi opificij contemplatione ad cultum, & venerationem Dei vehementer inflammatus profitetur se vitam omnem in celebrãdo Deo consumpturum. *Cantabo* voce. *Psallam*, adhibitis etiam musicis instrumentis. *In vita mea*, idem est atque *quandiu fuero*, in hac vita scilicet. Quid igitur? Supersedebit ab officio laudandi Dei post mortem? Minimè. Nam hìc tantùm de celebrandis Dei laudibus inter mortales agere vult. Qua de re dictum aliàs copiosiùs. Cassiod. Et ne crederes, inquit, laudes istas morte posse finiri, adiecit, *psallam Deo meo quandiu sum* vel *ero*, scilicet in futuro seculo, vbi psalmodia non habet finem.

34 *Iucundum* seu *Suaue erit super eum* (*de eo*) *eloquium meum* seu *meditatio mea*. Sensus, Suaue mihi erit deinceps de eo loqui aut meditari: quò & pertinet, *ego delectabor in Domino*, quod nihil aliud est, quàm, ego lætus & alacer Deum celebrabo.

35 *Deficiant peccatores*, qui tot & tanta opera Dei non celebrant, nec ad ea aduertunt. Imprecatio ex zelo & studio gloriæ diuinæ proficiscens. *Benedic anima mea Domino*. Repetit initium Psalmi. Et quoniam non satis esse existimat, si solus Dei laudes prædicet, cæteros quoque ad eam rem hortatur, quum ait הַלְלוּיָהּ *haleluiah*, quod Latinè sonat, *Laudate Dominum*.



PSALMVS

CV. CIV.

VERSIO

NOVA.

CONFITEMINI Domino, inuocate nomen eius: [a] annuntiate inter Gentes opera eius.

a cognoscere facite

2 Cantate ei, psallite illi: narrate omnia mirabilia eius.
3 Gloriamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.
4 Quærite Dominum & fortitudinem eius: quærite faciem eius semper.
5 Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigiorum eius, & iudiciorum oris eius.
6 O semen Abraham serui eius, filij Iacob, electi eius.
7 Ipse Dominus Deus noster, in vniuersa terra iudicia eius.
8 Memor fuit in seculum [b] testamenti sui, verbi (quod) mandauit in mille generationes,
9 Quod pepigit cum Abraham, & iuramenti sui ad Isaac:
10 Et statuit illud Iacob in statutum, Israël in [c] testamentum æternum:
11 Dicens, Tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis vestræ.
12 Quum essent numero breui: paucissimi, & [d] incolæ eius:
13 Et pertransirent de gente [e] in gentem: de regno ad populum alterum:
14 Non reliquit hominem [f] nocere eis, & corripuit [g] pro eis reges,
15 (Dicens,) Nolite tangere Christos meos, & Prophetis meis nolite malefacere.
16 Et vocauit famem super terram, omne [h] firmamẽtum panis contriuit.
17 Misit ante eos virum: in seruum venundatus est Ioseph.

b pacti
c fœdus
d peregrini in ea.
e ad
f iniuria afficere eis,
g propter eos
h ad verb. baculum

VETVS.

CONFITEMINI Domino, & inuocate nomen eius: annuntiate inter Gentes opera eius.
2 Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.
3 Laudamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.
4 Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.
5 Mementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & iudicia oris eius.
6 Semen Abraham, serui eius: filij Iacob electi eius.
7 Ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.
8 Memor fuit in seculum testamenti sui; verbi, quod mandauit in mille generationes:
9 Quod disposuit ad Abraham: & iuramenti sui ad Isaac:
10 Et statuit illud Iacob in præceptum: & Israël in testamentum æternum:
11 Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.
12 Cum essent numero breui, paucissimi & incolæ eius:
13 Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum:
14 Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.
15 Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.
16 Et vocauit famem super terram: & omne firmamentum panis contriuit.
17 Misit ante eos virum: in seruum venundatus est Ioseph.

18 *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſijt animam eius, donec veniret verbum eius.*
19 *Eloquium Domini inflammauit eum: miſit rex, & ſoluit eum; princeps populorum, & dimiſit eum.*
20 *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.*
21 *Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum: & ſenes eius prudentiam doceret.*
23 *Et intrauit Iſraël in Ægyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.*
24 *Et auxit populum ſuum vehementer: & firmauit eum ſuper inimicos eius.*
25 *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius: & dolum facerent in ſeruos eius.*
26 *Miſit Moyſen ſeruum ſuum; Aaron, quem elegit ipſum.*
27 *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum: & prodigiorum in terra Cham.*
28 *Miſit tenebras & obſcurauit: & non exacerbauit ſermones ſuos.*
29 *Conuertit aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum.*
30 *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipſorum.*
31 *Dixit, & venit cœnomyia: & cinifes in omnibus finibus eorum.*
32 *Poſuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum.*
33 *Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.*
34 *Dixit, & venit locuſta, & bruchus: cuius non erat numerus.*
35 *Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.*
36 *Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.*
37 *Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in Tribubus eorum infirmus.*

18 Afflixerunt in compedibus pedes eius: (in) ferrum venit anima eius.
19 Donec veniſſet verbum eius: eloquium Domini purgaſſet [i] eum.
20 Miſit rex, & ſoluit eum: dominator populorum, & dimiſit eum.
21 Conſtituit eum dominum [k] domus ſuæ, & [l] principem omnis poſſeſſionis ſuæ:
22 Vt [m] vinciret principes eius in anima eius, & ſenes eius prudentiam doceret.
23 Et intrauit Iſraël in Ægyptum, & Iacob [n] incola fuit in terra Cham.
24 Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum [o] ſuper inimicos eius.
25 Conuertit cor eorum vt [p] odirent populum [q] eius: vt dolum facerent in ſeruos eius.
26 Miſit Moyſen ſeruum ſuum: Aaron, quem elegit ipſum.
27 Poſuerunt in eis verba ſignorum eius, & prodigia in terra Cham.
28 Miſit tenebras, & obſcurauit: & non repugnarunt [r] ſermonibus eius.
29 Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.
30 Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipſorum.
31 Dixit, & venit cœnomyia: cyniphes in omnibus finibus eorum.
32 [s] Poſuit pluuias eorum grandinem: ignem flammantem in terra ipſorum.
33 Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit [t] lignum finium eorum.
34 Dixit, & venit locuſta, & bruchus, [u] quorum non erat numerus:
35 Et comedit [x] omne fœnum in terra eorum, & comedit fructum terræ eorum.
36 Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis roboris eorum.
37 Et eduxit eos cum argento & auro: & non (erat) in Tribubus [y] eorum infirmus.

i vel illud.
k heb. domus ſuæ,
l heb. dominatorem in omni poſſeſſione ſua:
m vel erudiret
n peregrinatus eſt
o præ inimicis
p odio haberent
q ſuum:
r vel verbo
s Dedit
t arbores
u & non numerus.
x omnem herbam
y In fonte ſuos

z egressione 38 Lætata est Ægyptus in [z] profe-
ctione eorum: quia incubuerat timor
eorum super eos.
39 Expandit nubem in tegumentum,
a illustraret & ignem vt [a] luceret eis per noctem.
noctem. 40 Petierunt, & venire fecit coturni-
ces: & pane cæli saturauit eos.
b prop. A-perait 41 [b] Dirupit petram, & fluxerunt
c sicco aquæ: abierunt in [c] sicco (instar) flu-
minis.
42 Quoniam memor fuit verbi san-
d serui cti sui, Abraham [d] pueri sui.
43 Et eduxit populum suum in exul-
tatione, electos suos in lætitia.
44 Et dedit illis [e] regiones Gen-
e terras f laborem tium: & [f] labores populorum posse-
derunt:
45 Vt custodirent statuta eius, &
g Halelu-iah. leges eius conseruarent. [g] Alleluia.

38 *Lætata est Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.*
39 *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem.*
40 *Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli saturauit eos.*
41 *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina:*
42 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.*
43 *Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia.*
44 *Et dedit illis regiones Gentium: & labores populorum possederunt:*
45 *Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Alleluia.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. H*Vnc Psalmum composuit Dauid, quum Arcam è domo Obed Gethæi in vrbem Dauidis transferret, ipsúmque tradidit Asapho eiúsque fratribus, qui coram Arca ab illis decantaretur, sicuti scriptum est 1. Par. 16. quo in loco tot & iisdem ferè vocibus descriptus reperitur, vsque ad hæc verba vers. 15.* & in Prophetis meis nolite malignari. *Cùm verò Dauid hunc codicem Psalmorum colligeret, hunc quoque Psalmum adscripsit, quem & amplificauit addita longa historia posterorum Abrahami vsque ad possessionem terræ Israël. Scripsit autem tunc Psalmos duos, hunc, & Psalmum* Cantate Domino omnis terra, (*qui item Psalmus legitur in loco Paral. citato, pérque omnia ferme similis est Psalmo 96.*) *Sic ferè Kimhi, qui obseruat præterea Magistros suos dicere hunc Psalmum manè, illum verò, nimirum* Cantate Domino *&c. inter duas vesperas à Dauide decantatum. Obseruat item hos Psalmos duos quotidie in Arcæ conspectu fuisse decantatos, donec Salomon intulit Arcam in Templum, quod ipse vocat Domum seculorum.*

1 *Confitemini Domino*, &c. Hæc sunt Dauidis ad cantores ipsos, & reliquam multitudinem. *Inuocate nomen eius*, ipsum orando, quo modo Psal. 116. 13. *& nomen Domini inuocabo*: vel docendo viam Domini, quo modo Gen. 13. 4. (& 21. 33.) *& inuocauit ibi Abram nomen Domini*: hócque est quod sequitur, *annunciate* (*scire facite*) *inter Gentes* (*populos*) *opera eius*, id est, quæ fecit Philistæis propter Arcam. Kimhi. Vltimo modo accepit etiam Ezra. Sed ego sumo priore modo ac simpliciter: nec arbitror in locis Gen. citatis necesse esse phrasim illam cum istis Hebræis interpretari.

2 *Cantate* ore, *psallite* instrumento. *Narrate* &c. prop. *alloquimini de omnibus mirabilibus eius*, Arcæ videlicet mirabilibus, & aliis quæ fecit Deus apud vos. Kimhi.

3 *Gloriamini* &c. Sensus, Vos potestis iure merito gloriari super omnes populos, *in*

A *nomine sancto eius*, quod tot miraculis ex Arca prodeuntibus vehementer sanctificatum est.

4 *Fortitudinem eius.* Ezra & Kimhi Arcam interpretantur: quasi nimirum diceret, Adite Dominum & Arcam eius, atque ipsum deprecamini. Arca Ps. quoque 78. 61. *fortitudo* nominatur, *Et tradidit in captiuitatem fortitudinem suam.* Chald. *Legem Dei* exponit. Græcus & Lat. verterunt *con-*
B *firmamini*, legentes in Imp. Kal עזו *ozzu*, vbi hodie Hebræi עזו *uzzo.*

5 *Mementote* in animo *mirabilium eius*, *& prodigiorum eius*, quæ fecit Israëlitarum gratia in Ægypto, deserto, & postquam ingressi sunt terram, necnon nuperrimè per Arcam apud Philistæos. Eadem vocat *indicia oris eius*, quoniam omnia fiebant eius iussu, & mandato. Sic ferè ex Kimhi. Ezra *mirabilia eius quæ fecit*, ad opus cæli & ter-

ræ, *prodigia* ad Ægyptum, *iudicia oris eius* A
ad montem Sinai refert.

6 *O semen Abraham serui eius*. 1. Paral. 16. 13. *O semen Israël serui eius*, quod idem est. Nam *semen Abraham* de Israëlitis duntaxat, non de reliquis Abrahami posteris est intelligendum: quomodò ipsi Abrahamo dicit Deus Gen. 21. 12. *in Isaac* (excluditur Ismaël) *vocabitur tibi semen*: & Isaac ipsi Iacob Gen. 28. 4. *Et det tibi benedictionem Abraham, tibi & semini tuo tecum*. Ex quo intelligitur semen peculiare ac proprium Abrahamo, semen esse Israël (seu Iacob.) Ac certè hic seipsum postea explicat dicēs, *filij Iacob, electi eius*, quasi diceret, quod B
autem illud *semen Abraham? filij* scilicet *Iacob, electi eius*, quos scilicet Deus elegit ex reliquis Abrahami posteris. Sic ferè Kimhi. Excludit igitur (hoc ego addo) posteriore membro Ismaëlitas, & Esauitas, qui secundùm carnem quidem ab Abrahamo originem ducebant, sed ad quos non pertinebat repromissio. Abrahamus enim cùm duos filios habuerit, (vt omittam quos illi genuit Cethura) Ismaël ex Agar ancilla, Isaac ex Sara primaria coniuge, ad hunc tantùm pertinuit repromissio, de qua po- C
stea dicetur: Isaac item cùm ex Rebecca duos, Esau & Iacob: ad hunc solum pertinuit repromissio: Iacob verò ex Lia & Rachel duodecim filios suscepit, ad quos omnes pertinuit repromissio. Quæ causa est quamobrem hic dicatur, *filij Iacob, electi eius*, in num. multitudinis, vti mox obseruabitur. Atque huc referendus Ps. 135. vers. 4. *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, & Israël in possessionem* (*peculium*) *sibi*. Cur ergo hic dicitur *semen Abraham?* Quòd Israëlitæ so- D
li, non autem alij, verum sint semen Abrahami, ad quod pertinebat repromissio Abrahamo primùm facta. *O semen Abraham* &c. facite nimirum quæ iubeo. Referri ergo hic versus debet ad superiores. *Serui*. Sic in Vulg. ac putant nonnulli esse Genit. casus, & referendum ad Abraham, quod nomen in Fonte sit numeri sing. Alij referunt ad *semen*, quasi sit num. multitudinis: quo modo Græcus accepit, qui vertit σπέρμα αὐτῶ. Fauet his posterius membrum, *filij Iacob, electi eius*, vbi Heb. בְּחִירָיו *bechirau*, id est, E
electi eius in num. plur.

7 *Ipse Dominus Deus noster* &c. Quanquam *in vniuersa terra iudicia eius*, & omnem mundum ille administrat, *ipse* est *Deus noster*, nos autem populus eius. Kimhi. Hinc ac deinceps multa subiicit diuinarum laudum argumenta.

8 *Memor fuit* nec obliuiscetur *testamenti* (prop. *pacti*) *sui*, eius nimirum quod pepigit cum Abraham, vt in sequente versu declaratur. Sensus est, Fœderis illius cum Abrahamo initi memor fuit atque obseruator; próque illo semini ac posteris eius post generationes quatuor terram Chanaan possidendam tradidit. Obseruat Ezra זכר *Memor fuit*, dici זכרו *Mementote* versus quinti. *Verbi* (*quod*) *mandauit*, hoc est, pacti illius quod statuit, ac decreuit fore firmum ac ratum, *in mille generationes*, hoc est, diu, certo numero pro incerto, vel potiùs æternùm, si pactum illud ad promissiones spiritales per Christum implendas extenditur.

9 *Quod pepigit cum Abraham*. Fœdus intelligit quod pepigit Dominus cum Abrahamo, dicens, *Semini tuo dabo terram hanc* &c. Ritus huius fœderis copiosè describitur Gen. 15. *Et iuramenti sui ad Isaac*, quod scilicet ipsi Isaac repetiit, Genes. 26. 3. his verbis, *tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi* (heb. *iuraui*) *Abraham patri tuo*. &c. Ex Kimhi vertendum *de Isaac*, vt sit hic sensus, memor fuit iuramenti, quo Abrahamo sic est pollicitus, *in Isaac vocabitur tibi semen*, Genes. 21. 12. Bene ait *iuramenti*, quippe Deus ipse dicat, Gen. 22. 16. *Per memetipsum iuraui*. Confer hos omnes locos.

10 *Et statuit illud* iuramentum ipsi *Iacob in statutum* immotum ac fixum, ipsi *Israël* (Israël & Iacob idem sunt) *in testamentum* (*fœdus*) *æternum*. Æternum dici non potest illud fœdus, nisi quà ad promissiones spiritales illi adiunctas extenditur. Neque verò vox עולם *olam*, semper *æternum* significat, sed interdum bene longum tempus duntaxat, scilicet pro ratione rei, de qua sermo est. Ipsi porrò Iacob, non Esau facta est terræ promissio. En tibi Isaac sic Iacob alloquentem, Gen. 28. 3. & seq. *Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere faciat te atque multiplicet, vt sis in turbas* (*cœtum*) *populorum. Et det tibi benedictionem Abrahæ, tibi & semini tuo tecum, vt hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum, quam pollicitus est* (heb. *dedit*) *Deus Abraham*, in Vulg. *auo tuo*.

11 *Dicens* vnicuique horum. *Tibi dabo* &c. Hoc pactum & fœdus illud, hæc illius fœderis formula. Sic autem ad hunc locum Ezra, *Tibi dabo* verbo, & semini tuo reipsa. *Vestræ*. Enallage personæ in hoc pronomine significat promissionem vni Patriarcharum factam ad omnem posteritatem pertinere.

12 *Quum essent*, Patriarchæ illi videlicet & totæ eorum familiæ, *numero breui*, ad verb. *viri numeri*, hoc est, viri qui possent adhuc facilè numerari præ paucitate, id est, paucissimi. *Paucissimi*, ad verb. *sicut pauxillum*. *Et incolæ eius*, ad verb. *& peregrini* seu *pere-*

grinantes in ea, terra Chanaan ſcilicet, adeò- A que nulla cognatione aut affinitate muniti, omnibúſque amicorum ſtudijs atque officijs deſtituti.

13 *Et pertranſierent* &c. pertranſirent è terra Chanaan in varias regiones. Abraham fame Chananæam premente in Ægyptum conceſſit, Gen. 12. peregrinatus eſt ad Philiſtæos in Gerar, Gen. 20. Iſaac quoque fame in Chananæa graſſante profectus eſt in Gerar, Gen. 26. Iacob metu fratris in Meſopotamiam confugit, Gen. 28. ac poſtea Chananæam repetijt, Gen. 37. Quocum- B que autem ſunt profecti, à nemine ſunt læſi: quò pertinet ſequens verſic.

14 *Et corripuit pro eis* vel *propter eos reges*, nimirum Pharaonem regem Ægypti, & Abimelechum regem Gerar propter Abraham, Gen. 12. 17. & 20. 3. hunc quoque propter Iſaac, Gen. 26. Laban quoque (hic tamen non appellatur rex in ſacris Litteris) propter Iacob, Gen. 31. 24. vnde ſic Iacob ipſi Laban, Gen. 31. 42. *afflictionem meam & laborem manuum mearum reſpexit* (*vidit*) *Deus*, C *& arguit* (*corripuit, increpuit*, idem verbum prorſus quod in hoc verſu) *nocte præterita*, ſcilicet.

15 *Nolite tangere Chriſtos meos*, &c. Hæc ſunt verba quibus reges corripuit Deus, vel in ſomnis, vt Abimelechum, & Laban, vel plagarum beneficio, ut Pharaonem, Abimelechum, & alios qui illis malum inferre cogitarent. Vide loca citata ad præcedentem verſum. *Chriſtos* ſeu *vnctos meos*, non quidem oleo regali, aut ſacerdotali, ſed prophetico, & ſpiritali, (neque enim Abraham, Iſaac, & Iacob vncti leguntur vllibi) quò ſpectabit alterum mem- D brum, *& Prophetis meis* &c. Patriarchæ enim illi fuerunt prophetæ, cúmque ijs colloquebatur Dominus in viſione prophetiç, & in ſomnio: quo ſenſu ſcriptum eſt de Abraham, *redde vxorem viri illius, quia propheta eſt*, Gen. 20. 7. Atque, inquit Ezra, benedictio, quâ Iſaac benedixit ipſi Iacob, (Gen. 37. & 38.) fuit prophetica, non ſecus atque Moſis benedictio. Raſi, ezra, Kimhi & alij Hebræorum per *Chriſtos* ſeu *vnctos*, principes & magnos viros intelligi volunt, & qui, addit Kimhi, apud reges eſſent quaſi E reges vncti: quo modo Abrahamo dixerunt filij Heth, *Princeps Dei es in medio noſtri*, Gen. 23. 6. Certè non video cur non poſſim Chriſtos interpretari Prophetas, cùm Prophetæ ſaltem ſpiritaliter à Deo fuerint vncti, tum ſcilicet quum numine diuino afflarentur, & inſiliret in eos ſpiritus Domini, & mutarentur in viros alios, ſicuti de Saule legimus 1. Sam. 10. 6. Quid dico ſpiritaliter? Annon leguntur Prophetarum quidam vncti oleo corporali? Annon Elias iuſſus eſt à Deo vngere Eliſæum in prophetam? 1. Reg. 19. 16.

16 *Et vocauit famem* &c. Aggreditur narrare occaſionem propter quam Iacob migrarit in Ægyptum, tranſitque ad deſcribenda breuiter hiſtoriæ Ioſeph præcipua capita, atque adeo ad celebranda beneficia, quæ Deus genti Iſraëliticæ Ioſeph operâ præſtitit. Hiſtoria porrò famis, quæ in hoc verſu attingitur, vide in fine cap. 41. Gen. *Vocauit famem ſuper terram* Chanaan, & venit, hoc eſt, eius iuſſu & mandato fames inuaſit terram: famem quaſi vocatam ac venire iuſſam terræ immiſit. Plena eſt hæc locutio 2. Reg. 8. 1. *vocauit enim Dominus famem, & etiam venit* (in præſ.) *ſuper terram ſeptem annis*. *Firmamentum* (ad verb. *baculum*) *panis contriuit*, hoc eſt, panem ac cibum omnem, quo homo quaſi quodam baculo nititur, & ſe ac vitam ſuam ſuſtentat, amouit & ſuſtulit à terra. Chald. interpretatus eſt *fulcimentum panis*. Leuit. 26. 26. huic ſimile legitur, *Poſtquam confregero vobis baculum panis*. Necnon Ezech. 4. 16. *ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem*. Ezech. 5. 16. *& famem congregabo ſuper vos, & conteram vobis baculum panis*. Quibus in locis Chald. interpretatus eſt *fulcimentum panis*.

17 *Miſit ante eos*, Iacob videlicet, & filios. Meminerat enim paulò ante patrum atque etiam filiorum, dum dixit, *Quum eſſent numero breui*, &c. *Virum*, Ioſeph ſcilicet, vt ſequẽs membrum declarat. *Miſit* ait, quoniam immiſſis ſomnijs perfecit Deus, vt Ioſeph in ſummam apud fratres inuidiam veniret, adeòque ab ijs tandem negotiatoribus, qui fortè Ægyptum peterent, venderetur, ac ſic in Ægyptum transferretur, & Phutiphari eunucho Pharaonis, eiuſdémque militum magiſtro traderetur: quò ſpectat *in ſeruum venundatus eſt Ioſeph*, Phutiphari nimirum. Legendum hac de re Gen. cap. 37. Huc referendum illud ipſius Ioſeph, Gen. 45. 5. *pro ſalute* ſeu *vita* (*veſtra*) *miſit me Deus ante vos*. Et verſu 7. *Miſitque me Deus ante vos*. Verſu denique 8. apertiùs loquitur, *Nunc itaque non vos miſiſtis me huc, ſed Deus*, in Vulg. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*.

18 *Afflixerunt* atque ſtrinxerunt *in compedibus pedes* &c. Nunc narrat vt vir ille, id eſt, Ioſeph, quem Deus præmiſerat, in carcerem ſit coniectus, ob hãc videlicet cauſſam: Ioſeph ab vxore domini non ſemel appetitus, (nam ipſe inſigni decore conſpicuus illius oculos in ſe conuerterat) incredibili conſtantia laſciuam fœminam repulit. Vnde exardens repulſa mulier, apud

virum innocentem famulum detulit, quòd A
ſuæ pudicitiæ vim inferre voluiſſet. Mox igitur illum dominus in vincula compegit. Legenda hæc hiſtoria Gen. 39. (*In*) *ferrum*, hoc eſt, in ferreas catenas, & compedes, *venit anima eius*, ſiquidem, inquit Kimhi, malis corporis affligitur anima. Vel *anima eius*, id eſt, perſona eius: quomodo vocabulum *anima* non rarò accipi aliàs iam ſæpe oſtendimus. Vide ad verſ. 5. Pſ. 6. Lat. vertit, *ferrum pertranſiit animam eius*, hoc ſenſu, dolor compedum in animam vſque B
penetrauit: quo modo apud D. Lucam cap. 2. *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Repugnat Latino, quòd בַּרְזֶל *barzel*, *ferrum*, ſit maſc. gen. & בָּאָה *baa*, *venit*, fœm. ideóque ſimul conſtrui poſſe non videantur. Chald. tamen à Latino facit, qui interpretatus eſt, *catena ferrea ingreſſa eſt in animam eius*. Lat. porrò præter morem à græco diſceſſit, qui habet σίδηρον διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. D. Hieron. expoſuit *in ferrum venit anima eius*. Ac ſic Ezra, Kimhi, & alij Hebræorum. Symm. eodem modo.

19 *Donec veniſſet verbum eius*, hoc eſt, Do- C
nec ſomniorum diuinatio regio pincernæ ac piſtori, qui tum fortaſſe & in vinculis erant, ab ipſo facta, ita vt prædixerat, eueniſſet, & *eloquium* ſeu *ſermo Domini*, qui fuerat ipſi inſpiratus, *probaſſet*, ac velut ignis purgaſſet (hoc enim prop. ſignificat verbum צָרַף *tſaraph*) *eum* Ioſeph, vel *illud* verbum Ioſeph, ab omni ſcoria mendacij, hoc eſt, donec ille, vtpote cui Deus res futuras aperuiſſet, ex euentu verax fuiſſet deprehenſus: vel donec eius diuinatio verax cognita fuiſſet, vtpote ex Dei ore excepta. Eódem res redit. *Veniſſet verbum*. Similis D
phraſis Iud 13.12. *Nunc veniat verbum tuum*, hoc eſt, eueniat quod dixiſti. Ibidem verſu 17. *quum venerit verbum tuum*, hoc eſt, euenerit quod prædixiſti. In verbo *probandi* ſeu *conflandi* metaphora eſt ab aurificibus ducta. Hiſtoria verò prædicta ſomniorum diuinationis recitatur gen. 40. Sic mihi viſum eſt hunc verſum exponere.

20 *Miſit rex*, &c. non quidem ſtatim atque diuinationis veritatem exitus comprobaſſet, ſed biennio pòſt, (gen. 41. 1.) quum E
ſcilicet illi ſomnium eſſet obiectum, cuius interpretatio à conicctoribus & prudentibus Ægyptiorum non poſſet abſolui: tunc enim tandem ingratum pincernam, qui iuxta Ioſeph diuinationem carcere fuerat exemptus, ac priſtino miniſterio reſtitutus, ſubit recordatio Ioſeph, atque regem adit, indicans ei de Ioſeph egregio coniectore, ac miro ſomniorum interprete. Tunc *miſit ergò Pharao, & vocauit Ioſeph, & feſtinanter eduxerunt eum de carcere*: &c. geneſ. 41. 14.

A *Rex & dominator populorum*, id eſt, Pharao.

21 *Conſtituit eum dominum* &c. poſtquàm ſcilicet ab ipſo veram ſomniorum interpretationem didiciſſet, adeóque in eo diuinum eſſe ſpiritum. Reſpondet autem hic verſus ad illud gen. 41. 40. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus armabitur*. Verſ. ſeq. *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti*. Vide caput illud mox cit. Ipſe Ioſeph Gen. 45. 8. ſic di-
B cebat, *fecit* (*poſuit*) *me quaſi patrem Pharaonis, & dominum vniuerſæ domus eius, ac principem* (*dominatorem*) *in omni terra Ægypti*. Opponitur hic verſus porrò τῷ verſus 17. *in ſeruum venundatus eſt Ioſeph*, vt obſeruat Ezra.

22 *Vt vinciret principes eius* &c id eſt, ita vt illi poteſtas eſſet, ſi neceſſe iudicaret, principes & magnates in vincula coniiciendi, non ſecus atque ipſi Pharaoni. Nam ipſum Pharao ſibi æquarat, excepto tantùm iure ſedendi in ſolio, vt patet ex illo Gen. 41. 40. *vno tantùm regni ſolio te præcedam*. *In*
C *anima ſua*, hoc eſt, pro voluntate & arbitrio ſuo. D. Hieronym. & Felix verterunt *ſecundùm voluntatem ſuam*. Quòd *animæ* vocabulum pro voluntate interdum accipiatur, vide ad verſ. 12. Pſ. 27. Magna profectò fuit dignitas ipſius Ioſeph, qui poſt longi temporis carcerem ad tantum poteſtatis fuit euectus, vt principes ipſos pro arbitrio potuerit coërcere, ac in vincula coniicere. *Et ſenes eius* &c. Per *ſenes* Kimhi vult ſapientes & peritos rerum intelligi, quòd ſenes plerumque tales ſint, & in ijs plerumq; reperiatur ſapiẽtia, iuxta illud Iob 12. 12. *In*
D *antiquis* (*eſt*) *ſapientia, &* (*in*) *multo tempore* (heb. *longitudine dierum*) *prudentia*. Senſus autem eſt, inquit Kimhi, fuiſſe Ioſeph ſapientem, atque docuiſſe ſapientes Pharaonis, quòd illis eſſet ſapientior: quo ſenſu dixit illi Pharao, *non eſt intelligens & ſapiens ſicut tu*, geneſ. 41. 39. Sic ex Hebræorum mente expoſuimus hunc verſum. Ego in verbo *vinciendi*, quod, vt ſonat, nimis videtur aſperum, cenſerem eſſe metaphoram, qua ſignificetur, Ioſeph principes
E etiam ita habuiſſe ſibi obſtrictos, vt eius imperium detrectare non poſſent. Vel poſt græc. & Lat. vertendum *erudiret*, & hoc poſtulare videtur poſterius membrum: quaſi nimirum לֶאְסֹר *leſor*, exponendum ſit per affine verbum לְיַסֵּר *liſor*, à themate יָסַר *iaſar*, quod eſt *erudire*. Vbi Hebraice, *in anima eius*, Græcus habet ὡς ἑαυτόν, quod puto referendum ad Pharaonem, quaſi diceretur, *Vt erudiret principes eius ſicut ipſemet* eos erudiebat & corripiebat, vel *ſicut ipſummet* erudiebat Ioſeph. Prior ſenſus

magis placet, etsi ex Latino, qui vertit *sicut semetipsum*, effici non potest. Vtrumque porro palàm est legisse כ pro ב.

23 *Et intrauit Israël* &c. Illa nimirum Ioseph fœlicitas caussa fuit vt Iacob cum tota progenie ac familia ad illum in Ægyptum commigraret, relicta terra Chanaan. Vide Gen. 46. Hic *Israël* & *Iacob* palàm est accipi pro tota familia Iacob, qui & Israel cognominatus est. *Peregrinatus est.* Multis antè annis Abrahamo prædixerat Deus, *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua.* Gen. 15. 13. *In terra Cham*, id est, in Ægypto. Cham quippe pater fuit Misraim, qui primus Ægyptum incoluit, eique nomen fecit. Ægyptus enim Hebræis מצרים *mitsraym*, appellatur. Quum autem Ægyptus terra Cham hic nominatur, obliquè dedecus regionis, adeóque Gentis videtur notari, quæ tam probrosum habuerit parentem. Nota est historia Cham, qui, quòd sopitum vino patrem ac nudatum riserat, maledictum à patre meruit. Gen. 9.

24 *Et auxit* Deus suprà nominatus, & qui solus id potuit facere, *populum suum* &c. Israelitarum non plus septuaginta quinque capita, qui in Ægyptum venerant, incredibile dictu est, quàm citò numero aucti sint, multiplicatáque sobole eam regionem repleuerint. En tibi ex Exo. 1. 7. *Porrò filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati sunt nimis*, (heb. *valde valde*) *& impleuerūt terram.* Ipse Rex Ægyptius timens sibi aiebat: *Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est.* Ibid. vers. 9. Quum Deum auxisse ait, docere vult diuinitus factum, vt Israelitæ tam citò ad tantum numerum peruenerint, & quantò magis opprimerentur, mortuo videlicet Rege, qui eos ob meritum Ioseph fouerat, tantò magis multiplicarentur & crescerent, ærumnísque vegetiores ac fœcundiores fierent. *Et firmauit* seu *roborauit eum super inimicos eius* seu *præ hostibus eius.* Ægyptios intelligit, qui defuncto Iosepho, & extante nouo rege, *qui*, vt dicitur cit. cap. Exo. versu 8. *ignorabat Ioseph*, inhumanè tractarunt Israelitas, & varijs laboribus attriuerunt, quia iam multitudo abundans metuebatur, quemadmodum videre est Exo. cap. iam citato.

25 *Conuertit cor eorum* hostium, Ægyptiorum videlicet, sicut mox dictum est. *Conuertit* Deus, nimirum quia id omne Dei fiebat nutu, & voluntate, multóque antè ab eo fuerat decretum, & prædictum ipsi Abraham, his verbis, *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & seruient illis, & affligent eos qua-*

A *dringentis annis.* Gen. 15. 13. Kimhi notat fortasse הפך *haphach*, verbum esse intransitiuum, & significare *Conuersum est*, vel *Conuertit se.* Verùm hoc dicit sine exemplo. Præterea sicuti alia Deo tribuuntur, quid-ni & hoc? Non est enim absurdum Deum dici conuertere cor hominis ad aliquid mali, non per se quidem, liceat mihi sic loqui, sed per accidens, & occasionem, dum nimirum id facit, quo homo ingenij peruersitate ad malum incitatur. Sic quum Israelitis in Ægypto degentibus Deus eam vteri B fœcunditatem dedisset, vt subitò multiplicatâ mirum in modum progenie vniuersam regionem replerent, ea res Ægyptiorum animos vehementer perculit, eorúmque odia sic accendit, vt obstetrices Israelitarum pueros mares, statim atque in lucem ederentur, suffocare atque interimere regio edicto iussæ sint, ac denique vbi primum edictum profecit parum, paruulos recens natos aquis mergi secundo edicto cautum sit. Exo. 1. Haud abs re igitur Deus hic dicitur conuertisse cor Ægyptiorum, vt C odio haberent Israelitas, &c. etsi id non per se, sed tantum per accidens fecit, quemadmodum mox explicatum. *Vt dolum facerent* seu *machinarentur*, hoc est, vt modos excogitarent, quibus perdere Israelitas possent. Sic Rex ipse Ægyptiorum, *Venite*, inquiebat, *sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur*, &c. Cætera quære Exodi cap. citato.

26 *Misit Moysen* &c. Tunc scilicet quum ingemiscentes filij Israel propter opera, vo- D ciferati essent, ascendissétque clamor eorum ad Deum propter opera: & audisset gemitum eorum, ac recordatus esset fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac, & Iacob, sicuti dicitur Exo. 2. in fine. *Misit* &c. ad Pharaonem, & Ægyptios populi Israelitici hostes, vt educerent filios Israel de Ægypto. *Seruum suum.* Hoc titulo ornatur Moses Iosu. 1. 1. *post mortem Moysi serui Domini.* Versu 2. *Moyses seruus meus mortuus est.* *Aaron quem elegit ipsum*, vt scilicet E Mosi legationis principi, sed parum facundo, & impeditioris linguæ homini esset interpres. Huc referatur illud Ex. 7. 1. *Dixitque Dominus ad Moysen, Ecce constitui* (heb. *Vide, dedi*) *te Deum Pharaoni: & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Versu 2. *Tu loqueris* (ei) *omnia quæ mandaro tibi, & ille loquetur ad Pharaonem*, &c. Huc quoque pertinent cap. 4. Ex. vers. 14. 15. 16. *Quem elegit ipsum*, ad verb. *quo elegit in ipso*: verbum enim בחר *bachar*, quod est *eligere*, ferè cum præpositione ב construitur.

27 *Posuerunt* illi, Moses videlicet & Aaron, *in eis* Ægyptijs &c. Sic Ex. 11. 10. *Moyses*

autem & Aaron fecerunt omnia ſigna (prop. *prodigia*) *iſta corã Pharaone. Poſuerũt*. Græc. & Lat. verterunt *Poſuit*, ſiue legerint שָׂם *ſam*, pro שָׂמוּ *ſamu*, ſiue ſenſum duntaxat ſequi voluerint. His fauet Pſ. 78. verſ. 48. qui huic reſpondet, vbi, *poſuit in Ægypto ſigna ſua*, &c. *Verba ſignorum*, id eſt, ſigna, ſeu portenta: *verba* enim hîc pro rebus, eáque vox ad elegantiam, & emphaſim tantùm eſt addita. Cenſeret fortaſſe aliquis, neque abſurdè, hîc dici *verba*, quòd Moſes & Aaron ediderint inter Ægyptios ea ſolùm ſigna, quæ ab ipſo Deo ſigillatim edere iuberentur, id quod conſtat ex hiſtoria Exo. capitibus 7. 8. 9. 10. deſcripta. Atque huc liquidò pertinet ſequentis verſic. poſterius membrum, *& non mutarunt ſermones eius*, vel *verba* ſeu *verbum eius*.

28 *Miſit tenebras*, &c. Sigillatim nunc ſigna & prodigia à Moſe & Aarone apud Ægyptios edita recenſet, nec tamen omnia, neque eo ordine, quo in ſacris litteris facta narrantur, ſicut nec in Pſ. 79. Hoc enim quod primo loco memoratur, nonum fuit, & cap. 10. Exo. deſcribitur. Ezra exiſtimat primo loco factam tenebrarum mentionem, quòd ob hanc plagam Iſraelitis (ſcilicet omnibus) abeundi, ac Deum colendi à Pharaone primùm poteſtas facta ſit: ſed deinde ad reliquas plagas redire, & initium facere à prima. *Miſit tenebras* Deus, id eſt, iuſſit fieri tenebras, *& obſcurauit* terram illam Cham. *Et non rebellarunt ſermonibus* vel *verbo eius* Moſes & Aaron, ſed in omnibus Deo obtemperarunt, omniáq; ſigna & prodigia, quæ iuberentur, ediderunt, neq; veriti ſunt potentiſſimi iuxtà & crudeliſſimi regis inimicitias ſuſcipere. Sunt qui minùs quidem commodè, vt arbitror, hoc referunt ad ſigna & prodigia, quorum facta mox fuit mentio, quaſi diceretur, ac ſigna quidem illa & prodigia ad Dei verbum & nutum præſto fuerunt, nec repugnarunt eius imperio. Pro hac expoſitione facit verſus 31. *Dixit, & venit cœnomyia*: &c. necnon verſus 34. *Dixit, & venit locuſta*, &c.

29 *Conuertit aquas* &c. Prima eſt plaga, ſeu calamitas ægyptiorum, quę deſcribitur Exo. 7. Nulla porrò virgæ Aaronis in ſerpentem ſeu draconem conuerſæ fit mentio, quòd nihil ea res calamitatis aut detrimenti attulerit. Vide Ex. 7. *Et occidit piſces eorum*, qui in aquis tantùm, non in ſanguine viuere poſſunt. Hæc res oſtendit reapſe aquas tum mutatas in ſanguinem, neque colorẽ ſolùm cõuerſum, aut fucum factum oculis. Hoc autem reſpondet ad illud Exo. 7. 18. *Piſces quoque qui ſunt in flumine morientur, & computreſcent aquæ, (fœtebit fluuius,)* A &c. Hæc plaga Sap. 11. 7. Ægyptijs immiſſa legitur, vt propter infantum cædes, quos in flumen proiectos necari edicto Pharao iuſſit, punirentur, & effuſi ſanguinis pœnas in ſanguine luerent: iuxta illud, *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

30 *Edidit* (prop. *Abundè produxit*) *terra eorum ranas*, &c. Hæc ſecunda fuit plaga, quæ legitur Exo. 8. vbi tamen, nimirum verſu 3. non terra, ſed fluuius dicitur producturus ranas: atque illic idem verbum quod hîc, videlicet שָׁרַץ *ſcharats*. Quòd ergo hîc dicitur *Edidit terra*, ſic intellige, B Vbicumque in illa terra fuit fluuius, riuus, aut palus, *aſcenderunt ranæ, operuerúntque terram*, vt dicitur cap. cit. ver. 6. ita vt vel ipſa terra videretur produxiſſe ranas. *In penetralibus* etiam *regum ipſorum*. Huc pertinet quòd cap. cit. verſ. 3. iuſſus eſt Moſes his verbis Pharaonem alloqui, *Et ebulliet* (prop. *abundè producet*) *fluuius ranas, quæ aſcendent & ingredientur domum tuam, & cubiculum* (*penetrale*) *lectuli tui, & ſuperſtratum tuum.* Reges autem hîc nominauit in numero C multitudinis, non quòd plures fuerint Reges in ægypto: ſed vel filios Regis, qui in ſpem regni educabantur, vel alios principes, & ipſos fortaſſe ſuarum gentium Reges, ſed Pharaoni ſubiectos ſic vocat: vel etiam ad varias arces & palatia regia reſpicit. Vt *reges* hîc vel pro regis filijs, vel pro alijs proceribus ac principibus accipiam, facit verſus 16. cap. 10. Sap. *Intrauit* (Sapientia) *in animam ſerui Domini, & ſtetit contra Reges horrendos in portentis & ſignis.* Qui locus de Moſe ſigna apud ægyptios faciente D intelligendus eſt. Non tamen aliena eſt poſtrema coniectura.

31 *Dixit, & venit cœnomyia*: &c. In hoc ver. coniungit tertiam & quartam plagam, ordine tamen verſo. Nam cyniphum ſeu pediculorum plaga tertio loco ponitur à Moſe, cœnomyiæ verò ſeu inſectorum quarto, Exo. ſcilicet 8. *Cœnomyia*. Vitiosè, vt creditur, in pleríſque exemplaribus cynomyia. Vide ad verſ. 45. Pſal. 78.

32 *Poſuit pluuias* &c. Hæc fuit ſeptima plaga, de qua vide Exo. 9. ver. 2. & ſeq. Ezra E exiſtimat nullam hîc fieri mentionem peſtis, quæ fuit quinta plaga, nec vlcerum veſicarum turgentium, quæ fuit ſexta, (vtraque autem deſcribitur initio cap. 9. Exo.) quòd iſtas vt auerteret minimè Moſem Pharao precatus ſit, ſicuti in alijs legitur feciſſe. *Poſuit pluuias eorum grandinem*, &c. hoc eſt, *Pluit Dominus grandinem ſuper terram Ægypti*, vt dicitur cap. cit. verſu 23. vnáque *ignem flammantem*, id eſt, fulgura. Hic verſus ad verſum mox cit. reſpondet, vbi legitur *Extendítque Moyſes virgam ſuam*

in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrit ignis super terram, &c. A Mox ver. 24. *Et grando & ignis pariter mista ferebantur.*

33 *Et percussit* ac verberauit *vineas eorum*, &c. grando illa scilicet. Plus dicitur cit. cap. vers. 25. *Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum: cunctámque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis (omnem arborē agri) confregit.* In hoc vers. sicut & Ps. 78. 47. tantùm fit mentio vinearum & ficuum, sub quibus tamen, vt frequen- B tioribus in illa regione, & præcipuis, magísque necessarijs ad vitam humanam sustentandam, reliquas omnes arbores synecdochicas comprehendi certum est.

34 *Dixit, & venit locusta*, &c. Octaua est plaga, de qua legendum Exo. cap. 10.

35 *Et comedit* locusta & bruchus *omne fœnum* &c. Respondet hic versus ad vers. 15. cap. mox cit. *comedítque* (locusta) *omnem herbam terræ, & omnem fructum arborum, quem grando dimiserat (reliquerat:) nihílque* C *omnino virens relictum est in lignis (arboribus) & in herbis agri in cuncta Ægypto.*

36 *Et percussit* Dominus *omne primogenitum* &c. Decima hæc & postrema plaga, de qua legendum cap. 12. Exo. Hæc, inquam, postrema clades, quâ tandem euictus Pharao siuit Israelitas abire ad colendum Dominum. Respondet autem hic versus ad 29. mox cit. cap. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat*, seu potiùs *sessurus erat, vsque ad primogenitum captiui*, seu, *captiuæ, qui*, vel D *quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. In terra eorum*, præteritis tamen & illæsis primogenitis Israelitarum, quorum limina sanguine agni erant conspersa, vt est in prædict cap. Deinde *in terra eorum*, non in terra Gessen, vbi, vt dicitur Ex. 9. 26. *erant filij Israel* plerique, vt interpretor, & agros, & pecuarias habebant: quippe ea regio à Pharaone Iacob & familiæ ad incolendum de Iosephi sententiâ fuit attributa. *Primitias (principium) omnis roboris eorum*, hoc est, omnia omnino primogenita tam hominum quàm animalium. Ita enim cir- E cumloquitur primogenita, quæ solent gigni quum parentes valent viribus. Imitatus est scilicet Dauid ipsum Iacob, qui Genes. 49. 3. sic dixerat, *Ruben primogenitus meus tu, fortitudo mea, & principium roboris mei.* Eadem illic verba & phrasis, quæ hic. Desumpsit etiam Dauid illum loquendi modum ex Deut. 21. 17. vbi probatur non posse patrem filio vxoris inuisæ ius primogenituræ adimere, ac transferre in filiū amatæ; hæcque ratio adfertur, *ipse (est) enim principium roboris eius.* Eædem quoque voces, quæ hîc. Vsus & Asaph ista circumlocutione, Psal. 78. 51. Vide ibi.

37 *Et eduxit* Dominus *eos* ex Ægypto, tot cladibus tandem victo Pharaone, & Ægyptijs, vt non solùm populo potestatem discedendi facerent, sed etiam de finibus suis exire vltro vrgerent, sicuti legitur Exo. 12. *Eos* quum ait, clarum est quos intelligat: idcirco non admodum illi curæ fuit exprimere quos vellet dicere, nimirum Israeliticum populum, cuius suprà fecit mentionem versu 23. & sequentibus, qui scilicet tot annos in Ægypto fuerat peregrinatus. *Cum argento & auro.* Nam Israëlitæ egressi sunt non solùm suis copijs & opibus diuites, sed etiam Ægyptiorum spolijs cumulatiores: quippe, vt iussi fuerant à Mose Exo. 11. 2. *petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo in oculis Ægyptiorum, vt commodarent eis: & ita spoliauerunt Ægyptios*, sicuti legitur Exo. 12. versu 35. & sequente. Fuerat porrò hæc fœderis cum Abrahamo initi conditio, *& post hæc egredientur cum magna substantia.* Gen. 15. 14. *Et non (erat) in tribubus eorū infirmus* seu *labens* pedibus, hoc enim prop. significat כּוֹשֵׁל *coschel.* In duodecim Tribubus, quæ ingenti populo constabant, nemo tum fuit, qui non esset integris viribus, nemo pauper, sed omnes exierunt onusti argento & auro, & quidem pedites, quemadmodum scribitur Exo. cap. mox cit. versu 57. *Profectíque sunt filij Israël de Ramesse in Sochoth, sexcenta ferè millia peditum virorum tantùm, absque paruulis. Eorum.* Hebr. *eius* populi Israëlitici. Bene Græc. & Lat. correxerunt nimis subitam numeri enallagen, quæ Græcorum & Latinorum auribus duriùs sonaret. Sunt tamen qui *eius* ad Deum referunt.

38 *Quia incubuerat (irruerat) timor eorùm* Israelitarum *super eos*, ita vt dicerent, *Omnes moriemur*, Exodi 12. 33.

39 *Expandit nubem in tegumentum*, &c. Respondet hic versus ad v. 21. cap. 13. Ex. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis; per noctem verò in columna ignis, vt luceret eis: vt ambularent diu & noctu.* Sequitur, *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo*, vel, *ante populum.* Kimhi admonet מָסָךְ *masach*, non significare hîc supernum tegumentum, sed tegumentum quoddam, quod esset instar cortinæ seu veli ante Israelitas, quo modo & accipi ait Num. 3. 25. & 26. pro aulæo videlicet, quod appenderetur ostio &c. (Vide locum.) Nam nubes illa, inquit Kimhi,

iter facientibus Israëlitis præibat: at quietis A
& sedentibus incumbebat, dum proficis-
cerentur. Ac fieri potest, inquit idem, vt
vox illa vtrumque tegumentum significet,
nimirum & quod iter facientibus præibat,
& quod quietis incumbebat. Sic ferè ille,
Simile porrò est huic versui illud Sap. 10.
17. *& fuit illis in velamentum die, & in lu-
cem stellarum per noctem.*

40 *Petierunt, & venire fecit coturnices*: &c.
Omissis alijs, & maximis quidem, Dei be-
neficijs, ex.gr. quòd per medium mare sic-
cis pedibus Israelitæ sint traducti, transit B
ad illud tempus, quando Israelitis in de-
serto apud Moysem & Aaronem famem
conquerentibus, & carnes ac panem desi-
derantibus, quibus ad saturitatem vesce-
bantur in Ægypto, (Exo. 16. 3.) vespere
grex coturnicum supernè missus castra op-
pleuit, (ibidem, vers. 13.) manè verò man-
na pro pane datum. Legenda tota historia
EXO. cap. mox cit. *Petierunt*, in Fonte *Petijt*
Israëliticus populus. *Venire fecit coturnices*,
ad verb. *coturnicem*, Deus scilicet. Græc. &
Lat. *venit coturnix*. Legisse quippe viden- C
tur וַיָּבֹא *vaiiauo*, pro וַיָּבֵא *vaiiaue*, vel sen-
sum duntaxat spectasse. Habet in Hebræo
aliquid gratiæ similitudo harum vocum,
שָׁאַל *schaal, petijt*, & שְׂלָו *selau*, *coturnix*.
Et pane cæli &c. Panem cæli manna vocat,
non è summo cælo delapsum quidem, sed
ex aëre, quem sacræ literæ *Cælum* appel-
lant. Vel *panem cæli* nominat panem cæli-
tus seu à Deo datum: quò pertinet illud
Mosis cit. cap. vers. 15. *Iste (est) panis, quem
Dominus dedit vobis ad vescendum. Saturauit
eos*, qui tempus illud videre cupiebant,
quando in Ægypto comedebant panem ad D
saturitatem, cit. cap. vers. 3.

41 *Dirupit*, prop. *Aperuit* Dominus per
Mosem *petram*, &c. Tangit miraculum il-
lud, quo in Raphidim extrema iam siti la-
borantibus Israëlitis largè aquæ copia fa-
cta, Moyse, vt iussus erat à Domino, pe-
tram Horeb virgâ percutiente. Lege Exo.
cap. 17. Simile prorsus miraculum factum
in Cades, ac describitur Num 20. Sed or-
do historiæ postulat vt hic versus ad illud
potiùs referatur, nisi ad vtrumque fortasse
placeet referri. *Abierunt* ac decurrerunt
tum aquæ *in sicco*, perque arida & siticulo-
sa loca (*instar*) *fluminis*: ita tum largè facta
aquæ copia. Hyperbole poëtica.

42 *Quoniam memor fuit verbi* &c. Ista enim
omnia beneficia in illos contulit propter
Abraham, & fœdus cum eo initum: nam illi
indigni erant prorsus istis beneficijs, quip-
pe qui cum Deo expostulassent; indigni
etiam fuerant, qui ex Ægypto educeren-
tur, si nullum intercessisset fœdus: quo sen-
su EXO. 2. 24. dicitur, *Et audiuit Deus gemi-
tum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepi-
git cum Abraham, Isaac & Iacob.*

43 *Et eduxit* ob idem illud fœdus *populum
suum*, & quidem lætum atque ouantem,
mœstis interim, ac lachrymantibus Ægy-
ptiis, & sepelientibus, vt dicitur Num. 33.
4. *primogenitos quos percusserat Dominus*, val-
dè tamen sibi gratulantibus de discessu Is-
raëlitarum, quemadmodum dicitur suprà,
vers. 38.

44 Et *dedit illis regiones (terras)* &c. Non
tantùm illos eripuit è seruitute, nec solũ in
libertatem asseruit, sed *dedit illis terras Gen-
tium: & labores* (heb. *laborem*) *populorum
possederunt*, id est, ciuitates, vicos, pagos,
agros, oliueta, vineas, cæteráque eiusmodi
maximo tot populorum labore parta, & ex-
culta: ea tamen conditione omnia ista pos-
sidenda ipsis attribuit Deus, vt ibi colloca-
ti traditos sibi ab ipso ritus ac leges serua-
rent, ad repurgandas videlicet eas terras
fœdis superstitionibus, & libidinibus, qui-
bus illas pristini incolæ conspurcarant. At-
que huc pertinet sequens versic.

45 *Vt custodirẽt statuta eius*, &c. id est, Non
vt haberẽt ista temporalia pro sũmo bono,
nec vt in ijs luxu diffluerent, vel peruersa
securitate torpescerent, sed vt ijs vacarent,
vnde & æternum bonum posset acquiri: *Vt*
scil. *custodirent statuta eius*, &c. *Alleluia*,
siue *Haleluiah*. Vox Hebraïca significans
Laudate Dominum, quâ voce hortatur au-
thor Psalmi omnes Israëlitas, nósque qui
in illorum locum successimus, vt nunquam
cessemus Deum celebrare, eique gratias
agere de tot, tantísque beneficijs. Est bre-
ue veluti epiphomena. In hanc vocem de-
finunt aliquot Psalmi: ab eadem etiam in-
cipiunt.

PSALMVS

CVI. CV.

VERSIO

Nova.

a Halelu-Iah.



LLELVIA.
Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

b audire faciet omnem laudē eius?

2 Quis loquetur potentias Domini:
[b] auditas faciet omnes laudes eius?
3 Beati qui custodiunt iudicium, qui faciunt iustitiam in omni tempore.
4 Memento mei, Domine, in beneplacito populi tui: visita me in salutari tuo.
5 Ad videndum in bono electorum tuorum; ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ad gloriandum cum hæreditate tua.

c peruerse

6 Peccauimus cum patribus nostris:
[c] iniuste fecimus, iniquitatem fecimus.
7 Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericordiarum tuarum: & rebellauerunt iuxta mare, in Mari rubro.
8 Et saluauit eos propter nomen suum: vt notam faceret potentiam suam.
9 Et increpuit Mare rubrum, & exiccatum est: & deduxit eos in abyssis, sicut (in) deserto.
10 Et saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.

d operuerūt aquæ
e hostes eorum:

11 Et [d] operuit aqua [e] tribulantes eos:
vnus ex eis non remansit.
12 Et crediderunt verbis eius: cantauerunt laudem eius.

f Festinauerunt,
g expectauerunt

13 [f] Citò fecerunt, obliti sunt operum eius: non [g] sustinuerunt consilium eius.

Vetus.



LLELVIA.
Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

2 *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*
3 *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.*
4 *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo:*
5 *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua.*
6 *Peccauimus cum patribus nostris: iniuste egimus, iniquitatem fecimus.*
7 *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.*
8 *Et irritauerunt ascendentes in mare, Mare rubrum.*
9 *Et saluauit eos propter nomen suum: vt notam faceret potentiam suam.*
10 *Et increpuit Mare rubrum, & exiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.*
11 *Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.*
12 *Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit.*
13 *Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius.*
14 *Citò fecerunt, obliti sunt operum eius: & non sustinuerunt consilium eius.*

15 *Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in inaquoso.*
16 *Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit saturitatem in animas eorum.*
17 *Et irritauerunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.*
18 *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.*
19 *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.*
20 *Et fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt sculptile.*
21 *Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*
22 *Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham: terribilia in Mari rubro.*
23 *Et dixit vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius:*
24 *Vt auerteret iram eius ne disperderet eos: & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*
25 *Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.*
26 *Et eleuauit manum suam super eos: vt prosterneret eos in deserto:*
27 *Et vt deiiceret semen eorum in Nationibus: & dispergeret eos in regionibus.*
28 *Et initiati sunt Beelphegor: & comederunt sacrificia mortuorum.*
29 *Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis: & multiplicata est in eis ruina.*
30 *Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio.*
31 *Et reputatum est ei in iustitiam, in generationem & generationem vsque in sempiternum.*
32 *Et irritauerunt eum ad Aquas contradictionis: & vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius.*

14 Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in solitudine.
15 Et dedit eis petitionẽ ipsorum: & misit maciem in [h] animas eorum. h heb. animam
16 Et inuiderunt Moysi in castris, Aaroni sancto Domini.
17 [i] Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abirom. i Aperuit se
18 Et exarsit ignis in congregatione eorum: flamma cõbussit peccatores.
19 Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt fusile.
20 Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem bouis comedentis [k] fœnum. k herbam.
21 Obliti sunt Deum saluantem eos, facientem magna in Ægypto:
22 Mirabilia in terra Cham, terribilia in Mari rubro.
23 Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in [l] confractione in conspectu eius: vt auerteret iram eius ne disperderet. l ruptura
24 Et [m] pro nihilo habuerunt terram desiderabilem: non crediderunt verbo eius. m spreuerunt
25 Et murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.
26 Et eleuauit manum suam eis, vt prosterneret eos in deserto.
27 Et vt deiiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in [n] regionibus. n terras.
28 Et [o] initiati sunt Beel-phegor, & comederunt sacrificia mortuorum. o prop. adhæserunt
29 Et irritauerunt (Deum) in [p] adinuentionibus suis: & [q] multiplicata est in eis [r] ruina. p operibus q creuit r prop. plagã.
30 Et stetit Phinees, & diiudicauit: & cessauit [s] ruina. s plaga.
31 Et reputatum est ei in iustitiam, in generationem & generationem vsque in sempiternum.
32 Et irritauerunt (eum) ad aquas Contradictionis, & malè fuit Moysi propter eos:

33 Quia exacerbauerunt ſpiritum eius, & protulit in labijs ſuis.

t populis, u dixerat

34 Non diſperdiderunt [t] Gentes, quas [u] dixit Dominus illis.

x miſcuerũt ſe

35 Et [x] commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera earum.

36 Et ſeruierunt ſculptilibus earum: & fuerunt illis in laqueum.

37 Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs:

38 Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quos ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan: & infecta eſt terra in ſanguinibus.

y polluerunt ſe. z ſuis, a ſuis.

39 Et [y] contaminati ſunt in operibus [z] earum, & fornicati ſunt in adinuentionibus [a] earum.

b heb. furor Domini

40 Et iratus eſt [b] furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam.

c heb. manum

41 Et tradidit eos in [c] manus Gentium: & dominati ſunt eorum qui oderant eos.

d heb. manu

42 Et tribulauerunt eos inimici eorum: & humiliati ſunt ſub [d] manibus eorum.

e heb. iniquitate ſua.

43 Sæpe liberauit eos; ipſi autem exacerbauerunt (eum) in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in [e] iniquitatibus ſuis.

f clamor em. g prop pacti

44 Et vidit quum tribularentur, audiendo [f] orationem eorum.

h heb. miſericordiarũ ſuarum.

45 Et memor fuit illis [g] teſtamenti ſui: & pœnituit eum ſecundùm multitudinem [h] miſericordiæ ſuæ.

46 Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui captiuos ceperant eos.

47 Saluos nos fac Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus: vt confiteamur nomini ſancto tuo, vt gloriemur in laude tua.

i dicat k Amen, l Halelu-iah.

48 Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo & vſque in ſeculum: & [i] dicet omnis populus, [k] Fiat; [l] Alleluia.

33 Et diſtinxit in labijs ſuis: non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

34 Et commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum: & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.

35 Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs.

36 Et effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.

37 Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum: & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.

38 Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum: & abominatus eſt hæreditatem ſuam.

39 Et tradidit eos in manus gentium: & dominati ſunt eorum qui oderunt eos.

40 Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum: ſæpe liberauit eos.

41 Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo: & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.

42 Et vidit cùm tribularentur: & audiuit orationem eorum.

43 Et memor fuit teſtamenti ſui: & pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ.

44 Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos.

45 Saluos nos fac Domine Deus noſter: & congrega nos de Nationibus:

46 Vt confiteamur nomini ſancto tuo: & gloriemur in laude tua.

47 Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo & vſque in ſæculum: & dicet omnis populus: Fiat, fiat. Alleluia.

COMMENTARIVS.

Argumentum.

KIMHI huius Pſalmi argumentum hunc ferè in modum exequitur: In ſuperiore Pſalmo recenſetur quo pacto Deus ſe erga Patriarchas, & Iſraelitas in Ægypto geſſerit: in hoc verò, quo pacto eoſdem Iſraelitas toto illo tempore, quo fuerunt in deſerto, habuerit, & poſtquam in terram ſunt introducti. At meliùs & prolixiùs Theodoretus, In ſuperiore, inquit, Pſalmo diuina beneficia ſermo Propheticus perſecutus eſt: in hoc verò & beneficia commemorat, & eorum, in quos illa collata fuerant, ingratitudinem damnat, ac inflictas illis varias pœnas docet. Sic verò figuratus eſt, quaſi ex perſona piorum communes calamitates deplorantium & *veniam orantium dicatur. Mihi profectò non eſt dubium, & id perſuaſit verſus penultimus, quin ſcriptum ſit hoc carmen, & populo tanquam communis precandi formula traditum, quum apud Babylonios exularent Iſraëlitæ, & in varias gentes eſſent diſperſi: aut certè quum tyrannide Antiochi iterum fuerunt diſſipati: licet enim iſto tempore non legantur fuiſſe inſignes prophetæ, certum tamen eſt non defuiſſe tum etiam qui preces & neceſſarias conſolationes populo dictarent.*

1 *Confitemini Domino* &c. Exordium tribus primis verſibus continetur. Ac primò, Celebrate, inquit, Dominum, eique gratias agite de tot beneficijs quæ in patres noſtros, adeóque in nos pro ſua miſericordia contulit.

2 *Quis loquetur potentias* &c. Et verò eſtne, inquit, aliquis qui poſſit ea omnia, quæ admirabili ſua potentia cùm in Ægypto, & mari, tum in deſerto, ac poſtea in terra Chanaan noſtrâ cauſſâ Deus edidit, recenſere, adeóque ipſum dignis laudibus extollere? quaſi dicat, Nemo.

3 *Beati qui* &c. O fœlices, inquit, illos qui *omni tempore*, hoc eſt, non tantùm in rebus ſecundis, ſed etiam in aduerſis rectum & iuſtum amplectuntur, nec vllis calamitatibus impediuntur, quominus Deo conſtanter adhæreant. Concluſio eſt exordij, qua ſuos obiter hortatur, ne fracti calamitatibus à Deo deficiant, & à recto ac iuſto deflectant. I*udicium* autem & *iuſtitia* pro eodem hic vſurpantur. Mihi porrò videtur hic verſus optimè cum præcedente ſic poſſe cohærere. Sed quis celebrandis tuis potentijs ac laudibus par eſſe poſſit? Nemo. Sat igitur beatos iudico, qui ſuas omnes actiones ad vnam iuſtitiam referunt.

4 *Memento mei* &c. Autor Pſalmi, qui & ipſe exulabat, Deum precatur vt *memor ſit ſui* &c. hoc eſt, ſe fauoris illius, quem ſuo populo eſt pollicitus, participem faciat, ac *viſitet in ſalutari ſuo*, hoc eſt, ſalute ac libertate dudum promiſſa frui concedat. Eódem ſpectat ſequens verſus. In hoc & ſequente verſiculo eſt propoſitio Pſalmi, quæ prolixa hiſtoriæ narratione ad penultimum vſque verſum abrumpitur.

5 *Ad videndum in bono electorum tuorum*; &c. Explicat id quod mox dixerat Senſus autem huius verſus hic eſt, Vt ego fruar libertate, quam tuis promiſiſti, eorumque lætitiæ & gloriæ fiam particeps. Tria membra huius verſus idem prorſus ſignificant, vt clarè apparet. *Videre in bono* nil aliud eſt quàm frui bono optato cum voluptate. Verbum enim רָאָה *raa*, quod eſt *videre*, conſtructum cum ב id eſt, *in*, ſignificat frui optatis cum voluptate, ſicuti aliàs obſeruatum eſt. E*lectorum tuorum*, quos ſcilicet in gentem ac hæreditatem, & in peculium ex omnibus gentibus ſelegiſti.

6 *Peccauimus cum patribus noſtris*, hoc eſt, Sicut patres noſtri peccauerunt, ſic & nos peccauimus. Kimhi. Hoc dicit induens iam perſonam totius populi, vel vt ſuorum animos præparet ad patientiam, docendo Deum iuſtam habere cauſſam iraſcendi: vel vt faciliùs impetret, quod petit: nihil enim eſt, quod Deum ad miſericordiam moueat magis, quàm ingenua peccatorum confeſſio ac deteſtatio. Idcirco Pſ. 32.5. dicebat Dauid, *Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniquitatem meam non non abſcondi*; &c. Et D. Ioannes 1. Epiſtolæ cap. 1. *Si confiteamur*, inquit, *peccata noſtra: fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Verùm quoniam Maiorum peccata ſolùm recẽſentur, ſic potiùs exiſtimo, dum author Pſalmi Maiores tam ſæpe, támque graulter peccaſſe oſtendit, nec tamen vnquam à Deo derelictos, ſed ſemper Numinis clementiam & benignitatem expertos, velle ipſum exules, qui tum erant, in ſpem libertatis & ſalutis adducere, & iſtis exemplis conſolari.

7 *Patres noſtri* &c. Probatio eſt iſtius partis *cum patribus noſtris. In Ægypto non intellexerunt mirabilia tua*, id eſt, in Ægypto non, vti decebat, animum attenderunt ad miracula, quæ tu illic patrabas, tantus fuit illorum ſtupor & duritia cordis; *non fuerunt*

memores &c. tanta fuit ingratitudo: *&* (pro *at*) *rebellauerunt iuxta mare, in mari rubro.* En rebellio partim ex stupore, partim ex ingratitudine. *Iuxta mare*, quum inter illud & rupes conclusi, & ingenti Ægyptiorum multitudine alia ex parte obsessi *dixerunt ad Moysen, Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes, Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs? multò enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine.* EXO. 14. 11. & 12. *In mari*, quasi dicat, non solùm in littore maris, sed etiã in medio mari, quum ipsum siccis pedibus transmitterent, rebellarunt, cernentes Ægyptios magno impetu à tergo insequi. Nota Græcum qui vertit ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, non legisse עַל־יָם *al-iam*, id est, *iuxta (super) mare*, sed עֹלִים *olim*, id est, *ascendentes.*

8 *Et saluauit eos* ab Ægyptijs insequentibus *propter nomen suum*, quasi dicat, Etsi ipsi in Deum rebellassent, nec in illo fiduciam haberent, ideóque indigni essent, qui seruarentur, nihilominus tamen *saluauit eos propter nomen suum*, vt scilicet in Gentibus cognosceretur ac celebraretur, quò pertinet sequens membrum, *vt notam faceret potentiam suam.* Sic Es. 63. 12. *qui scidit aquas ante eos, vt faceret sibi nomen sempiternum.* Ibid. vers. 14. *sic deduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.* Sic apud Ezech. 20. 14. *Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, in quarum conspectu eduxi eos.*

9 *Et increpuit mare* &c. Exponit quo modo *saluauit eos*, traductos nimirum per medium sicci maris. *Increpuit* vento illo Orientali vehementi, quo recedere fecit mare, & vertit in siccum, vt est Exo. 14. 21. Sic Naum 1. 4. *Increpans mare, & exiccans illud.* *Deduxit eos in abyssis*, &c. id est, per profundos maris gurgites haud secus illos deduxit, ac per aridum desertum: *erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua*, cit. cap. vers. 22.

10 *Et* sic *saluauit eos de manu odientium* Ægyptiorum. In Fonte *odientis* seu *odio habentis*, per quem Ezra Pharaonem intelligit. Ego collectiuè accipio. Respondet hic versus ad vers. 30. cit. cap. EXO. *Et saluauit Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.*

11 Et *operuit aqua* (heb. *operuerunt aquæ*) &c. Respondet hic versus ad 28 cit. cap. Exo. *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem ex eis superfuit.*

12 *Et* sup. tunc *crediderunt* &c. Respondet ad illud Exo. cap. cit. ver. vlt. *& crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.* *Cantauerunt* &c. Respondet ad illud Exo. 15. 1. *Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino*, &c.

13 *Citò fecerunt*, ad verb. *Festinauerunt, obliti sunt*, pro, Festinanter ac statim obliti sunt: nam quum duo verba apud Hebræos immediatè absque coniunctione iunguntur, prius à Latinis per aduerbium reddi solet. Testatur historia Exo. 15. sub finem, Israelitas post tertium diem, quàm mare transmiserant, quũ non inuenissent aquas nisi amaras, (ex quo etiam locus Mara, voce Hebræis amarorem significante dictus est) oblitos potentiæ ac bonitatis diuinæ statim fremuisse ac murmurasse aduersus Moysem, à quo in istã difficultatem essent coniecti. Ad hanc historiam Kimhi existimat respicere hoc loco. *Non sustinuerunt* seu *expectauerunt consilium eius*, hoc est, murmurarunt, neque se Dei consilio regi sustinuerunt, qui hactenus illos fouerat, & curarat: non expectarunt, vt faceret quod facere instituerat, id est, aquas amaras in dulces conuerteret, quemadmodum statuerat, & fecit Moysis opera, qui ab eo monitus lignum aquis intulit, cuius hæc vis fuit, vt dulcem illis saporem adderet, vt est loco Exo. notato. Minuit hoc miraculum Iosephus, quum tum scribit aquam agitatione continua puriorem redditam, Antiq. Iud. lib. 3. cap. 1. nec ligni diuinitus monstrati mentionem facit. Kimhi igitur hunc versum ad illam historiam refert. At Ezra ad historiam sequentium versuum: quasi diceret, *Festinauerunt*, &c. *non sustinuerunt* seu *expectauerunt consilium eius*, quod fuisset illis vtile, vt carnibus non vescerentur, sed manna solo: verùm *concupierunt concupiscentiam* &c.

14 *Et concupierunt concupiscentiam in deserto*, &c. quum videlicet mannam iam fastidientes, pisces, cucumeres, pepones, porros, cæpe, & allia desiderarunt. Accipe textum Num. 11. 4. & sequent. *Et vulgus promiscuum, quod ascenderat cum eis, concupierunt concupiscentiam: & auersi fleuerunt etiam filij Israël, dicentes, Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, cucumerum, & peponum*, &c. *Ac nunc anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Ad hanc Num. historiam referendum esse illud, quod hîc dicitur, non ad similem historiam, quæ recitatur Exo. 16. vocum similitudo, & posterius membrum sequentis versiculi perspicuè demonstrant. *Et tentauerunt* &c. experiri volentes num posset

Deus carnes dare in illo deserto. Quid sit *tentare Deum*, dictum est alibi, ac præsertim ad vers. 18. Ps. 78. vbi eadem historia, quæ hic, describitur.

15 *Et dedit eis petitionem ipsorum*, quum *ventus egrediens à Domino arreptas trans mare* (Heb. *è mari*) *coturnices detulit, & dimisit in castra, itinere quantum vno die confici potest ex omni parte castrorū per circuitum*: &c. *Et* (pro verumtamen) *misit maciē* &c. id est, verumtamē cibus ille diuinitus missus, ac cōcessus, tantùm abest vt eos expleuerit, vt in maciē potiùs ac tabem cōuersus sit: exitio siquidē illis fuit, *& adhuc carnes erant in dentibus eorum, antequam concisæ essent: & (ecce) furor Domini concitatus* (Heb. *exardens*) *in populum percussit eum plaga magna nimis. Vocatúsque est ille locus Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat*, ad verb. *concupiscentem*. Num. 11. 33. & 34. Per *maciem* Ezra & Kimhi mortem concupiscentium intelligi volunt. Cæterùm quidam obseruant paronomasiam in voce רזון *razon, maciem* significāte, quę hic occurrit, & vocabulo זרא *zara*, quod *nauseam* significat, & legitur Num. cap. cit. vers. 11. Alij volunt voce רזון *razon*, alludi ad רצון *ratson*, quod est *voluntas* seu *beneplacitum*, quasi diceretur, carnes autē quas tam vehementer expetierant, & fuerant illis רצון *ratson*, hoc est, *voluntas* seu *bene-placitum*, conuersæ illis sunt in רזון *razon*, id est, *maciem*. Vbi nos *maciem*, græcus vertit πλησμονὴν, Lat. *saturitatem*. Vtrumque multis verbis defendit Genebrardus, moriones vocans, qui hic incusant Septuaginta, quasi verterint è diametro veritatis Hebraicæ. Πλησμονὴ igitur ipse interpretatur repletionem emaciantem, satietatem seu saturitatem tabefacientem. Illum, si vis, consule.

16 *Et inuiderunt Moysi* dominium seu principatum, *Aaroni sancto eius*, hoc est, summo Dei sacerdotio fungenti, summum sacerdotium. Qui inuiderunt? Core, Dathan, Abirom, On, & qui Coræ factionem sequebantur ducenti quinquaginta è primatibus viris. Legendum hac de re cap. 16. Num. ex quo constabit quid hic sit intelligendum per *sanctum Dei*. Obseruat Kimhi, & probat exemplis verbum קנא *kinne*, quod significat *inuidere*, cum ל constructum in bonam partem, cum ב verò in malam esse accipiendum: in hoc autem versu ל esse pro ב, vt & Gen. 4. 23. in לפצעי *lephitsi*, id est, *in vulnere meo*, & alijs in locis, quos ipse citat.

17 *Aperta est* vel *Aperuit se* tunc *terra*, &c. Simile mox cit. cap. Num. vers. 32. *Aperuitque terra os suum, & deglutiuit eos*, &c. *Et operuit super congregationem Abirom*. Nam A *descenderunt ipsi, & quotquot ad eos pertinebant viui in infernum*, (*sepulchrum*,) *ac operuit eos terra*: &c. cit. cap. Num. vers. 33. Cur in hoc versu nulla fit mentio Coræ? Quidam id factum putant, vt honori posterorum Coræ, qui fortè eo tempore, quo scriptum est hoc carmen, insignes atque illustres essent viri, consuleretur. Quidam, vt Kimhi, quòd nemo ignoret Coram istius seditionis auctorem fuisse: vel quòd adiutores sceleris ac seditionis peiores sint autore seditionis, qui nisi haberet socios & B adiutores, nunquam suum consilium posset perficere. Sed cur On quoque, cuius cit. cap. Num. vers. 1. in principio seditionis mentio fit, hic siletur? Kimhi putat, quòd resipuerit, ac consilium mutauerit, ideóque cit. cap. Num. semel tantùm huius fieri mentionem, nimirùm initio seditionis. Veteres Rabbini, vt sunt audaces, affirmant vxoris consilio desciuisse à coniuratione.

18 *Et exarsit ignis in congregatione* &c. Respondet hic versus ad versum 35. cit. C cap. *Sed & ignis egressus est à Domino, & consumpsit ducentos illos & quinquaginta viros qui offerebant incensum.*

19 *Fecerunt vitulum* &c. Ad aliam nunc transit historiam, nec seruat ordinem: hæc enim illam præcessit, & describitur Exodi 32. Talis est fermè, Immorante diutiùs Moyse cum Domino apud montem Sinai, totos nimirùm quadraginta dies, populus desperato eius ad se reditu, ad idololatriam conuersus adegit Aaronem simulachra vt faceret. Tunc igitur illis ex inauri- D bus aureis vitulum aureum conflauit: cui cùm populus tot præteritorum beneficiorum Dei immemor holocausta & hostias pacificas seu pro salute fecisset, conuiuiáque & lusus agitasset, ira percitus Deus impiam gentem, nisi à Moyse fuisset exoratus, deleuisset. Hæc historia hoc & quatuor sequentibus versibus explicatur. *Fecerunt* patres nostri, vt suprà. *In Horeb* seu Sinai. Non sine emphasi est hoc additum, ad arguendam magis contumaciam gentis, quæ eo ipso in loco Idola fabricata est, vbi E auribus suis Dei voces audierat, vbi legem nuperrimè acceperat, cuius hoc ferè initium, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* &c. Exo. 20. 4. *Fusile*. Vitulum fusile seu conflatilem. Vide Ex. 32.

20 *Et mutauerunt gloriam suam*, hoc est, Deum suam ipsorum gloriam ac decus, *in similitudinem* &c. Idem dicit quod in superiore versu. *Comedentis fœnum* seu *herbam*. Hoc additum per contemptum. Rasi sic ferè habet ad hoc, Nihil tibi detestandum atque abominandum magis, quàm

bos, quando herba vescitur, quia tunc multum egerit stercus, quo inquinatur. Idem obseruat Kimhi ex Deras.

21 *Obliti sunt Deum* &c. & conflato areon vitulo *dixerunt, Hi (sunt) dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Exo. 32. 4.

22 *Terra Cham.* Sic nominat Aegyptum per contemptum. Vide ad vers. 23. Psal. præcedentis.

23 *Et dixit* Deus *vt disperderet eos*, ad verb. *ad disperdendum eos*, hoc est, se disperditurum eos. Respondet hoc ad vers. 10. cit. cap. Exo. *Nunc igitur dimitte me*, aiebat Deus Moysi, *vt irascatur (excandescat) furor meus contra eos, & deleam eos. Si non Moyses* &c. hoc est, nisi Moyses dux & imperator à Deo electus suis precibus iram Dei auertisset, & quasi vir strenuus sese illius furori irruenti per ipsum muri interrupti aditum fortiter obiecisset, ac Deum veluti repulisset. Quum enim *in confractione* seu *ruptura* ait, respicit ad vrbium expugnationes, vbi si murus ariete concussus dissiciatur, ac corruat, strenui milites obiectis corporibus rupturam claudunt, ne hostis C ea parte, qua murus apertus est, irrumpat: & hoc est stare in ruptura. Similis occurrit loquutio Ezech. 13. 5. vnde sententia huius loci colligi potest, *Non ascendistis*, inquiebat Deus Prophetis insipientibus, *ad rupturas, neque sepiuistis* (in Lat. corrupte, vt apparet *expetiuistis*) *sepem super domum Domini, vt staretis in prælio in die* furoris *Domini.* Cap. 22. 30. similis quoque loquutio extat, *Et quæsiui ex eis virum qui sepiret sepem, & staret in ruptura in conspectu meo pro terra,* (Lat. *staret oppositus contra me*) *ne dissiparem eam: & non inueni.* Inuentus est profectò D qui stetit in ruptura, de qua hic sermo, quam ipsi patres nostri, conflato aureo vitulo, fecerant, Moses nimirum, qui iræ Dei preces suas fortiter opposuit, Exo. cap. cit. vers. 11. & sequentibus.

24 *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*: &c. Tangit quatuor his versibus breuiter historiam exploratorum, quæ copiosè describitur Num. 13. & 14. Moyses à Domino iussus ex Pharan solitudine exploratores duodecim, principes viros è singulis Tribubus, miserat, consideraturos terram Chanaan. Hi igitur tota terra diligenter perlustrata, ac simul explorata soli & incolarum natura, reuersi ad suos post quadraginta dies renunciarunt fœlicem quidem omni copia esse regionem, ac fidem faciebant ex fructuum specimine allato: sed gentes validas, & vrbes firmissimis mœnibus cinctas atque munitas. Quod vbi populo compertum, is sic animo consternatus est, vt fastidita terra, eiúsque desperata A possessione, quasi Deus fefellisset, cœperint fremere aduersus Moysem & Aaronem, eóque mali ventum sit, vt detrectato Moysis atque adeo Dei imperio, ducem sibi constituere pararent, cuius ductu in Aegyptum se reciperent. Ea re commotus Dominus iurauit se in deserto prostraturum Israelitas omnes, quotquot viginti annis maiores censi essent, & sedem promissam aditurum neminem, præter Caleb, & Iosue, qui populum bono animo esse iusserant. Hæc est historia quam nunc breuiter tangit. *Pro nihilo habuerunt*, seu *spreuerunt*, hoc est, fastidierunt, audita exploratorum narratione, *terram desiderabilem*, hoc est, terram Chanaan, quam vel ex exploratorum relatione discebant fluere lacte & melle, Num. 13. 28. & quæ *desiderabilis est omnibus terris*, seu *egregia inter omnes terras*, Ezech. 20. 6. *Non crediderunt verbo eius*, qui promiserat se terram illam eis daturum hæreditario iure possidendam, sed dixerunt, *Et quare introducit nos Dominus in terram hanc, vt cadamus gladio*, &c.

25 *Et murmurauerunt* &c. Num. 14. 2. & sequent. *Et murmurauerunt contra Moysen & Aaron cuncti filij Israel*, &c. Deut. 1. 27. *Et murmurastis in tabernaculis vestris, dicentes*, &c. *In tabernaculis suis*, id est, in concionibus apud sua tabernacula, huius & illius. *Non exaudierunt vocem Domini*, hoc est, noluerunt ascendere, sed repugnarunt verbo Domini Dei sui, vt est Deut. 1. 26. qui dixerat, *En tradidi vobis terram: ingredimini & possidete terram illam, quam iurauit Dominus patribus vestris*, &c. Deuter. 1. 8.

26 *Et eleuauit manum suam eis*, hoc est, iurauit, ac minatus est illis, vel iurauit de illis, &c. Iuramentum hoc legitur Num. cit. cap. vers. 21. & sequentibus, *Et profectò viuo ego*, &c. *Non videbunt terram (pro) qua iuraui patribus eorum*, &c. Ibidem, vers. 28. & sequentibus, *Viuo ego, ait Dominus*, &c. *In solitudine hac iacebunt cadauera vestra*, &c. *Non intrabitis terram (super) quam leuaui manum meam*, &c. *Eleuare manum*, idem est quod iurare, forma sermonis ab homi- E nibus sumpta, qui iurantes manus ad cælum attollunt, tanquam mostrantes Deum, quem in testem vocant, aut iudicem eum de cælo accersentes, si fallant. Hæc phrasis occurrit Gen. 14. 22. Num. loco mox cit. Deut. 32. 40. Dan. 12. 7. Ezech. 20. non semel.

27 *Et vt deiiceret (prosterneret) semen eorum* &c. Nullibi in Lege reperimus interminatum Deum deiecturum aut prostraturum semen eorum in nationibus, ac dispersurum eos in terras: at clarè apud

Ezechielem, cap. 20. 23. his verbis, *Etiam ego leuaui manum meam eis in solitudine*, (*deserto*,) *vt dispergerem* (illic הָפִיץ *haphits*, *dispergere*; hic הָפִּיל *happil*, *deycere*) *illos in nationes*, *& ventilarem in terras*. Mihi igitur videtur cum Kimhi, illud esse quod dicitur cit. cap. Num. ver. vlt. *Descenditque Amalecites & Chananæus qui habitabat in monte: & percutiens eos atque concidens persequutus est eos vsque Horma*. Necnon Numer. 21. 1. *Quod cùm audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venisse Israel per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor existens duxit ex eo prædam*, quæ postea iterum, vt annotat Kimhi ad locum Ezech. cit. longè fuerit abducta, & alijs gentibus rursum diuendita: atque hoc ipsum est, *& vt dispergeret eos in regionibus* seu *in terras*. In Deras hic versus de futuro tempore explicatur, quando ex Dei decreto semen eorum in alienas terras esset deportandum, iuxta illud Deut. 4. 25. *Quum genueris filios ac nepotes*, &c. vers. 27. *Atque disperget vos Dominus in populos*, &c. In hac sententia sunt Rasi & alij, qui diuinant ab eo tempore decretam Templi seu Domus desolationem, nocte nimirum illa, in qua vniuersus cœtus exploratorum nuncio perculsus sustulit ac dedit vocem suam, & fleuit, Num. 14. 1. quam noctem somniant fuisse nonam mensis Iulij: ac tunc sic pronunciasse Deum, Pro eo quòd isti nulla de caussa fleuerunt, certo tempore adferam illis fletum in generationes: nono enim mensis Iulij desolata fuit domus prima, & secunda. Somnia. Meliùs Ezra, quàm hi, qui huic versui adhibet hanc conditionem, si filij instar patrum rebelles fuerint, sicut scriptum est in secundo fœdere, quod Moses cum filijs pepigit. Non igitur filij ob parentum culpam pœnas luerunt, sed ob suam, quia sicut parentes à Deo defecerunt, atque ideo meruerunt in exteras regiones amandari.

28 *Et initiati sunt* (*adhæserunt*) *Beel-phegor*, &c. His quatuor versibus tangit historiam Num. 25. Israelitæ quum essent in Setim, cœperunt vulgò cum Moabitarum puellis scortari, à quibus deinde facilè sunt pertracti, vt relicto veri numinis cultu, idolis suffirent, earúmque ritu sacra facerent, ac colerent Beel-phegor. Haud facilè aliàs magis cuiusquam enituit religionis ardor, quàm tum Phineæ Eleazari filij, Aaronis nepotis. Is quippe, Zambri filio Salu, Simeonidis Tribus principe, & Cozbi filia Sur, principe Madianitide, qui simul in idem tentorium, omnibus, & quidem cum dolore spectantibus, conuenerant, vno ictu per inguina transfossis, numinis iram auer-

A tit, & cladem ab eo iussam, quâ iam perempta fuerant viginti quatuor millia, cohibuit: quo facto à Deo pij zelatoris elogium, & sacerdotium sibi ac posteris in perpetuum meruit. Hæc est historia, quæ hîc breuiter tangitur. *Et initiati sunt*, ad verb. *coniugati* seu *copulati sunt*, seu *adhæserunt Beel-phegor*. Simile Num. cap. cit. ver. 3. *Initiatusq; est* (idem verbum Hebr. quod hîc) *Israel Beel-phegor*. *Et comederũt sacrificia mortuorum*, hoc est, idolorum, qui sunt dij mortui, vitæq; expertes, ac nihil aliud
B quàm lapis & lignum; quæ non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. Hoc sensu Es. 8. 19. *pro viuis à mortuis?* quorum verborum hic est sensus, num aliquis pro viuorum negotijs idola, quæ nihil sentiunt, debet consulere? Respondet porrò hoc membrum ad vers. 2. cit. cap. Num. *Et vocauerunt populum ad sacrificia Deorum suorum, comeditque populus*, &c.

29 *Et irritauerunt* &c. Num. cit. cap vers. 3. *accensúsque est furor Domini contra Israel*.
C &c. *In adinuentionibus* (prop. *operibus*) *suis*, quòd nimirum scortati essent cum filiabus Moabitarum; quòd eorum idola coluissent, & adhæsissent ipsi Beel-phegor. *Et multiplicata est*, seu *creuit in eis ruina*, prop. *plaga*. Referendum hoc ad vers. 9. cit. cap. Num. *Et occisi* (prop. *mortui*) *sunt* (vel potiùs *fuerant*) *plagâ illa viginti quatuor millia hominum*. Ruinam seu plagam ego profectò interpretor cladem, quam Moysi Deus imperat, his verbis, *Tolle* (*Assume*) *cunctos principes populi*, *& suspende eos* (qui tuo & principum populi iu-
D dicio rei peragentur) *Domino coram Sole. Dixítque Moyses ad iudices Israel, Occidite vnusquisque viros suos*, (id est, subditos suos,) *qui initiati sunt Beel-phegor*. Quidam intelligunt pœnam cælitus inflictam, putà luem, aut aliquod aliud malum, vt Exo. 16. vbi eadem vox atque hîc, 2. Sam. 24. 25. vbi eadem quoque vox, atque hîc, eáque de peste vsurpatur.

30 *Et stetit Phinees*. Respondet hoc ad illud Num. cit. cap. vers. 7. *Quòd quum vi-*
E *disset Phinees filius* Eleazari *fily Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis*, seu *congregationis*. *Et diiudicauit*, hoc est, ipse zelo Domini accensus, nõ expectata Moysis & iudicum sententia, iudicium exercuit, transfixis adulteris. Græc. vertit ἐξιλάσατο, hoc est, *placauit*, (ac sic Lat.) *expiauit*, quasi diceretur, piaculo dato duorum capitum noxiorum numinis iram propitiauit. Græcus & Latinus videlicet ad sensum magis, quàm vocem respexerunt, & ad illud cit. cap. vers. 13. *& expiauit scelus filiorum Israel*. Chald. interpretatus est *& orauit*, ex signi-

ficatione quam obtinet verbum פלל in Hithpael: nam in Piel ſignificat *iudicare*, ſicque hic nos expoſuimus ex Ezra, & Kimhi, & cum D. Hieronymo.

31 *Et reputatum eſt ei* &c. Quandiu enim durabit tempus atque ætas, nulla vnquam erit poſteritas, quæ Phineæ zelum atque ardorem non prædicet. Ac tanti quidem æſtimatum eſt à Deo factum illud Phineæ, vt idcirco delatum ei ſit ac poſteris ſacerdotium ſempiternum, quoad ſcilicet aliud ſacerdotium per Chriſtum induceretur. Vide Num. cap. cit verſ. 13.

32 *Et irritauerunt (eum) ad aquas* &c. Hi duo verſus pertinent ad hiſtoriam, quæ deſcribitur Num. 20. nec ſeruatur ordo hiſtoriæ, qui eſt in libris Moſis, vbi fornicatio cum filiabus Moab ſequitur hanc rebellionem. In Cades ob aquæ penuriam grauis aduersùs Moyſem & Aaronem exorta ſeditio eſt. Tum igitur Moyſes more ſuo fecit, vt vnà cum fratre Deum conſuleret, à quo iuſſus virga ferire petram, vt antea fecerat in Raphidim, ipſe iterato ictu, quaſi dubitans ac Deo diffidens, quòd primò res non ſuccederet, petram percuſſit: quæ res illi malè ceſſit: cùm propter hoc peccatum promiſſam ſibi terram non ingreſſus ſit, neque Aaron frater eius. Sed plura inter explicandum hos verſus annotabuntur, de quibus non conueniunt interpretes. *Et irritauerunt (eum)* Deum ſcilicet. Seditio illa aduersùs Moyſem & Aaronem, ad Deum præſertim pertinebat. *Ad aquas Cõtradictionis*. En tibi textus cit. cap. Num. verſ. 13. *Hæ (ſunt) aquæ contradictionis* ſeu *iurgij. (pro) quibus iurgati ſunt filij Iſraël contra Dominum.* *Et male fuit Moyſi propter eos*, quippe qui hac occaſione excluſus eſt ab ingreſſu terræ promiſſæ, vt ex ver. 12. & 24. cit. cap. videre eſt: necnon ex verſ. 37. cap. 1. Deut. vbi ſic legitur, *Mihi quoque iratus Dominus propter vos dixit, Nec tu ingredieris illuc.*

33 *Quia exacerbauerunt ſpiritum eius*, &c. Non hic conuenit etiam inter Hebræos. Ioſeph Kimhi, filio teſte, pronomen *eius* refert ad Moyſem, quaſi ſic dicatur, Ita enim Moyſis animum tum ſuis clamoribus turbarunt, exaſperaruntque, vt & ipſe temere & turbulenter hoc protulerit, *num de petra hac poterimus vobis aquam elicere?* cit. cap. Num. verſ. 10. Dubitauit tum ſcilicet Moſes num ex petra poſſet aquam elicere, quòd non cerneret Deum ſibi aſtantem ſupra petram, vt in Raphidim, Ex. 17. 6. qua in re peccauit, Dei verbis, qui aquæ copiam facturum ſe promiſerat, non ſatis fidens, atque idcirco ingreſſu terræ promiſſæ prohibitus eſt. Omittimus conſultò

A alia quædam, quæ hic habet, & diuinat Ioſeph Kimhi. Si cum illo ſentire vis, dic quum ait, *& protulit in labijs ſuis*, nec ſubiungit quid à Moſe dictum ſit, videri datâ operâ, & honoris ergô Moſis peccatum obſcuriùs voluiſſe ſignificare, quaſi diceret, *protulit in labijs ſuis* neſcio quid, vel illud quod in hiſtoria videre licet: vel certè breuitati ſtuduiſſe. Alij, quorum eſt Raſi, *eius* ad Deum referunt, hoc ſenſu, Moſes & Aaron Deum ad iram prouocauerunt, quum dicerent, *Audite nunc, ò rebelles, nũ de petra hac* &c. *Et protulit Deus in labijs ſuis*, ac tunc dixit Moyſi & Aaroni, *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me in oculis filiorum Iſraël, idcirco non introducetis congregationem iſtam in terram quam dedi illis*, hoc eſt. neque vos adibitis ſedem promiſſam. Ex Kimhi & alijs vertendum & exponendum, *Quia rebellauerunt ſpiritui eius*, hoc eſt, Dei mandato ac voluntati non obtemperarunt Moſes & Aaron, qui cùm iuſſi eſſent tantùm alloqui petram, ſumpta in manum virga, non virga cædere, *Tolle (Accipe) virgam, & congrega cœtum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram corã eis, & (illa) dabit aquas*: &c. nihilominus tamẽ virga petram percuſſerunt: (ſolus Moſes percuſſit, Num. cit. cap. verſ. 11. ſed quod is fecit, etiam Aaroni, cuius conſilio nihil non agebat Moſes, iure merito adſcribi poteſt) idcirco *protulit* Deus *in labijs ſuis*; hoc eſt, ipſemet ore ſuo pronunciauit aduerſùm illos duram ac triſtem ſententiam, his verbis, *Quia non credidiſtis mihi*, &c. vt ſuprà. Et cit. cap. verſ. 24. *Congregabitur Aaron ad populos ſuos; non enim intrabit terram, quam dedi filijs Iſraël: eò quòd rebelles fueritis ori meo ad aquas Contradictionis.* Sed cur *rebellauerunt* referatur ad Moyſen, & Aaronem, cùm Aaronis in præcedente verſu nulla ſit facta mentio? Reſpondeo in Moyſe facilè Aaronem intelligi, vt & in Aarone Moyſem, quemadmodum verſ. 24. mox cit. Qualecumque ſit peccatum propter quod Moyſes & Aaron aditu terræ promiſſæ prohibiti ſunt, profectò ex locis mox citatis apparet haud leue fuiſſe. Vulgò exiſtimant Moyſen & Aaronem peccaſſe, adeóque excluſos ab ingreſſu terræ promiſſæ, quòd Moyſes bis, quaſi per diffidentiam, & cum ſignificatione dubitationis, petram percuſſerit, Num. cit. cap. verſ. 11. quòd non videret ſcilicet aquam ex primo ictu effluere. Elige quam ſententiam volueris. Nota obiter loquendi formulam, *rebellauerunt ſpiritui eius*, cui ſimilis occurrit Eſ. 63. 10. *Ipſi autem rebelles fuerunt, & affixerunt ſpiritum ſanctum eius.*

34 *Non diſperdiderunt Gentes*, (prop. *po-*

pulos, &c. Hactenus peccata recensuit commissa in deserto, nunc alia congerit, quæ occupata iam terra commissa sunt. Ac primò quidem inanem speciem clementiæ in maioribus arguit, qua populis quos ad internecionem Deus deleri districtè iusserat, pepercerunt, etiam illi, qui ipsam Chananitidem singulari Dei beneficio adepti, nihilo quàm patres sui diuinæ voluntati obsequentiores se præbuerunt. Extrema impotentis populi contumacia, qui Dæmone instigante filijs nonpepercit, vt mox dicetur, Deo autem iubente ne hostes quidem attigit, vel inani clementia, vel potiùs stulta auaritia, vt haberent qui tributa penderent, vt ex *1*. Iud. videre est. *Non disperdiderunt Gentes* seu *populos* sub Iosua, Iof. *13*. *13*. vbi sic legitur, *Non expulerunt autem filij Israel Gesuri, & Maachati: & habitauerunt Gesur & Maachat in medio Israel vsque in præsentem diem*: nec sub Iudicibus, vt ex *1*. Iud. constabit. *Quas dixit* seu *dixerat Dominus illis*, vt disperderent, Num. *33*. sub finem, *Præcipe filijs Israel, & dic ad eos, Quando transieritis Iordanē, intrantes terram Chanaan, Expellite omnes habitatores terræ illius à facie vestra*, &c. Deut. 7. initio, *Quum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam tu ingressurus es vt possideas eam*, &c. *Tradideritque eas Dominus Deus tuus coram te, & percusseris eas, perdendo perdes eas*, hoc est, perdes eas prorsus. Deut. 20. 16. *De ciuitatibus autem populorum istorum, quos Dominus Deus tuus dat tibi hæreditatem, nullum omnino permittes viuere*, Heb. *non viuificabis vllam animam: Sed perdendo perdes eos*, &c.

35 *Et commisti sunt* seu *miscuerunt se* &c. hoc est, familiaritatem & societatem inierunt cum Gentibus ijs, apud quas degebant & versabantur, adeoque earum moribus facilè sunt imbuti: non viuente quidem Iosua, neque Senioribus, qui ipsi superuixerunt, qui *nouerant* ac *viderant omnia opera Domini magna quæ fecerat Israeli*, Iud. 2. 7. sed qui ijs vita functis successerunt, *qui non nouerant Dominum, & etiam opera quæ fecerat Israeli*, ibid. vers. 10. Nam hi *fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim*. &c. Iud. cap. cit. vers. 11. & sequentibus. *Et didicerunt opera earum*, hoc est, omnes abominationes, quas illæ faciebant Dijs suis. Id futurum Deus Israelitas antè docuerat, nisi Gentes, ad quas accedebant, ad internecionem delerent. Vide Deut. 7. 4. necnon 20. 18.

Deut. 20. 18.

36 *Et seruierunt sculptilibus* &c. Vide Iud. 2. 11. & sequentibus. Explicat quæ fuerint illa Gentium opera, quę didicerunt. *Sculptilibus* seu *idolis*. Vox Hebraica עצבים *atsabbim*, dolores ac molestias sonat, quod idola nihil aliud suis cultoribus quàm cruciatus & dolores adferant. *Et fuerunt*, sculptilia illa scilicet, *illis in laqueum*, iuxta illud Iud. 2. 3. *& dij eorum erunt vobis in laqueum*.

37 *Et immolauerunt* iugulando ac mactando, vt ex sequente versic. apparet, *filios suos* &c. Nefandum profectò & crudele sacrificij genus, in quo impij parentes non pepercerunt innocentibus liberis in dæmonum gratiam, qui impijs Gentibus præter Dei voluntatem pepercerant. Non legimus in libro Iud. eos, qui Iosuæ, aliisque qui terram Chanaan primi adierant, successerunt, de quibus hic sermo est, liberos dæmonibus mactasse: sed probabile est eos id fecisse, cùm ea esset Gentium, cum quibus degebant, consuetudo: & hoc credendum est, inquit Glossa, Prophetæ, qui mentiri non potest: addo ego, & qui per traditionem à Maioribus accepit id quod scripsit. Non dubium est, & id conuincunt sacræ litteræ, quin Israelitæ aliquando igni liberos deuouerint, ac comburendos flammis tradiderint: quòd verò liberos pecudum more cultris mactarint ac iugularint, id nullibi legitur quàm hic: nam propter sequentem versum, vbi dicitur, *Et effuderunt sanguinem* &c. *& infecta est terra in sanguinibus*, hic versus dubio procul de mactatione ac iugulatione accipiendus est, non de crematione seu combustione, vt verba sonant, nisi si fortè hæc illâ etiam comprehenditur. Quòd igne cremarint aliquando Israelitæ liberos, non lustrarint tantùm, sacras litteras dixi conuincere: ac sic demonstro: liceat enim hîc mihi paulisper præter morem excurrere, propter nouam cuiusdam, viri aliàs docti, & ingeniosi rerum abstrusarum indagatoris opinionem, quam audio multos commouisse. Apud Ier. cap. 7. 30. & seq. queritur Dominus quòd *fecerint filij Iuda malum in oculis suis*: &c. *Et ædificauerint excelsa Thopheth, quod (est) in Valle filij Ennom, vt comburerent* (heb. לשרף *lisroph*) *filios suos & filias suas igni*: &c. Idem queritur & cap. 19. 5. *Et ædificauerunt*, inquit, *excelsa Baal ad comburendos* (hîc quoque לשרף) *filios suos igni holocausta* (nota) *ipsi Baal*: &c. Pergit, *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus iste Thopheth, & vallis filij Ennom, sed Vallis occisionis*. Sed Ezechiel cap. 16. 20. & seq. Deum inducit maiori vehementia conquerentem hac de re, vrbemque Hierosolymam alloquentem hunc in modum, *Tulisti insuper filios tuos & filias tuas, quos genuisti mihi, & immolasti illos eis ad deuorandum*: &c. *Et immolasti* (*mactasti*)

filios meos, & dedisti illos, vt transire facerent illos eis. Videamus porrò quid Rasi & Kimhi habeant ad hæc Prophetarum loca. Rasi quidem ad vers. 31. cit. cap. 7. Ieremiæ sic scribit, explicans vocabulum הַפֶּת *Thopheth.* Est, inquit, idem quod Moloch seu Molech: erat autem æreum simulachrum, (facie vituli ex Ialkut) quod supposito igne accendebatur: habebat autem extensas manus, quibus applicitus paruulus adurebatur, seu, amburebatur, sacrificulis interim tympana pulsantibus, ne pueri eiulantis ac rugientis vocem exaudiens pater miseratione afficeretur. Atque inde *Thopheth* à תֹּף *thoph*, quod *tympanum* significat, הִנֹּם *hinnom* autem, seu, *Ennom* à נַהֲמָה *nahama*, (per aliquam nimirum litterarum transpositionem) id est, *rugitu*, pueri scilicet, dici vult. Hæc sententia Rasi omnino vera sit, nécne, nunc non disputo. Sed considerandum præsertim, quod idem habet ad illa verba citati capitis 19. Ieremiæ, vers. 12. *ponam ciuitatem istam* (Ierusalem) *sicut Thopheth*, hoc est, omnino plenam occisis, sicut Thopheth, vbi occidunt paruulos ipsi Moloch. Audi nunc Kimhi ad cit. cap. Ieremiæ versum 31. *Et ædificauerunt excelsa Thopheth*, &c. *vt comburerent filios suos*, &c. *quod non præcepi*, &c. Nolui, neque ijs præcepi, vt mihi comburerent filios suos ac filias: ac si de carne bestiæ, vt combureretur coram me, præcepi, non idem de filijs præcepi, cùm tamen ipsi illos comburant in gratiam Dei alieni, neque vlla miseratione tangantur, ita erga idolum amore flagrant. Sed & idem Kimhi ad cit. cap. Ezech. vers. 20. sic annotat, *ad deuorandum* seu *consumendum*, hoc est, vt eos ignis consumeret, eósque transire facerent ipsi Moloch. Atque hoc loco repetit locum Ieremiæ 7. ver. 31. *vt comburerent filios suos, & filias suas igni.* Neque verò aliter sentit Moses Ægyptius. Nam etsi in *More neuochim*, 37. cap. 3. partis, simplicem liberorum per ignem traductionem, seu mauis lustrationem adstruat, déque ea legem Leuit. 20. quâ cauetur ne quis det de semine suo, idolo Moloch, intelligendam esse doceat, non tamen illic negat Israëlitas igni aliquando liberos mactasse. Mane, si placet. Rasi explicans illud 2. Reg. 23. 10. *Contaminauit quoque* (Iosias) *Thopheth*, &c. *vt nemo transire faceret filium suum aut filiam per ignem, Moloch*, hæc annotat, Ecce extruxerant ibi ædificium, vt transire faceret quisque filium suum ac filiam per ignem, ipsi Moloch: erat autem hinc inde ignis: ac sacrificuli puerum traducebant inter duos ignes. Hic, vt vides, simplicem quoque per ignem traductionem videtur

A adstruere, qui tamen, vt ex dictis constat, liberos suos aliquãdo in gratiã Moloch morti tradidisse Israëlitas existimauit. Num verum sit quod vterque de simplici per ignem traductione sentit, non quæro nunc: etsi ego existimo non de simplici traductione intelligendam legem Leuit. 20. Atque vt hoc credam, facit præsertim locus citati cap. 16. Ezech. vers. 20. & 21. vbi simul cum לֶאֱכוֹל *leechol*, id est, *ad deuorandum*, & וַתִּשְׁחֲטִי *vattischati*, quod significat & *immolasti*, seu, *mactasti*, coniungitur verbum *transire faciendi*: quod argumento est non simplicem traductionem illic, neque
B alibi esse intelligendam, sed quæ mortem adferret. Confirmat me in sententia illud quod obseruat Kimhi ad locum cit. cap. lib. 2. Reg. *Contaminauit quoque Thopheth*, &c. Nomen, inquit, fuit loci, in quo transire faciebant filios suos ipsi Moloch. Ac dicunt sic vocatum, quòd saltauerint, & percusserint tympana tempore cultus, ne exaudiret pater clamorem filij sui, quum traduceretur per ignem, ac fremeret in ipso cor eius, repeteretque filium è manu illorum, &c. Sic ferè ille ad verbum: vnde
C euidenter constat non fuisse simplicem traductionem, quæ puero clamorem, vi doloris scilicet, extorqueret. Mitto alia multa quæ his adiici possent. Neque enim nunc mihi licet per otium plura scribere: ita me vrgent typographicæ operæ. Non possum tamen facere quin consulam Abarbanel, qui mihi ab amico, dum hæc properans scribo, adfertur, præsertim cùm is in patrocinium contrariæ sententiæ citetur. Is igitur ad cap. 20. Leuit. vbi cauetur ne quis
D det de semine suo, Moloch, sic ferme scribit: Sententia R. More (is est Moses Ægyptius) de cultu Moloch, vti scripsit cap. 37. partis tertiæ, est, vt solùm traduceret quis filium suum aut filiam suam per ignem: sicque esse factum, quò viuerent liberi: quoniam verò id factum leue, vtilitas autem, quæ inde sperabatur, maxima videbatur, idcirco ei rei vehementer addixisse sese homines: quæ caussa est cur Scriptura tam sedulò de hac re moneat, ac districtè caueat. Ac scribit laudatus Doctor
E hodiéque mulieres eum morem habere, vt igni iniciant atque aspergãt aliquid fœtidi odoris, ac postea traducãt super eo liberos suos, & hanc esse consuetudinem Amorrhæorum. Atque hæc quoque sententia est Rasi, Talem nimirum fuisse cultum Moloch, vt aliquis traderet filium suum sacrificulis, qui duos ingentes rogos struerent, ac traducerent eum filium suis pedibus incedentem inter duos rogos, sed ita, vt minimè combureretur. Verùm, *inquit ille*,

longè ab hac ſententia abhorret mens mea, quia ſi res fuit adeo leuis, lex diuina non tam diſtrictè cauiſſet ac prohibuiſſet. Atque ecce Ieremias Propheta, qui in pace quieſcat, de hoc ait, *Et ædificauerunt excelſa Thopheth, quod (eſt) in Valle fiij Ennom, vt comburerent filios ſuos & filias ſuas igni.* Qui declarat cultum illum in combuſtione filiorum & filiarum per ignem poſitum fuiſſe. Neque eſt quòd dicas, illud, cuius meminit Propheta, fuiſſe in Valle filij Ennom, neque eſſe Moloch, cuius erat alius cultus. De Ioſia enim ſcriptum eſt, *Et contaminauit Thopheth, quod (eſt) in Valle filij Ennom: vt nemo tranſire faceret filium ſuum aut filiam ſuam per ignem, ipſi Moloch.* Qui locus oſtendit Thopheth, quod eſt in Valle filij Ennom, fuiſſe excelſum Moloch, ibique celebratum eius cultum. Neque traductio, cuius Lex meminit, traductio eſt inter duos rogos, aut ſupra ignem, quemadmodum ſentiunt Doctores iſti μακαρῖται, ſed ea eſt combuſtio: ac ſic ſcripſit R. Nachamani in ſuo commentario: ſicque dixit Scriptura (Ezech. 23. 37.) *inſuper & filios ſuos quos genuerunt mihi, tranſire fecerunt* (per ignem) *eis ad deuorandum.* Ac propterea vocatur apud Ieremiam Thopheth, quod erat in Valle filij Ennom, *Vallis occiſionis*, quod occiderent illic ac mactarent filios & filias igne. Scriptum eſt etiam (Ierem. 19. 4.) *& repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum. Et ædificauerunt excelſa Baal ad comburendos filios ſuos igni holocauſta Baal, quod non præcepi, nec loquutus ſum, nec aſcendit in cor meum.* Certè iſte cultus exhibebatur Soli, qui igni dominatur: Sol autem eſt quaſi rex inter ſtellas, atque omnium maximus: idcirco apud illos vocatus fuit מֶלֶךְ *molech*, à dominio, (quaſi dicas *Regem*) necnon etiam בַּעַל *baal*, (quod *dominum* ſonat) quia ipſe dominus eſt exiſtentiarum, ſeu, generationum. Propterea quòd autem ſol dominatur in elementum ignis, & ignis eſt inſtrumentum operationis illius, ſolis cultores traducebant filios ſuos ac filias, quos eius virtute natos ſibi cenſebant, per ignem, hoc videlicet volentes, A te omnia, & de manu tua (de tuo) damus tibi. Sed ſatis, imò plus ſatis hac de re: etſi vix poſſum abſtinere manum ab ijs quæ ſequuntur: ita mihi arrident. Tantùm hoc addam, ſentire prædictum authorem hunc fuiſſe comburendi ritum, non vt in ignem & ligna coniiceretur paruulus, ſed vt toties per ignem traduceretur, donec moreretur. Omnino variè traditur iſte ritus ab Hebræis: aliter in Ialkut ad cap. 7. Ieremiæ, paulò aliter in Deras. Sed pene pudet me prolixitatis.

38 *Et effuderunt ſanguinem &c.* Ampliùs explicatur præcedens verſus, & quo modo immolauerint & ſacrificauerint liberos, mactando ſcilicet & occidendo, qui furor, & inſania fuit diabolica. Quòd *innocentem* ait, non caret emphaſi: quaſi diceret, tenerorum & adhuc in cunis vagientium infantium ſanguinem, adeóque innoxium: etſi potes pro immerente & criminis experte ſimpliciter exponere. Quod item addit, *filiorum ſuorum & filiarum ſuarum*, habet emphaſim: quaſi dicat, non quorumlibet, ſed ſuorum liberorum: quod item addit, *quos ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan*: quaſi dicat, Idolis, quæ nihil aliud quàm dolores & cruciatus adferre poterant: eadem enim hic vox quæ altero abhinc verſu: & quod addit denique, *& infecta eſt terra in ſanguinibus*: q. d. ac tam paſſim & frequenter hoc factum, vt terra ipſa, ſancta alioquin, & Deo dicata, multo cruore infecta ac contaminata conſpiceretur: *ſanguinibus* enim dixit in num. multitudinis ad multum cruorem indicandum. In Latinis exemplaribus olim ante Sixti ſummi Pontificis correctionem pro *infecta*, legebatur *interfecta*, quod pro *ĩfecta*, ſcripto per compendium, aliquis Hebrææ linguæ ignarus poſuerat. Atque inde errorem in Græcum codicem, qui habet ἐφονοκτονήθη, deriuatum palàm eſt. Quæ res profectò facilè perſuadet, ſaltem Græcam verſionem ex fide Latinæ, priuſquam de Sixti Summi Pontificis ſententiâ eſſet emendata, fuiſſe correctam, ab egregio ſcilicet correctore, & eximio aliquo viro. Vbi nunc ſunt, qui Græcam verſionem tam egregiè emendatam nobis venditant? Alia huic ſimilia memini me alio loco annotare: & hoc fortaſſe etiam iam per occaſionem aliàs annotaueram.

39 *Et contaminati ſunt* ſeu *polluerunt ſe in operibus earum* gentium, *& fornicati ſunt in adinuentionibus*, prop. *actionibus earum*: hoc eſt, non ſimpliciter fornicati ſunt, ſed turpiter Gentium more. In priore membro abſolutè affirmat geſſiſſe ſe Iſraelitas ad exemplũ prophanarum Gentium: in poſteriore reſtringit. *Contaminati ſunt*, quos ſanctũ ac ſibi conſecratũ populũ Deus eſſe voluerat: quos elegerat Dominus Deus, vt eſſent *ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram*, Deut. 7. 6. D. Hier. Pag. Felix, & alij vertunt *ſuis*, vbi nos *earum*, quaſi ſit hic verſus generalis concluſio, qua vniuerſim affirmet pollutos Iſraëlitas varijs ſceleribus inſtar turpis ſcorti quod cuiuſuis libidini corpus ſuum proſtituit: quò pertinet *& fornicati ſunt* &c. quod idem eſt ac *contaminati ſunt* &c. Niſi ſi adhuc hunc verſum ad idololatriam pertinere

tinere vis, quæ ſcortatio in Sacris litteris nominatur.

40 *Et iratus eſt* &c. ob illa facta non ſemel, vt ex Iud. hiſtoria conſtat. Reſpondet hic verſus ad illud Iud. 2. 14. *Et iratus eſt furor Domini contra Iſraël. Abominatus eſt* (emphaticè) *hæreditatem ſuam*, quam antè adeo charam habuerat: non tamen ita, vt conſumpſerit eos, irritum faciendo pactum ſuum cum eis. Vide Leuit. 26. 44.

41 *Et tradidit eos* &c. tempore Iudicum, iudicem inter & iudicem. Intelligunt quibus nota eſt Iudicum hiſtoria. Reſpondet hic & ſequens verſus ad illud cit. cap. Iud. verſu cit. *& tradidit eos in manus* (heb. *manum*) *diripientium, qui diripuerunt eos: & vendidit eos in manum inimicorum eorum* &c. *In manus Gentium: & dominati ſunt* &c. Cuſan-raſathain rex Meſopotamiæ, Iud. 3. Eglon rex Moab, ibidem, Iabin rex Chanaan, Iud. 4. Madianitæ, Amalecitæ, & alij Orientales populi, Iud. 6. Palæſtini & Ammonitæ, Iud. poſtremis capit.

42 *Et tribulauerunt eos* &c. Deus Num. 33. 55. interminatus fuerat, ſi non expellerent habitatores terræ, tum fore, vt quos reliquiſſent ex ijs, eſſent in ſpinas in oculis illorum, & in aculeos in lateribus, & afflicturos illos &c. Sic Iud. 2. 3. *Non expellam eos*, aiebat Deus, *à facie veſtra: ſed erunt vobis in lateribus*, ſub. in aculeos: vbi nota Græcum & Latinũ legiſſe לְצָרִים *letſarim*, (ille enim habet εἰς συνοχάς, hic, *hoſtes*) pro לְצִדִּים *letſiddim*, id eſt, *in* (*ad*) *latera*, ר pro ד. Vide & Ioſ. 23. 13 *Et humiliati ſunt* &c. hoc eſt, Iſraëlitæ hoſtium arbitrio & poteſtati traditi multa dira ſunt paſſi. Ezra ait hoc modo accipi quidem poſſe hoc membrum, ita vt ſit repetitio pro more eiuſdem ſententiæ: ſed & accipi poſſe ſic, *& tunc humiliati ſunt* &c. hoc eſt, victi ſunt malis, quæ perpetiebantur ab hoſtibus, vt ad Deum confugerent. Idcirco, inquit, mox ſequitur, *Sæpe liberauit eos.* Citat ſimile ex Leuit. 26. 41. *& inducam illos in terram hoſtilem: & tunc humiliabitur cor eorum incircumciſum*, &c. Verſu ſequente, *Et recordabor fœderis mei* &c. Prior expoſitio ſimplex eſt magis.

43 *Sæpe* (ad verb. *Vicibus multis*) *liberauit eos*; &c. Nemini obſcura eſſe poteſt horum verſuum ſententia, qui Iudicum hiſtoriam legerit. Iſraelitæ finitimo alicui Regi diuinitus ob peccata, quæ otium & longa pax ſuaſerant, in ſeruitutem traditi, ad Deum confugiebant: nec tum vnquam ijs defuit diuini numinis clementia, mox in libertatem reſtitutis. Neque verò propterea diu erant boni: ſed ſtatim proſperis rebus vtantea, corrupti Deum ignorabant, eiúſque beneficiorum immemores idolis litabant,

A ac ſupplicabãt: móxque aderat pœna. Tum igitur, aduerſis rebus, ad Deum reſpiciebant, cuius miſericordiam ſemper ſunt experti. Hæc res eſt, quæ his verſibus explicatur. *Sæpe liberauit eos* è ſeruitute & tyrannide, quum nimirum afflicti & coacti malis illius auxilium implorarent. *Ipſi autem* liberati mox, vt antè, *exacerbauerunt* (*eum*) *in conſilio ſuo* malo, hoc eſt, ſua impiè viuendi ratione, *& humiliati*, prop. *attenuati ſunt in iniquitatibus ſuis*. heb. *in iniquitate ſua*, hoc eſt, propter iniquitatem ſuam

B ſenſim in miſerijs & calamitatibus conta-buerunt. Huic ferme ſimilem phraſim reperies Leuit. 26. 39.

44 *Et vidit* &c. Senſus, Et tamen Deus, cuius clemẽtia noſtris ſceleribus nunquam vinci poteſt, non deſtitit eos reſpicere in malis, ſi modò illius opem implorarent, quò pertinet poſterius membrum, *audiendo orationem* ſeu *clamorem eorum*.

45 *Et memor fuit illis*, hoc eſt, erga eos, *teſtamenti*, prop. *pacti ſui* cum Maioribus eorum initi, quo promiſit ſe eos ab oneribus

C & ſeruitute Ægyptiorum eductos aſſumpturum ſibi in populum, & futurum illis in Deum, Exo. 6. 7. Promiſſio autem illa rurſum ad pactum antea cum Patriarchis initum referenda eſt. Quum autem hoc dixit, *Et memor fuit illis pacti ſui*, non dubium eſt mihi quin reſpexerit ad illud Leuit. 26. 42. *Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Iacob, & etiã fœderis mei cum Iſaac, & etiam fœderis mei cum Abraham.* Ac præſertim ad illud, *Et recordabor illis fœderis pri-*

D *ſtini*, ad verb. *priorum*, hoc eſt, pacti cum maioribus initi, *quando* (*qui*) *eduxi eos de terra Ægypti in conſpectu Gentium, vt eſſem Deus eorum*, heb. *illis in Deum: ego Dominus.* Ibid. verſu penultimo. Expende mihi diligenter, ac conſule iſtos locos. Nam prorſus ad hunc pertinet. *Et pœnituit eum* mali & pœnarum, quibus eos affecerat. Per pœnitentiam hic intellige ceſſationem caſtigationis. Pœnitentia non cadit in Deum: ſed tamen dicitur pœnitere Deum, quando id fa-

E cit, quod homo pœnitens ſolet, hoc eſt, quando mutat factum, & facit aliter, quàm videbatur facturus. Super pœnitentes, inquit (ſi bene commemini) D. Hier. pœnitet Deus de malitia quam loquutus fuerat vt faceret, & non fecit, & talis nobis efficitur, quales nos ſibi eſſe probauerit.

46 *Et dedit eos* &c. Caue hoc ſic explices, Fecit vt ijs ipſis hoſtibus, qui captiuos eos abduxerant, eſſent gratioſi, ſicuti video alios interpretari. Nam vbi hoc legitur in libro Iudicũ? quin ab omnibus tum peſſimè ſunt habiti, & duro imperio coërciti, vt ex Iud. hiſtoria conſtat. Sic ergo puto expo-

nendum, *Et dedit eos in miſericordias* &c. vt illos prorſus non delerent, cùm poſſent ac deberent humanâ prudentiâ, quippe qui vicinas terras inuaſiſſent, atque adeo metum facerent. D. Aug. hunc ſenſum eſſe vult, vt refert & approbat Card. Bellar. *dedit eos in miſericordias*, id eſt, fecit cum eis Deus miſericordiam, ſiue poſuit eos in ſinum miſericordiæ ſuæ, *in conſpectu omnium, qui ceperant eos*, id eſt, videntibus, & mirantibus ijs, qui eos ceperant; ſemper enim Deus tam euidenti ſigno miſericordiæ ſuæ liberauit populum ſuum, ſiue de Ægypto, ſiue de poteſtate Moabitarum, vel Philiſtinorum, vel aliorum, vt ne hoſtes quidem negare poſſent, Deum pugnare pro populo ſuo. Optima ſanè expoſitio.

47 *Saluos nos fac Domine* &c. Hic verſus eſt qui mihi perſuaſit conſcriptum hoc carmen in captiuitate Babylonica, aut certè ſub tyrannide Antiochi, quando etiam fuit diſſipatus populus. Hoc autem verſu repetitur Pſalmi propoſitio, ſed paulò aliter quàm ſuprà, verſu 4. & ſeq. Nam illic priuato ac proprio nomine votum libertatis conceperat, hîc publico. Ac breuiter hîc quidem exponitur propoſitio, ſed efficaciter, q. d. Cùm ita ſit, vt iſtum populum ſemper foueris, & ſi quando defertorem deſeruiſti, ac ſeruituti mancipaſti, mox tamen reſipiſcentem, téque agnoſcentem recceperis, atque in libertatem reſtitueris, nunc igitur *Saluos nos fac Domine Deus noſter, & congrega nos de Nationibus*, in quas diſperſi ſumus. tu qui per Moyſen pollicitus es congregaturum nos, ſi modò ad te, vt par eſt, conuerteremur, de cunctis populis, in quos antè diſperſiſſes: ac ſi ad cardines cæli eſſemus diſſipati, inde nos retracturum, & aſſumpturum, atque introducturum in terram &c. Deut. 30. initio. *Vt confiteamur* &c. In libertatem aſſeri gentem ſuam poſtulat, non vt genio & voluptatibus indulgeat, ſed vt Deo liberè ſeruiat, eius nomen extollat, & gloriari poſſit celebrans ipſius laudes, qui tam benignus ſit ac potens. Hic porrò & ſequens verſic. totidem & iiſdem fermè vocibus reperiuntur 1. Paral. 16. in fine eius carminis, quod Dauid Aſapho, eiúſque fratribus cantandum tradidit. Ibi autem de futuris captiuitatibus à Kimhi accipitur hic verſus, *Saluos nos fac* &c. Quod igitur à Dauide diuino numine afflato ac prouidente futuras captiuitates illic dicitur, optimè in hoc Pſalmo ad rem præſentem aptatur.

48 *Benedictus Dominus* &c. Exiſtimo hanc eſſe clauſulam non Pſalmi, ſed libri quarti. Vide ſimilem ad calcem præcedentium librorum, ac præſertim libri primi. *A ſeculo & vſque in ſeculum*, hoc eſt ex Chald. & Raſi, *à ſeculo hoc & vſque in ſeculum venturum*. Vel ex Kimhi, à primo tempore ad vltimum vſque, q. d. omni tempore. *Fiat*. In Fonte *Amen*. Vide ad verſum vltimum Pſ. 41. *Halelu-Iah*, id eſt, *laudate Dominum*. Ab hac voce cœperat Pſalmus: in eam deſinit. Pro hoc 1. Paral. 16. *& lauda* ſeu *laus Domino*.

Finis Libri quarti Pſalmorum.

Laus Deo, & Beatæ Virgini. Spes & labor.





PSALMORVM LIBER QVINTVS AC POSTREMVS

cum commentario

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMUM in Christo Patrem ac Dominum SIMONEM LE GRAS, *Regis in sanctiore Consistorio Consiliarium, Suessionensium Episcopum, D. Cornelij Compendiensis Abbati adiutorem lectum & successorem designatum, &c.*



SECVS mihi, quàm alijs, accidit, Præsul Ill^me, qui sua principis aut magnatis alicuius nomini inscribunt opera. Illi cur hunc aut illum potissimùm patronum adsciscant aut ambiant, rationes plerumque comminiscuntur, quò aliquam adeundi caussam iustam, iniustam, probabilem saltem habeant, neque omnino temere fecisse videantur: mihi contrà, qui meipsum, atque adeo mea omnia iamdiu tibi debeo, cur quæ à me antea in lucem exierunt, alijs potiùs quàm tibi nuncuparim, caussa reddenda esset, nisi tu, vt alios mihi quærerẽ patronos, iussisses, quia tu mihi certus eras patronus. Illi iustis rationibus adductos se vt hoc vel illud opus tentarent, probare conantur: mihi de hoc apud te nihil laborandum, qui mihi mei consilij autor extitisti, vt scilicet, quà fieri posset, Psalmorum contextum, de quo ego sæpe apud te dissserueram, ostenderem. Vnum

erit fortaſſe quod mihi ſuccenſeas, Præſul ampl^me, quòd à Vetere & Vulgata verſione, cuius autoritas apud te, vt par eſt, ſemper fuit ſanctiſſima, interdum ac ſatis ſæpe diſcedam. Imò non vereor vt tu, qui in tribus linguis iuxtà ſapis, ſed vt alii hoc nomine me reprehendant, quibus, quia ſolas Latinas aut Græcas litteras norunt, ingens crimen videtur vel latum vnguem à Græca, quam ſeniorum illorum Septuaginta puram ac meram eſſe ſibi perſuadent, aut Latina verſione deflectere. Hebręorum codicum veritatem ſequutus ſum. An hoc peccare eſt? Hebræorum Commentariis vſus ſum. Si hoc peccare eſt, fateor id quoque. An quia Hebræa Bibliorũ volumina prorſus reijcienda ſunt, & Hebręorũ Magiſtris nulla fides adhibenda? Non ſic profectò iudicabis, Præſul doctiſſ^me, cui B. Hieronymus familia-

In epiſt. ad Lucinium: & refertur can. *Vt veterum*, diſtinct. 9.

ris tuus iamdiu, ſatis ſcio, perſuaſit *Veterum librorum fidem de Hebræis voluminibus examinandam*, meliúſq; ac tutius eſſe è limpido & puriſſimo fonte, quàm è turbidis Interpretationum riuulis haurire. Quòd Hebræorũ libros conſuluimus, eiuſdem B. Hieron. exemplo fecimus, qui ipſe teſtis eſt, præf. in librum Iob, ob intelligentiam iſtius voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebręos primus haberi

Præf. ad Domnionẽ & Rogatianũ in librũ Paralip.

putabatur, non paruis redemiſſe: & alibi, quum à ſe Domnio & Rogatianus vt librum Paralippomenon Latino ſermone trãsferret, literis flagitaſſent, de Tyberiade quendam Legis doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, aſſumpſiſſe, cúmque eo contuliſſe à vertice, vt aiunt, vſque ad extremum vnguem: & ſic confirmatum,

In Apologia aduerſus Ruffinũm.

auſum eſſe facere quod iuſſiſſent. Ad hæc, ſcribit alicubi ipſum Origenem, Clementem & Euſebium atque alios complures, quando de Scripturis aliqua diſputant, & volunt approbare quod dicunt, ſic ſolere ſcribere: *Referebat mihi Hebræus:* &, *Audiui ab Hebræo:* &, *Hebræorum iſta ſententia eſt.* Si Hebræorum Magiſtris de fide & religione crederemus, haberent profectò iſti homines quod nobis iure merito obiicerent. At illis tantummodo de vocum & phraſεων Hebraïcarũ vi ac proprietate credimus. Eſtne quòd propterea damnemur, ſi Hebræis de ſuo idiomate fidem habemus? Mihi liceat cum D. Hieronymo dicere, *Si quis*

in nostra interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, suam conscientiam recolat, videat ordinem textúmque sermonis: & tunc nostro labori, si potuerit, detrahat. Hæc non tibi, Præsul Reuerend^me, sed ijs dico, ad quos tibi inscripta Epistola perueniet: fit enim publici iuris quæcumque libri fronti præfigitur Epistola. Hoc te solùm volo, Præsul Ill^me, perque ego te humanitatem tuam rogo atque obtestor, vt hunc quintum aut sextum ingenij mei fœtum, quem vt tuis auspiciis in lucem emitterem, passus es, benignè foueas ac cures. Nihil illi metuo nisi ab importunis quibusdam, quorum vnum studium carpendi quod non intelligunt: imò nihil metuo tuis auspiciis prodeunti. Vale, & viue diu Christi Ecclesiæ, & Imperio Gallico. Lutetiæ, duodecimo Calend. Nouemb. anno R. O. nono & vicesimo supra millesimum. Præfat. mox cit.

Tuæ Amplitudini

Addictißimus & deuinctißimus
SIMEO DE MVIS.





PSALMORVM LIBER QVINTVS AC POSTREMVS

cum commentario.

PSALMVS

CVI. Heb. CVII.

VERSIO

Vetus.

CONFITEMINI Domino
quoniam bonus: quoniam
in sæculum misericordia
eius.
2 Dicant qui redempti sunt à Domino,
quos redemit de manu inimici: & de re-
gionibus congregauit eos.
3 A solis ortu, & occasu: ab Aquilo-
ne, & mari.
4 Errauerunt in solitudine in inaquo
so: viam ciuitatis habitaculi non inue
nerunt.
5 Esurientes, & sitientes: anima eo-
rum in ipsis defecit.
6 Et clamauerunt ad Dominum cùm
tribularentur: & de necessitatibus eo-
rum eripuit eos.
7 Et deduxit eos in viam rectam: vt
irent in ciuitatem habitationis.
8 Confiteantur Domino misericordiæ
eius: & mirabilia eius filijs hominum.
9 Quia satiauit animam inanem: &
animam esurientem satiauit bonis.

Noua.

CONFITEMINI Domi-
no, quoniam bonus:
quoniam in [a] sæculum a æternum
misericordia eius.
2 Dicant [b] qui redempti sunt à Do- b ad verb. redempti Domini:
mino: quos redemit de manu [c] ini- c vel angustiæ
mici:
3 Et de regionibus congregauit eos,
à Solis ortu & occasu, ab Aquilone &
mari.
4 Errauerunt in deserto, in solitudi-
ne (à) via: ciuitatem [d] habitaculi non d habitationis
inuenerunt.
5 Esurientes, etiam sitientes: anima
eorum in ipsis [e] defecit. e deficiebat.
6 Et clamauerunt ad Dominum in
angustia sua: (&) de pressuris eorum
eripuit eos.
7 Et deduxit eos in viam rectam, vt
irent [f] in ciuitatem habitationis. f ad
8 Confiteantur Domino misericor-
diam eius, & mirabilia eius filijs ho-
minum:
9 Quòd satiauit animam inanem, &
animam esurientem impleuit [g] bonis. g heb. bono.

h Habitantes 10 [h] Sedentes in tenebris, & vmbra
mortis, vinctiis afflictione & ferro:
11 Quia rebellauerunt eloquijs Dei,
& consilium Altissimi despexerunt.
i heb. humiliauit 12 Et [i] humiliatum est in laboribus
cor eorum: infirmati sunt, nec fuit
qui adiuuaret.
13 Et clamauerunt ad Dominum in
angustia sua: (&) de pressuris eorum
k seruauit [k] liberauit eos.
14 Eduxit eos de tenebris & vmbra
bra mortis, & vincula eorum disrupit.
rupit.
15 Confiteantur Domino misericordiam
diam eius, & mirabilia eius filijs hominum.
minum.
16 Quòd contriuit portas æreas, &
vestes ferreos confregit.
17 Stulti propter viam iniquitatis
l vel affliguntur. suæ, & propter iniustitias suas [l] humiliati
miliati sunt.
m abominabitur 18 Omnem escã [m] abominata est anima
ma eorum, & appropinquauerunt vs-
que ad portas mortis.
n clamant 19 Et [n] clamauerunt ad Dominum in
angustia sua, (&) de pressuris eorum
o seruauit, vel seruat [o] liberauit eos.
p Mittit q sanat r eripit 20 [p] Misit verbum suum, & [q] sanauit
eos, & [r] eripuit de interitionibus ipsorum.
sorum.
21 Confiteantur Domino misericordiam
diam eius, & mirabilia eius filijs hominum.
minum.
22 Et sacrificent sacrificia laudis, &
s narrent [s] annuntient opera eius in exultatione.
tione.
23 Descendentes in mare in nauibus,
bus, facientes operationem in aquis
multis,
24 Ipsi viderunt opera Domini, &
mirabilia eius in profundo.
25 Et dixit, & stare fecit spiritum
procellæ, & exaltauit fluctus eius.
26 Ascendebant vsque ad cælos, descendebant
cendebant vsque ad abyssos: anima
t heb. malo eorum in [t] malis colliquescebat.
27 Titubabant, & nutabant sicut
ebrius: & omnis sapientia eorum deuorabatur.
uorabatur.

10 Sedentes in tenebris, & vmbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro.
11 Quia exacerbauerunt eloquia Dei: & consilium Altissimi irritauerunt.
12 Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret.
13 Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.
14 Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis: & vincula eorum disrupit.
15 Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
16 Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit.
17 Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniustitias enim suas humiliati sunt.
18 Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.
19 Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.
20 Misit verbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.
21 Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
22 Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera eius in exultatione.
23 Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.
24 Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.
25 Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.
26 Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.
27 Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.

28 *Et clamauerunt ad Dominum cùm*
tribularentur, & de necessitatibus eo-
rum eduxit eos.
29 *Et statuit procellam eius in auram:*
& siluerunt fluctus eius.
30 *Et lætati sunt quia siluerunt: & de-*
duxit eos in portum voluntatis eorum.

31 *Confiteantur Domino misericordiæ*
eius: & mirabilia eius filijs hominum.

32 *Et exaltent eum in Ecclesia plebis:*
& in cathedra seniorum laudent eum.
33 *Posuit flumina in desertum, & exi-*
tus aquarum in sitim;
34 *Terram fructiferam in salsuginem, à*
malitia inhabitantium in ea.
35 *Posuit desertum in stagna aquarum:*
& terram sine aqua in exitus aquarum.

36 *Et collocauit illic esurientes: & con-*
stituerunt ciuitatem habitationis.

37 *Et seminauerunt agros, & planta-*
uerunt vineas: & fecerunt fructum na-
tiuitatis.
38 *Et benedixit eis, & multiplicati*
sunt nimis: & iumenta eorum non mi-
norauit.
39 *Et pauci facti sunt: & vexati sunt à*
tribulatione malorum, & dolore.
40 *Effusa est contemptio super princi-*
pes: & errare fecit eos in inuio, & non
in via.
41 *Et adiuuit pauperem de inopia: &*
posuit sicut oues familias.
42 *Videbunt recti, & lætabuntur:*
& omnis iniquitas oppilabit os suum.
43 *Quis sapiens & custodiet hæc? &*
intelliget misericordias Domini?

28 Et clamauerunt ad Dominum in
angustia sua: & de pressuris eorum
eduxit eos.
29 Statuit procellam in silentium, &
siluerunt fluctus eorum.
30 Et lætati sunt quia siluerunt, &
deduxit eos [u] in portum voluntatis *u ad termi-*
eorum. *num*
31 Confiteantur Domino misericor-
diam eius, & mirabilia eius filijs ho-
minum.
32 Et exaltent eum in cœtu [x] plebis, *x populi,*
& in consessu seniorum laudent eum.
33 [y] Posuit flumina in desertum, & *y vel Ponit, & cætera verba simi-*
exitus aquarum in sitim: *liter.*
34 Terram fructiferam in salsugi-
nem, [z] à malitia inhabitantium in ea. *z ob malitiā*
35 Posuit desertum in [a] stagna aqua- *a heb. stagnum*
rum, & terram [b] sine aqua in exitus *b siccam*
aquarum.
36 Et collocauit illic esurientes, &
constituerunt ciuitatem habitatio-
nis.
37 Et seminauerunt agros, & planta-
uerunt vineas, & fecerunt fructum
prouentus.
38 Et benedixit eis, & multiplicati
sunt [c] nimis: & iumenta eorum non *c valde:*
[d] minorauit. *d minuit.*
39 Et pauci facti sunt, & humiliati
sunt, à tribulatione, malo, & dolore.
40 Effundit contemptionem super
principes, & errare facit eos in vasti-
te, (vbi) non est via.
41 Et erigit pauperem de inopia, &
ponit sicut oues familias.
42 Videant recti, & lætentur: & om-
nis iniquitas oppilet os suum.
43 Quis sapiens, & [e] custodiet hæc, *e obseruabit*
& intelliget misericordias Domini?

COMMENTARIVS.

Argumentum. P*SALTES ad laudes Dei hortatur eos, qui ex longo itinerum errore tandem domum redierunt: qui ex carcere, in quem propter maleficia fuerant coniecti, euaſerunt: qui ex morbo conualuerunt: qui in mari diu multúmque iactati tandem ſe in portum receperunt. Hac autem ratione iſtos omnes conatur ad Deum celebrandum incitare, quòd vtraque eorum fortuna à Deo ſit, regatúrque. Quod vt clariùs innoteſcat, tandem etiam docet admirandas illas mutationes, quæ nonnunquam in totis regionibus contingunt, vt quæ antea ſqualidæ & incultæ erant, fiant fœcundæ, & econtrà, Dei prouidentiæ, quæ omnia gubernat, eſſe adſcribendas, non temerario naturæ aut fortunæ motui, quemadmodum impij & profani homines ſibi perſuadent. Vno verbo, vult oſtendere hoc Pſalmo aduerſa & proſpera à Deo hominibus contingere. Hic autem Pſalmus non ad Iſraëlitas tantùm, vt præcedentes duo, ſed ad vniuerſum hominum genus ſpectat, & doctrinam continet aduersùs eos, qui prouidentiam tollunt, Deúmque à gubernatione rerum humanarum ſubmouent, perpetuò illum verſum in ore habentes*, Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat.

1 *Conſitemini Domino*, &c. Propoſitio. *Quoniam bonus*: &c. hoc eſt, quoniam eius immenſa bonitas, ac perpetua beneficentia meretur. Cuius rei prolixam ſubiicit probationem.

2 *Dicant* &c. Quid? *Cōſitemini Domino*, &c. hoc eſt, Agnoſcant ſe Dei benignitate ſeruatos. Primo loco ponit eos qui ſponte, aut exercendæ mercaturæ gratia, aut aliqua alia de cauſſa in longinquas regiones profecti in hoſtium poteſtatem veniunt, vel alioqui in prædones incidunt, aut in loca auia, vbi non tantùm nullum hoſpitium inueniant, ſed & propter famem & ſitim de vita periclitari cogantur. Hos affirmat, quum clamant ad Deum, exaudiri & liberari. *Qui redempti sūt à Domino*, ad verb. *redempti Domini*, q. d. non fortunæ, non prudentiæ, non idolorum, ſed Domini Dei ſolius. *De manu inimici*, vel potiùs, ſi ſequi volumus Ezram & Kimhi, *anguſtiæ*, hoc eſt, ex anguſtia.

3 *Et de* varijs *regionibus* ſeu *terris congregauit eos*, ac reduxit domum. Verbum *congregandi* vide quo modo accipiatur Pſ. 104. 22. Nominat in hoc verſu quatuor plagas. Nam per *Mare* non eſt intelligendum Mediterraneum, quod Iudæis erat ad Occidentem, iam enim facta mentio Occidentis, ſed illud quod Arabiam fœlicem, & Africam ambit, quod illis erat ad Meridiem. Chald. idcirco addidit *meridionali*. Rideo Ezram & Kimhi, qui volunt prætermiſſam *Meridiei* mentionē, quòd iſtam plagam calor Solis infeſtet, ideóque vix incolatur & adeatur. Sit ita ſanè de zona torrida at non de quauis parte Iudæis ad Meridiem ſpectante, Ægypto verbi gratiâ & Arabia fœlice. Exiſtimant iſti *à mari* dici propter eos qui maria tranſmittunt, & tandem, Deo fauente, ac ſeruante, ad ſuos reuertuntur. *A mari* in iſtorum ſententia nihil aliud erit quàm à tranſmarina peregrinatione. Verùm alter eſt locus in hoc carmine de hac re.

4 & 5 *Errauerunt in deſerto*, &c. Narrat incommoda, quæ peregrinantibus ſolent accidere. Errauerunt, inquit, interdum in vaſtis ſolitudinibus rectum iter non tenentes, & fruſtra vrbem ac locum ad habitandum quæritantes: famelici interim atque etiam ſitibundi, ac pene emortui, conſumptis viaticis omnibus ob longos viæ errores.

6 & 7 *Et clamauerunt* &c. Tum igitur, vt homines ſolent in rebus aduerſis, cœperunt de Deo cogitare, eius opem implorare, neque fruſtra: ſtatim enim illos exaudiit miſerijs ereptos, atque in rectum iter deductos, & in vrbem ad habitandum commodam perductos. Huc referenda hiſtoria, quæ deſcribitur Gen. 21. Abrahamus, ſuadente Sara, & Deo approbante, Agar ancillam, vnáque Iſmaëlem adoleſcentulum iuſſit ire quò neceſſitas duceret, dato pane, & vtre aquæ. Agar igitur vnà cum filio in ſolitudinem Berſabee peruenit, vbi poſtquam ſatis diu erraſſet, & defeciſſet aqua, illa depoſito ſub quadam arbore puero, ne eius mortis ſpectatrix eſſet, longiùs receſſit, flens interim ac lachrymans. Tum Angelus Agar è cælo appellatam bono animo eſſe iuſſit, ſiquidem Deus eiulantis pueri vocem exaudiſſet, ſimúlque in propinquo oſtendit puteum, quem mœrore ac dolore excæcata non aduerterat. Nihil hoc mirum de Deo *qui dat iumentis eſcam ipſorum, (&) pullis coruorum clamantibus*. Pſal. 147. 9.

8 *Confiteantur Domino* &c. Senſus, Perductis in commodam, & opportunam ciuitatem, vbi omnibus abundè paſcantur, tum demum illorum eſt Dei miſericordiam, ac potentiam celebrare, & priuatim apud

ipſum, & palàm apud homines. *Miſericordiam eius.* In Lat. *miſericordiæ eius* in nom. caſu plur. in Græco τὰ ἐλέη αὐτοῦ, quod eſt ambiguum. Verùm iſta ambiguitas diſtingui debet ex Hebræo textu, quem fatetur Card. Bellarm. eſſe clariorem. D. Hieronymus vertit *miſericordiam eius.*

9 *Quòd ſatiauit* &c. Hoc eſt quod tum illi tenentur confiteri, ac celebrare. *Satiauit* aquis & potu *animam inanem*, prop. *appetentem*, potum ſcilicet. Nam primam partem verſus conuenit accipi de ſedata ſiti, ſicuti poſterior eſt de fame, vt reſpondeat hic verſus ad illud verſ. 5. *Eſurientes, etiam ſitientes.* Ac ſic accipiunt Ezra & Kimhi, quorum ille, vt probet ſcilicet dici poſſe aliquem ſatiari aqua, citat illud Prou. 30. 16. *terra (quæ) non eſt ſatiata aqua.* Præterea שְׁקֵקָה *ſchokeka*, quod nos poſt Græcum & Latinum *inanem* vertimus, Ezra Eſa. 29. 6. *quærens potum* interpretatur. Adi, ſi vis, locum Eſaiæ.

10 *Sedentes in tenebris*, &c. Secundo loco ponit eos, qui ob maleficia carceri & vinculis addicti ſunt. Ob maleficia dico propter ſequentem verſum. *Dicant, Confitemini* &c. vt in 2. verſu, *ſedentes* ſeu *habitantes in tenebris & vmbra mortis*, &c. hoc eſt, & ij qui in obſcuris carceribus fuerunt, compedibus & catenis ferreis vincti: &c. niſi hoc ad verſ. 15. *Confiteantur Domino* &c. voles trahere. Per *vmbram mortis*, hoc eſt, denſiſſimas illas tenebras, quæ iamiam morituris offunduntur, aut quæ mortem ſequuntur, vt alibi dictum eſt, notare vult tenebricoſum & ſubterraneum carcerem. *Vincti afflictione*, id eſt, compedibus ferreis, quæ miſerè ipſum corpus affligerent. *Afflictionis* voce intelligendas eſſe hoc loco ferreas compedes docet id quod additur, *& ferro*: & confirmat illud Pſ. 105. 18. *Afflixerunt in compedibus pedes eius.* Kimhi ait ſignificari per iſtam vocem funes ſeu neruos, quibus ſcilicet captiui ſeu rei conſtringuntur. Sed Gr. Lat. D. Hier. Pagn. & alij uertunt *vincti mendicitate* ſeu *inopia*. Verũ. At ſignificatio afflictionis, quam etiam habet vocabulum עֳנִי *oni*, magis mihi viſa eſt loco conuenire. Felix in hac ſignificatione accepit: & Chald. interpretatus eſt, *vincti in afflictione catenarum ferrearum.*

11 *Quia rebellauerunt* &c. Ratio præcedentis verſus: homines enim ferè propter ſcelera in vincula coniiciuntur. Per *eloquia* ſeu *verba Dei*, & *conſilium Altiſsimi*, intelligenda lex naturæ, quam ſcilicet Deus omnium hominum menti impreſſit: hęc enim, quæ hîc dicuntur, ad omnes homines ſpectant.

12 *Et humiliatum eſt* &c. Ad verb. *Et hu-*

A *miliauit* &c. Senſus, Ac tandem ærumnis carceris perdomuit Deus ſuperbum ac rebellem eorum animum: eóque ſunt redacti, vt, qui opem ferret, & lapſos erigeret, cernentes neminem, ad Dei auxilium implorandum confugerint; húcque ſpectat ſequens verſic.

13 *Et clamauerunt* &c. Verſus intercalaris ſexto ſimilis.

14 *Eduxit eos* &c. ſtatim atque illius opem implorarunt, & ipſe è re eſſe iudicauit. Huc referenda ſunt exempla Ioſephi, Daniel-

B nis, & Petri Apoſtoli è carceribus prorſus mirabiliter ac diuinitus exemptorum.

15 *Confiteantur Domino* &c. Verſus alter intercalaris idem cum octauo verſu.

16 *Quod contriuit* &c. Hoc eſt quod è carcere diuinitus liberati tenentur confiteri. *Portas æreas* & *vectes ferreos* hyperbolicῶs dicit pro fortibus.

17 *Stulti propter viam* &c. Tertio loco eos ponit, quibus ob peccata morbi, iique lethales, diuinitus immittŭtur. Morbis enim

C quaſi *increpationibus propter iniquitatem corripit hominem* Deus, *& liqueſcere facit, ſicut tineam, deſiderabile eius*, vt eſt Pſal. 39. 12. Huc pertinet illa Elihu oratio ad Iob, qua probat aduerſus Deum non eſſe cõtendendum, ſi quid interdum aduerſi immittat, nec dicendum, *Mundus ſum ego, (&) abſque delicto, immaculatus ſum, & non eſt iniquitas in me: ecce occaſiones in me reperit, reputat me in inimicum ſibi.* Nam *maior eſt*, inquit, *Deus homine, & omnia verba ſua non loquitur*, ac multa arcano conſilio facit, quæ non intelligimus. *Increpatur* interdũ homo *per dolorem in lectulo: & contentio*

D *oſſium eius vehemens eſt.* Reliquã orationem vide Iob 33. Chriſtus Dominus ſanans paralyticum, *Confide*, ait, *fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9. Et quum ſanaſſet iacentem ad piſcinam, ac poſtea offendiſſet eum in Templo, *dixit illi, Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, Ioh. 5. Quæ omnia docent plerumque morborum cauſſas eſſe peccata: & *qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, (ipſum,) incidere in manus medici*, vt eſt Eccleſ. 38. 15. *Stultos* peccatores nominat,

E qui ſtultorum more cupiditatibus obediũt, non rationi. *Sapientis oculi*, inquit Eccleſ. cap. 2. 14. *in capite eius*, hoc eſt, Diligenter conſiderat vir ſapiens quid agendum ſit, *ſtultus autem in tenebris ambulat.* In hoc & ſequentibus verſibus pleraque verba ſunt fut. temp. quæ per præſens commodè reddi poſſunt.

18 *Omnem eſcam abominata eſt* vel *abominatur anima eorum*, hoc eſt, Ipſi omnem cibum faſtidiunt. Simile eſt Iob 33. 20. *Et abo-*

minari facit eum vita eius panem, & anima illius cibum desiderabilem. *Et appropinquauerunt vsque ad portas mortis*, hoc est, pertigerunt vsque ad sepulchrum, quę sunt portæ mortis: vel proximi fuerunt aut sunt morti. Vide ad vers. 14. Ps. 9.

19 *Et clamauerunt* &c. Intercalaris versus, quasi dicat, Tunc igitur tandem Dei auxilium implorarunt, quòd viderent nihil opis esse in medicis, ac pharmacis, seque in extremo discrimine versari: ac statim *misit verbum suum*, &c. & , quâ est bonitate, ne tunc quidem ad se, etsi serò, confugientes repulit. Lege Iob 33. quo modo Deus resipiscentis ægroti miseretur, & *redimit animam eius, ne transeat in interitum, sed viuens lucem videat*, teneriore ac succulentiore redditâ carne eius carne pueritiæ, ac reuertente ad dies adolescentiæ. Qui in morbis, sicuti Asa, 2. Paral. 16. 12. medicos potius, quàm Deum consulunt, ijs plerumque idem accidit quod illi: at qui ad Deum con- Eccles. 38. fugiunt, auertentes se à delicto, & dirigentes manus, & ab omni peccato mundantes cor suum, dantes interim & locum medico, vt quem Dominus creauerit, sanitati dubio procul, si è re est ipsorum, protinus restituuntur.

20 *Misit* (*Mittit*) *verbum suum*, &c. Sensus, Solo imperio ac nutu eos sanitati restituit. Huc refero illud Sap. 16. 12. & seq. *neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia. Tu enim vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas sepulchri & reducis.* Medici manu ægrotos curant: at Deus solo verbo, hoc est, solo nutu, atque voluntate. Centurio hoc intelligens Christo pollicenti se eius ædes aditurum, & curaturum seruum, respondit, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo: & sanabitur puer meus.* Matt. 8. Luc. 7. *Mittere Deum verbum suum*, nihil aliud est quàm iubere, imperare. Similis locutio occurrit Ps. 147. 18. *Mittet verbum suum, & liquefaciet ea.* *Interitionibus* seu *perditionibus eorum*, hoc est, ab interitu qui illis iamiam imminebat. Putat Kimhi dici *eorum*, q. d. ab interitu quem suis delictis accersierant.

21 *Confiteantur Domino* &c. Intercalaris versus, qui tertiò repetitur,

22 *Et sacrificent* &c. Hoc de ægrotis dicit, de aliis non: propterea quòd ægroti, dum diu luctantur cum morbo, & sensim sine sensu conualescunt, interim non desinant quotidie vota nuncupare, donàque & sacrificia Deo polliceri, si pristinam valetudinem restituat: eàque, statim ac per sanitatem licet, non sine magna animi alacri-

A tate persoluant. Quod etsi alij quoque interdum faciunt, non tamen ita sæpe, quia subitò, saltem peregrinantes, & nauigantes, periculo defunguntur: ac si vota persoluunt, id non faciunt tanto cum gaudio: siquidem hos longa peregrinatio aut nauigatio minùs memores accepti beneficij facit; cùm è morbo recreatis recens adhuc periculi memoria animo insideat. *Sacrificia laudis* seu *confessionis*. Erant hæc sacrificia, quæ quis pro liberatione ex periculo, aut beneficijs acceptis Deo gratitudinis ergò offerebat.

B 23 *Descendentes in mare* &c. Quartò loco ponit eos, qui ingenti cum periculo in mari negotiantur. Nam per *descendentes in mare nauibus*, non simpliciter intelligo qui sine causa mari se committunt, sed qui negotiandi gratiâ propter illud quod mox sequitur, *facientes operationem* seu *opus*, id est, negotiationem: quanquam per *operationem* intelligi potest iuxta Kimhi velificatio, nauigatio, aliaque opera nautica: ita vt *facientes operationem in aquis multis* idem sit simpliciter ac nauigantes in mari. *Descendere* porrò *in mare* dicitur, vel quòd, vt vult C Kimhi, terra extet supra littus maris: alioquin, inquit, mare absolutè terra est altius: vel quòd, vt vult Ioseph Kimhi, nauis profunda sit, & in illam descendatur: quo sensu dictum est de Iona, *& inuenit nauem* &c. *& descendit in eam.* Ionæ 1. 3.

24 *Opera Domini*, qui vno momento fluctus maris concitat, ac statim pro arbitrio compescit; (ne quis istas mutationes caussis physicis tribuat) hùcque pertinent sequentes versus. Sunt qui hunc versum vni- D uersim extendant ad multiplicia miracula, quibus mare refertum est, & quæ plura offerunt se in mari, quàm in terra.

25 *Et dixit*, hoc est, voluit ac iussit Deus, *& stare fecit*, hoc est, excitauit, *spiritum procellæ*, *& exaltauit* spiritus ille (nam verbum in Fonte est fœm. gen. & conuenit cum nomine רוח *ruach*, id est, *spiritus*) *fluctus eius* maris. Græc. & Lat. non verterunt ad verbum, sed optimè ad sensum.

26 *Ascendebant* fluctus illi, vel descenden- E tes in mare &c. *Anima eorum in malis*, ad verb. *in malo*, hoc est, in tanto discrimine, tota veluti *colliquescebat*, ac dissoluebatur præ metu. *Liquefieri* aliquando est metu consternari, vt dictum est aliàs copiosiùs.

27 *Titubabant*, *& nutabant* &c. Sensus, Sicut ebrius semper nutat, nec vllibi potest consistere, sic non modò vectores, sed etiam naucleri ipsi, naui ventorum ludibrio huc illuc, sursum ac deorsum iactatâ, nullo certo loco poterant consistere: nec aduersùs vim ventorum quicquam ars nauigandi;

uigandi, & peritia proderat. Sic ferè Kimhi *Et omnis sapientia eorum deuorabatur* seu *absorbebatur* à metu. Similiter dixit ille,
Ovi Trist. lib. 1. Eleg. 1. *Rector in incerto est, nec quod fugiatve petatve Inuenit, ambiguis ars stupet ipsa malis.*

28 *Et clamauerunt* &c. Intercalaris versus. Ergo, inquit, cùm miseris nihil spei esset reliquum in arte, ad Deum confugerunt, qui protinus illis pro sua misericordia adfuit. Certè verum est illud, *Qui nescit orare, ascendat mare.*

29 *Statuit procellam* &c. hoc est, Idem qui ventos & fluctus excitarat, compescuit. *Fluctus eorum*, quibus illi videlicet huc illuc iactati fuerant. Quoniam autem, inquit Ezra, fluctus vocem quandam ac sonum edunt, idcirco figuratè vsurpauit has voces *silentium, siluerunt.*

30 *Et Lætati sunt* illi descendentes in mare, *quia siluerunt* fluctus: &c. Sensus, Illi verò sedatis fluctibus cœperunt lætari: nec hoc solùm, sed & illos in optatum portum Deus prouexit.

31 *Confiteantur Domino* &c. in optatum portum perducti. *Mirabilia eius*, quæ viderunt in profundo seu mari.

32 *Et exaltent* &c. Sunt qui hunc versum ad quatuor genera hominum suprà commemoratorum referendum putent. Ego tantùm ad eos qui è periculosa nauigatione emerserint. Ezra hanc adfert caussam, quamobrem ad versum intercalarem præcedentem hunc præterea adiecit, quòd plerique mortalium nunquam ingressi sint aut viderint mare, ideòque (hoc addo) diligentiùs sint de ijs, quæ nauigantibus accidunt, monendi. Per *consessum seniorum* intellige forum & locum, vbi Magistratus, qui ex senioribus constabat, sedebat.

33 *Posuit* vel (*Ponit*) *flumina* &c. Postquam Dei prouidentiam quatuor superioribus exemplis, quæ satis accuratè persequutus est, probauit, pergit eandem demonstrare, ex eo quòd Deus interdum terras irriguas, atque adeo frugiferas in arida deserta, & econtrà arida deserta in terras irriguas commutet: populosissimas gentes euertat, in eorum locum obscuras antè & ignobiles substituens, quæ deinde, Deo sic vices rerum disponente, aut intestinis bellis, seditionibus, peste, aut alijs cladibus attritæ prorsus extinguuntur ac consumuntur. *Posuit flumina* &c. Sensus, Interdum Deus locum, in quo antè erant flumina & fontes, in sitiens atque aridum desertum conuertit.

34 *In salsuginem*, id est, in sterilitatem: sale enim nihil sterilius. Vnde illud Deut. 29. 23. *Sulphure & sale adustum (erit) totum solum eius: non feretur, nec germinabit, nec ascendet in ea vlla herba*, &c. Hinc Iud. 9. 45. legimus Abimelechum Sichem vrbem à se expugnatam solo æquasse, & seminasse in ea sal. Fuit hoc in more apud Veteres, vt cùm locum aliquem damnare vellent solitudinis, ac prorsus in vastitatem redigere, eum sale conspergerent. *A malitia (propter malitiam)* &c. Non alia caussa Deum impulit, vt plueret super Sodomam, & super Gomorrham sulphur, & ignem de cælo, quàm incolarum impietas. Gen. 19. Hoc sensu Ier. 17. 5. & sequente, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrice in deserto, & non videbit quum venerit bonum, sed habitabit (in) siccitatibus in deserto, (in) terra salsuginis, & inhabitabili.*

35 *Posuit* (*Ponit*) *desertum* &c. Econtrà interdum aridis prorsus & sitientibus terris stagna & scaturientes aquas Deus inducit, ac per hoc fœcundas reddit, vt deinceps incipiant coli, & magna frequentia celebrari.

36 *Et collocauit* seu *collocat illic esurientes*, qui priùs miserè victitabant in sterili solo: & hi populosissimas ibi ciuitates extruunt. Non dicit eos ipsos illas sedes eligere, sed diuinitus ibi collocari, vt vndique diuinæ prouidentiæ testimonium conspiciatur. Hinc disce respublicas non temerè aut casu, sed diuinitus constitui.

37 *Et seminauerunt* seu *seminant* illic &c. *& fecerunt* seu *faciunt* agri videlicet & vineę *fructum prouentus*, vel ex Kimhi, *fructum (&) prouentum.*

38 *Et benedixit* seu *benedicit eis* quoad opes, *& multiplicati sunt* seu *multiplicantur nimis* seu *valdè* filijs: quanquam puto τὸ *benedixit eis* de filijs etiam esse accipiendum, hoc enim est simplicius.

39 *Et pauci facti sunt*, &c. Considera rerum humanarum vices. Qui mox antè populosi facti omnibus bonis abundabant, rursus imminuti deiiciuntur de suo gradu, bellis, peste, vel alijs calamitatibus attriti, quòd scilicet intemperanter & insolenter prosperitate vsi sint. *A tribulatione* seu *tyrannide*. Potes vertere post Græc. & Lat. *à tribulatione malorum* seu *mali*. Hoc explicat Ezra *à conclusione* vuluæ *quia* τὸ *& multiplicati sunt*. Ac refert huc illud Gen. 20. 18. *Concluserat enim Dominus omnem vuluam* &c.

40 *Effundit contemptionem* &c. Sensus, Principes ipsos, quum vult, adeo contemptos & despicatos reddit, vt relictis vrbibus sese in vastas solitudines abdant, vel inopia coacti, vel pudore & animi dolore saltem. Optimè ait Deum effundere &c. Nam qui

contemnatur, qui imperium, qui fasces habet, & cuius fortuna à nullo periculo longius abest, quàm ab humilitate, nisi contemptibilem Deus effecerit? Ostendunt Politici multas rationes, quibus Principes authoritatem sibi concilient. Sed frustra sunt illa omnia consilia: nisi Deus ipse terrorem ipsius principis fronti impresserit. Simile Iob 12. 21. *Effundit despectionem* (*contemptionem*) *super principes. Effundit*, emphaticum. Græco & Latino *Effusa est*, ex שֹׁפֵךְ *schuppach*, pro שֹׁפֵךְ *schophech. Contemptionem.* Olim in Vulg. legebatur *contentio* pro *contemptio. Et errare facit eos* &c. Illustre atque insigne huius rei exemplum in Nabuchodonosore, qui *ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum* seu *intinctum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*. Vide hanc historiam Dan. 4. Plerique, quorum est Ezra & Kimhi, posterius hoc membrum de errore in consilijs exponunt, ex quo odium, & contemptus principum facilè nascitur.

41 *Et* contrà *erigit* &c. Antithesis præcedentis versus, quasi diceret, Deponit
Luc. 1. Deus potentes de sede, sed exaltat humiles: superbos illos principes, & animi fastu insolescentes in potentia brachij sui dispergit ac profligat, & omnes qui se exaltant,
Luc 14. humiliat, sed qui se humiliant, exaltat: esurientes implet bonis, sed diuites inanes dimittit. *Et ponit* nimirum pauper ille, iuxta Rasi, Ezram, & Kimhi, familias feminis sui multas instar ouium. Ac sic Esd. 10. 44. mulieres dicuntur *posuisse filios*, hoc est, *peperisse filios*, vt est in Græc. & Lat. Kimhi verbum *posuit* ad Deum quoque refert, quasi dicatur Deus efficere vt familia pauperis fiat numerosa, & subitò crescat ouium instar, quæ inter cæteras pecudes fœcundissimæ sunt.

42 *Videant recti*, &c. Epiphonema, & epilogus totius Psalmi. Ista omnia, inquit, quæ commemorata sunt intuentes iusti lætentur, & triumphent se habere Deum conseruatorem & remuneratorem: scelerati verò omnes diuinæ prouidentiæ obtrectantes tam claris testimonijs conuicti sileant, ósque impurum occludant. *Omnis iniquitas.* Emphasim hîc habet abstractum pro concreto. Simile est Iob 5. 16. *Et est egeno spes: iniquitas autem oppilat os suum.* Alij vertunt *Vident* &c. *oppilat* &c. in præsenti: alij vt Græc. & Lat. in fut. *Videbunt, oppilabit*, quasi diceretur, Futurum est profectò vt iusti ista omnia contemplantes triumphent: scelerati verò conuicti obmutescant. Melior est prior sententia, & sequenti versic. qui votum continet, magis accommoda.

43 *Quis sapiens*, &c. Sensus, O vtinam homines sapiant, hæcque omnia diligenter obseruent, atque adeo cognoscant Deum esse qui exaltat, & humiliat, qui diuitem, & pauperem facit, qui *vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanant. Et intelliget* Iob 5. 18.
misericordias Domini erga pios: etsi enim interdum videmus malis esse bene, bonis verò male: nihilominus si ad omnia, quæ hîc fiunt, attendimus, comperiemus Deum Deum esse veritatis, in quo nulla sit peruersitas, & qui vt plurimùm in hoc mundo vnicuique reddat iuxta vias eius, & iuxta fructum operum eius. Ac si aliquando nobis videatur Deus secus agere, quàm par est, sic cogitemus, Deus scit cur fecerit: neque tribuamus Deo peruersitatem, sed agnoscamus potius nostram imbecillitatem ac stultitiam, exclamantes, *Quàm magna sunt* Psal. 91. 6.
opera tua Domine! nimis profundæ sunt cogitationes tuæ. Quicquid nobis accidat, prædicemus Dei misericordiam, nos beatos exi- Iob 5. 17.
stimantes, quòd ab ipso corripiamur. Simili ferme epilogo clausit suam prophetiam Oseas, *Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia recta viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis.* Optimè dixit *Quis sapiens.* Nam *vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*, vt dicitur Ps. 92. 7. *Intelliget*. Ad verb. *intelligent*: quia particula *quis* est distributiua. Ex R. Mose verti debet *intelligentur misericordiæ* &c.

PSALMVS

CVII. CVIII.

VERSIO

VETVS.

CANTICVM *Psalmi ipsi Dauid.*

2 *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.*

3 *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.*

4 *Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus.*

5 *Quia magna est super cælos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.*

6 *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua: vt liberentur dilecti tui.*

7 *Saluum fac dextera tua, & exaudi me: Deus locutus est in sancto suo:*

8 *Exultabo, & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar.*

9 *Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.*

10 *Iuda rex meus: Moab lebes spei meæ.*

11 *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.*

12 *Quis deducet me in ciuitatem munitã? quis deducet me vsque in Idumæam?*

13 *Nonne tu Deus, qui repulisti nos, & non exibis Deus in virtutibus nostris?*

14 *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.*

15 *In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

NOVA.

CANTICVM Psalmi Dauid.

2 [a] Paratum cor meum, Deus: cantabo, & psallam; etiam gloria mea.

a Confirmatum

3 Exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

4 Confitebor tibi in populis, Domine, & psallam tibi in nationibus.

5 Quia magna (est) super cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

6 Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

7 Vt liberentur dilecti tui, saluum fac dextera tua, & exaudi me.

8 Deus locutus est [b] in sancto suo: exultabo, diuidam Sichimam, & conuallem Soccoth dimetiar.

b sanctitate sua:

9 Meus est Galaad, meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei: Iuda legislator meus.

10 Moab olla lotionis meæ; in Idumæam proiiciam calceamentum meum: super Palæstina iubilabo.

11 Quis deducet me (in) ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam?

12 Nonne (tu) Deus, (qui) repulisti nos, & non exis, Deus, cum exercitibus nostris?

13 Da nobis auxilium à tribulatione: quia vana salus hominis.

14 In Deo faciemus virtutem: & ipse conculcabit inimicos nostros.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *APPARET huius Pſalmi idem eſſe argumentum quod ſexageſimi. Probant huius octo poſtremi verſus, qui iidem ferme ſunt cum octo poſtremis illius verſibus. Diuerſum eſt quidem vtriuſque exordium. Nam in exordio Pſalmi ſexageſimi Dauid vrgenti periculo non parum turbatum ſe oſtendit, & cum Deo ſatis grauiter expoſtulat: hic contrà lætus ac triumphans de beneficijs antea acceptis Deo gratias agit: deinde opem Dei implorat aduersùs præſens periculum. Quod quale ſit, vide in arg. Pſ. 60. Quæ ſit cauſa, quamobrem bis tractatum idem argumentum, planè neſcio, niſi fortaſſe durius exordium Pſalmi 60. voluerit Dauid corrigere atque emendare, ſcilicet aliquandiu poſt ſuperatum periculum.*

2 *Paratum cor meum*, &c. Prima pars Pſalmi, quæ gratiarum actionem continet. Toto corde, inquit, comparatus ſum ad te, tuáque beneficia celebrandum. Potes fortaſſe vertere, & exponere, *Confirmatum cor meum* recordatione ſuperiorum liberationum aduersùs præſens periculum. Sed prima expoſitio magis placet, & ſimplicior eſt. *Etiam gloria mea*, id eſt, anima mea, iuxta Ezram & Kimhi, *parata eſt* ſubaudi ex priore membro. Hoc verbum ſupplet Ezra, qui ſimile eſſe affirmat illud Pſ. 16. 9. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit gloria mea.* Alij, vt R. Moſes & Kimhi, ſubaudiunt ex parte mox præcedente, *pſallet*, quaſi velit ſignificare, ſe ex animo cantaturum. Sic eòdem ſemper ſenſus redit. Quòd *gloria* pro *anima* A appelletur, dictum ad verſ. 6. Pſ. 7. verſ. 9. Pſ. 16. necnon 9. Pſ. 57. Raſi ſic ferè interpretatur, *etiam gloria mea* eſt illud quod ego tibi cano: vel *etiam gloria mea* eſt tibi canere & pſallere, neque me patiar carere iſto honore.

Quatuor ſequentium verſuum explicationem repete ex Comment. Pſ. 57. quo in Pſalmo tot & iiſdem ferme vocibus reperiuntur hi quinque priores verſus, ſi titulum excipias. B

7 *Vt liberentur* &c. Altera pars, quæ propoſitionem continet. Horum verſuum explicationem reperies in Commentario Pſalmi 60. vbi tot & iiſdem ferme vocibus reperiuntur. Itaque ſuperfluum exiſtimaui repetere, quæ illic annotata ſunt.



PSALMVS

CIIX. CIX.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Psalmus Dauid. Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

2 Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me: & expugnauerunt me gratis.

3 Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

4 Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

5 Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris eius.

6 Cùm iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

7 Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.

8 Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.

9 Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eiiciantur de habitationibus suis.

10 Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius: & diripiant alieni labores eius.

11 Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius.

12 Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.

13 In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur.

14 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum:

NOVA.

PRÆCENTORI, Dauid Psalmus. Deus laudis meæ ne tacueris.

2 Quia os [a] peccatoris, & os [b] dolosi aduersùm me [c] apertum est: [d] loquuti sunt mecum lingua mendaci:

3 Et sermonibus odij circundederunt me, & oppugnauerunt me gratis.

4 Pro [e] eo vt me diligerent, aduersati sunt mihi: ego autem oraui.

5 Et posuerunt aduersùm me malum pro bono, & odium pro dilectione mea.

6 Constitue super eum peccatorem: & [f] diabolus stet à dextris eius.

7 Dum iudicatur, exeat [g] condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

8 Sint dies eius pauci: [h] episcopatum eius accipiat alter.

9 Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.

10 Et vagando vagentur filij eius, & mendicent, & quærant de vastitatibus suis.

11 Illaqueet fœnerator [h] omnem substantiam eius, & diripiant alieni [i] labores eius.

12 Non sit illi extendens misericordiam: nec sit qui misereatur pupillis eius.

13 [k] Fiant nati eius in excidium: in generatione altera deleatur nomen eorum.

14 In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.

15 Sint coram Domino semper: & [l] disperdat de terrâ memoriã eorum:

a improbi. b heb. doli c heb. aperuerunt se: d vel loquuta sunt e ad verb. dilectione mea f satan seu aduersarius g ad verb. improbus: h præfecturam h heb. omnia quæ (sunt) ei, i heb. laborem k Sit nouissimum l succidat

16 Pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam: & perſequutus eſt hominem [m] inopem, & mendicum, & [n] compunctum corde, vt morti traderet.

m vel afflictum. n prop attritum

17 Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & noluit benedictionem, & elongetur ab eo.

18 Et induat maledictionem ſicut veſtimentum ſuum, & intret ſicut aqua in interiora eius: & ſicut oleum in oſſa eius.

19 Fiat ei ſicut veſtimentum (quo) operiatur, & in zonam, (qua) ſemper præcingatur.

20 Hoc opus eorum qui aduerſantur mihi à Domino, & qui loquuntur [o] mala aduersùs animam meam.

o heb. malum

21 Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia bona (eſt) miſericordia tua, libera me.

22 Quia [p] egenus & pauper ego (ſum:) & cor meum vulneratum eſt intra me.

p vel afflictus

23 Sicut vmbra, cùm declinat, abij: excuſſus ſum ſicut [q] locuſtæ.

q heb. locuſta.

24 Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea emaciata eſt à pinguedine.

25 Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me; mouerunt [r] capita ſua.

r heb. caput ſuum.

26 Adiuua me, Domine Deus meus: ſaluum me fac ſecundùm miſericordiam tuam.

27 Et ſciant quòd manus tua hoc, (&) tu Domine feciſti iſtud.

28 Maledicant illi, at tu benedicas: inſurrexerunt, at confundantur; ſeruus autem tuus lætetur.

29 Induantur aduerſarij mei pudore, & operiantur ſicut pallio confuſione ſua.

30 Confitebor Domino [s] nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum:

s valde

31 Quia aſtat [t] à dextris pauperis, vt ſaluam faciat à iudicantibus animam eius.

t ad dexteram

pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam.

15 *Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.*

16 *Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

17 *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.*

18 *Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur; & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.*

19 *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala aduerſus animam meam.*

20 *Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia ſuauis eſt miſericordia tua.*

21 *Libera me, quia egenus & pauper ego ſum: & cor meum conturbatum eſt intra me.*

22 *Sicut vmbra, cùm declinat, ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.*

23 *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.*

24 *Et ego factus ſum opprobrium illis: & viderunt me, & mouerunt capita ſua.*

25 *Adiuua me* Domine Deus meus: *ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam.*

26 *Et ſciant quia manus tua hæc: & tu* Domine *feciſti eam.*

27 *Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur: ſeruus autem tuus lætabitur.*

28 *Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.*

29 *Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.*

30 *Quia aſtitit à dextris pauperis: vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. HVNC Psalmum composuit Dauid, cùm Saulem fugeret, essentque in aulâ qui falsis ac virulentis calumnijs Saulis odia aduersùs ipsum conarentur accendere. Non dubium est autem quin Dauid in cogitatione suorum periculorum ad Christum respexerit, cuius se typum gerere cognoscebat. Conuenire enim facilè possunt ad Christi mortis historiam, & pœnas quas nunc miseri Iudæi luunt, omnia ferme quæ de se, & hostibus suis hic Dauid pronuntiat. Constat hic Psalmus quatuor partibus. In prima opem Dei implorat aduersus calumnias, dolos, odia, perfidiam atque ingratitudinem aulicorum. Secunda, quæ incipit versu sexto, diras atque imprecationes horribiles continet in vnum aliquem peculiariter, quem Doëgum Idumæum fuisse autumant. Hæc pars terribili atque horrifica adeo oratione est conscripta, vt nihil non dico dici, sed ne cogitari quidem horribilius possit. In tertia parte, cuius initium versus 21us. iterum ad Deum se conuertit, ac sic ferme orat: Sed tu Domine, Domine, tuere partes meas, non meâ, sed tui vnius nominis caussa: tu qui neminem immensæ tuæ clementiæ expertem esse sinis, serua atque eripe me his malis. Namque ego calamitosus, & egens rebus omnibus: præterea concidit animus meus dolore perculsus ac saucius. Et quemadmodum vmbra ad occasum vergens singulis ferme momentis variat, ita ego quotidie subinde sedes cogor mutare instar saltitantis locustæ perpetuò huc illuc me miserum excutiens. Labant genua frequenti inediâ debilitata, totúmque corpus contabescit tot laboribus exhaustum. Quæ res tantum abest, vt hostes meos ad commiserationem pertrahat, vt illi acriùs ac vehementiùs misero mihi insultent, palàm deridentes, & quassantes caput. Age igitur Domine Deus meus, fer opem, ac serua me pro tua immensa misericordia: fácque omnes intelligant me tua vnius manu esse seruatum, non vllis humanis viribus. Maledicant isti mihi, vt lubet, dum tu aliquando faueas ac benedicas. Insurgentes mihi nihil non tentarunt hactenus: at nunc illos tandem sui pudeat, me triumphante, & voti compote. Hostes illi mei denique dedecore quasi veste toti inuoluantur atque obruantur. Reliqua est pars quarta, in qua promittit se Deum palàm celebraturum, qui adest inopi ad latus, eúmque aduersùs iniqua iudicia semper tuetur. Sic se nimirum Dauid concludens Psalmum consolatur.

1 *Deus laudis meæ*, hoc est, in quo glorior, non quemadmodum ij qui in sua malitia gloriantur. *Ne tacueris*, hoc est, ne conniueas ad hostium meorum petulantiam. Sic ferè Kimhi. Propositio est in hoc primo versu.

2 *Quia os peccatoris* seu *improbi* &c. Sequuntur rationes propositionis. *Os* &c. *apertum est* seu *aperuit se*, id est, apertè loquutum est apud Saulem, quod tanta arte coram me tegerent ac dissimularent; quò pertinet sequens membrum, *loquuti sunt* isti, vel *loquuta sunt* ora istorum *mecum linguâ mendaci*, quæ nimirum mentirerur amicitiam, & fucum faceret.

3 *Et verbis odij* apud Saulem *circumdederunt me* obsessum veluti, & *oppugnauerunt me gratis*, qui nihil tale de illis meritus fui.

4 *Pro eo vt me diligerent*. In Heb. *Pro dilectione mea*, quod Hebræi interpretantur, pro eo quòd eos dilexi: Lat. pro eo quòd me deberent diligere. Verùm priore modo planior est antithesis, quam videtur sequi in hoc, vt in sequente versu. Nec tamen malè Lat. Pronomen enim *meâ* potest & actiuè & passiuè accipi. Vide ad vers. 6. Psal. 2. Et versu sequente, vbi,

A *odium pro dilectione meâ*, Ezra *meâ* passiuè exponit, sic, pro eo quòd debebant me diligere. Idem tamen hic *meâ* actiuè accipit. Græcus est ambiguus, qui vertit ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾶν με. Græci tamen omnes acceperunt, quemadmodum Lat. *Aduersati sunt mihi*. Lat. hîc discessit à suo Græco, qui vertit ἐνδιέβαλλόν με. *Ego autem oraui*, id est ex Kimhi, illi me oppugnarunt atque oppugnant, ego verò non cessaui vsque Deum precari pro illorum incolumitate: quo modo & Ps. 35. 13. *Ego autem quum ægrotarent ipsi, induebar sacco*, &c. Sic ferè Kimhi. At Ioseph Kimhi huius pater ad

B istum modum exponit: ego autem quod facerem nihil habebam, nisi Deum orare, vt me eorum manibus eriperet. Ad verb. est *ego autem oratio*, hoc est ex Kimhi, vir orationis. Citat exem. gr. illud Dan. 9. 23. *vir desideriorum es*, vbi Hebraïcè deest *vir*. Vulgò Hebræi ad eiusmodi locos supplent אִישׁ *isch*, id est, *vir*. Sed hoc non est necesse. Dic tantùm abstractum esse pro concreto.

5 *Et posuerunt* &c. Exegesis prioris membri superioris versus. Pro beneficijs, inquit, quibus illos affeci, iniuriam, & pro amore odium reposuerunt. Hic in poste-

riore membro Kimhi [illegible] *meá* exponit actiuè, quasi dicat, *pro dilectione* & amicitia quâ illos sum prosequutus. Ezra tamen, vt iam annotatum, censet accipiendum esse passiuè, quasi diceret, pro amore, quo me ipsi deberent complecti. Ergo *pro bono* in priore membro esset explicandum sic, pro beneficijs quibus me deberent afficere. Sequor Kimhi, quia sic illustrior est antithesis. Fauet Chald. qui interpretatus est, *pro (eo) quòd dilexi.*

6 *Constitue super eum* &c. Subiicit iam vsque ad vers. 21. horrendas imprecationes in vnum aliquem. Kimhi, & alij putant Doëgum Idumæum illum esse, qui Achimelechum apud Saulem accusauit, quòd Dauidem hospitio excepisset, & commeatu instruxisset. Integra historia legenda 1 Sam. 22. Si de Christo Psalmus accipiatur, clarum est istum in quem imprecationes iaciuntur, non esse alium quàm Iudam proditorem. Caue putes Dauidem praua ira, aut odio impulsum has diras concepisse, sed diuinæ iustitiæ zelo ardentem. Neque porrò id quod hîc facit Dauid, trahendum in exemplum, ne falso zelo fortasse nostris affectibus blandiamur, & alio, quàm Dauid, spiritu incitati, in charitatem, quæ patiens & benigna esse debet, peccemus, & in Christianam legem, qua iubemur diligere inimicos nostros, benefacere his qui oderunt nos, & orare pro persequentibus & calumniantibus nos: vt simus filij Patris nostri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Mat. 5. *Constitue super eum peccatorem* seu *improbum*, hoc est, Cùm ille hactenus pro arbitrio sæuierit in bonos, subiice nunc illum vicissim homini cuipiam improbo, cuius libidini quauis in re sit obnoxius. Si de Iuda, per *peccatorem* Diabolum intellige peccatorum auctorem, qui Iudam ad laqueum adegit. Chaldæis diabolus dicitur חַטָּאָה *chattaa*, quasi dicas, auctorem peccati, qui *ab initio peccat*, 1. Ioh. 3. & peccare facit. *Et diabolus*, ad verb. *satan*, id est, aduersarius, *stet à dextris* seu *ad dexteram eius.* Satan Kimhi intelligit diabolum, hoc sensu, diabolus stet ad dexteram eius, vt aduersetur ei, ita vt quicquid agat, vertatur in maledictionem. Similis huic locutio legitur Zach. 3.1. Ezra & alij hominem intelligunt, quasi diceret, qui meam innocentiam tanto odio prosequitur, habeat & ipse aduersarium, qui nunquam ab eius latere discedat.

7 *Quum iudicatur, exeat condemnatus*, ad verb. *improbus.* Sensus, Si in iudicium trahatur, nunquam nisi conuictus flagitij, adeóque damnatus abeat. *Et oratio eius* &c.

[A] Sensus, deprecatione apud Iudices nihil proficiat, quin peccatum ac scelus potiùs augeat, mulctámque ac pœnam grauiorem sibi accersat. Rasi de iudicio Dei hunc versum vult intelligi.

8 *Sint dies eius pauci*, id est, Ante diem immatura morte pereat. Hoc impletum est in Iuda proditore. *Episcopatum eius accipiat alter.* Hoc D. Petrus testis omni exceptione maior Act. 1. impletum esse scribit in Iuda, & פְּקֻדָּה *pekudda*, exposuit τὴν ἐπισκοπήν. Pag. & alij vertunt *præfecturam*
[B] *eius* &c. hoc sensu, munus ei commissum, prouinciam ei traditam alter accipiat, eo scilicet mortuo. Doëg, ad quem Kimhi & & alij Hebræorum hæc referunt, fuit princeps pastorum Saulis. 1. Sam 21.7. Nihil est incommodi hunc locum & de Doëg, simul & de Iuda proditore, cuius ille fuit typus, vt Dauid Christi, interpretari. Rasi פְּקֻדָּתוֹ *pekuddatho*, interpretatur dignitatem eius, vernaculè *prouince.* Optimè Kimhi exponit rem cui esset præpositus: ac bene hoc qui-
[C] dem, sed postea nugatur, dum opes aut vxorem intelligendam esse affirmat. Nihilo meliùs Ezra. Studuerunt scilicet tenebras huic loco satis per se claro offundere, eiúsque sensum detorquere, ne appositè à D. Petro citatus videretur.

9 *Fiant filij eius orphani*, antequam scilicet ad maturam ætatem peruenerint, id quod necesse est fieri, si pater præmatura morte intereat. *Et vxor eius vidua*, adolescens ac iuuenis adhuc. Pendet nimirum hæc imprecatio ex præcedente.

10 *Et vagando* (emphaticè) *vagentur* &c. Sensus, In eum deducantur locum filij
[D] eius, eóque redigantur miseriarum, vt huc illuc victus quærendi gratia errare cogantur. *Et quærant* stipem *de vastitatibus suis*, hoc est, è domibus suis euersis ac vastatis, vel è parietinis, in quibus, dum hinc inde miseri oberrant, noctem transigere coguntur, prodeuntes. Extremum est malum mendicitas: & optabat quidam apud Comicum mori suos potiùs quàm mendicare.

11 *Illaqueet fænerator* &c. Explicat quomodò redigendi sint filij ad mendicitatem.
[E] *Illaqueet.* Emphasim habet hoc verbum, quasi diceretur, Ad se auertat, & intercipiat, velut laqueis ac retibus, omnia eius bona. Respicere videtur ad obligationes, quibus quasi laqueis nexos atque implicatos debitores tenent immites fœneratores. *Illaqueet.* Græc. & Lat. *Scrutetur*, ex יְבַקֵּשׁ *ienakkesch*, pro יְנַקֵּשׁ *ienakkesch*, ב pro נ. Scrutetur scilicet & excutiat omnes eius arculas.

12 *Non sit illi extendens misericordiam:* &c.

Ecce cur illi res futura sit cum fœneratori- A bus. Nemo sit, inquit, qui misero & egenti gratis largiatur, aut saltem mutuò det, ideòque ille fœnore sumere cogatur. *Nec sit qui misereatur pupillis eius*, atque ideo *vagando vagentur filij eius, & mendicent*, &c.

13 *Fiant nati eius*, ad verb. *Sit nouissimum eius* &c. Sensus, Posteritas eius citò absumatur, atque ita, vt *in generatione altera*, hoc est, tertia, *deleatur* atque extinguatur omnino *nomen eorum*, patris scilicet & liberorum. *Nouissimum*, id est, posteritas. Sic & Amos 9. 1. & alibi. *Altera*. Græ. B & Lat. *vna*, ex אחד *echadh*, pro אחר *acher*, ד pro ר.

14 *In memoriam redeat* (ἀναμνησθείη) *iniquitas patrum* &c. sic vt eam in illo puniat: iuxta illud Ex. 20. 5. *visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*: si nimirum filij patrum exempla fuerint imitati: ideòque illic mox additur *odio habentibus me*: hic verò, altero abhinc versu, *Pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam*, &c. *Et peccatum matris eius non deleatur*, sed in filio puniatur, quia & C ille impiè egit. *Anima quæ peccauerit*, (inquit Dominus apud Ezech. c. 18. 20.) *ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum*. Vide totum illud caput.

15 *Sint* iniquitas illa & peccatum *coram Domino semper*, & illi perpetuò ob oculos obuersentur: adeòque *disperdat* seu *excindat de terra memoriam eorum* omnium, patrum scilicet, matris ac liberorum. *Disperdat*. Græ. & Lat. *dispereat*: quia legerunt D alijs punctis.

16 *Pro eo quòd non est recordatus*, imò de industria omisit *facere misericordiam*, atque vti benignitate erga me: quin *persecutus est* me *hominem inopem*, seu *afflictum*, &c. Caussam in hoc versu reddit, cur tam diris imprecationibus vsus sit. Illud porrò semper tene, sanctorum imprecationes potiùs esse prædictiones à Spiritu sancto suggestas ac dictatas.

17 *Et dilexit maledictionem*, id est, scelera, quibus adhæret maledictio tam Dei quàm E hominum, &c. *& noluit benedictionem*, hoc est, neglexit virtutem seu pietatem, quam sequitur benedictio, &c. In Fonte verba, quæ reddimus per futurum Opt. sūt pręt. teporis, sed pro futuro, teste Kimhi, vsurpati, vt sæpe fit in sacris litteris, ac præsertim in Prophetijs. Græc. & Lat. per fut. Indic. reddiderunt. Hoc & duobus sequentibus versibus omne genus imprecationis complecti voluit, simulque probare eum diris omnibus dignum esse, vt qui illas suis sceleribus in suum caput attraxerit.

18 *Et induat maledictionem* &c. Expositio præcedentis versus à comparationibus. *Induat maledictionem sicut vestimentū suum*, interius scilicet, (sequens enim versus indicat hîc vestimentum interius, quódque propiùs corpus contingat, quàm zona, esse intelligendum) hoc est, Totus, quantus quantus est, operiatur maledictione vsque ad cutem. *Et intret sicut aqua*, quam quis potat, &c. Crescit & altiùs verbis assurgit oratio. *Et sicut oleum*, quo quis perungit corpus ad curandum ossium dolorem, cuius quidem vis in ossa ipsa ac medullas penetrat.

19 *Fiat* (*Sit*) *ei*, maledictio scilicet, *sicut* &c. Versum hunc apparet accipiendum esse de maledictione externa, quæ scilicet palàm fiat, & ab hominibus conspiciatur, sicuti conspicitur vestis, quâ quis tegitur, & zona quâ quis præcingitur. *Vestimentum* (*quo*) *operiatur*. Videtur certè vestem externam velle significare. *Semper*. Ista particula addita est emphaticè. *Et in zonam* (*quâ*) &c. Mihi videretur ex Hebræo vertendum potiùs, *& in zonam* seu *pro zonâ præcingatur illâ*, maledictione scilicet: hoc enim pronomen est fœm. generis, מזח *mezach* autem, id est, *zona*, apparet esse masculinum ex terminatione, ideóque conuenire non potest cum illo pronomine: id quod esset necesse in illa versione. Græc. tamen, Lat. D. Hieron. Pag. & alij, à quibus non ausi sumus discedere, verterunt priore modo. Posteriore modo accepit Felix, & alij. Eodem reuoluitur sententia, quoquo modo vertas.

20 *Hoc opus* &c. Sensus, Hæc tandem erit merces operis eorum erga me. Sic Leuit. 19. 13. *non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane*, hoc est, merces operis illius, ὁ μισθὸς τοῦ μισθωτοῦ, apud Sept. *Opus* hoc loco Ezra & Kimhi pro mercede exponunt. Concludit tandem igitur Dauid suas imprecationes, affirmátque non fore irritas, sed certò euenturas, & quidem à Domino. Concludit autem de omnibus hostibus, non de vno illo duntaxat. *Eorum qui aduersantur mihi* τῶν ἐν vers. quarto *aduersati sunt mihi*. *A Domino*. Lat. *apud Dominum*, cùm tamen in Græco sit παρὰ κυρίου, in omnibus exemplaribus, quæ vidi. Videtur legisse παρὰ κυρίῳ. *Et qui loquuntur mala*, in Fonte *malum* &c. id est, qui suis calumnijs mihi perniciem struunt, ὡς ἐν versus 3. *Et sermonibus odij circundederunt me*. Potes interpretari, & sententia eòdem recidet, qui consultant, & decer-

nunt aduersùm me seu vitam meam. Loqui enim interdum significat decernere. 1. Reg. 22. 23. *Dominus loquutus est contra te malum.* Vide simile Ier. 11. 17.

21 *Et tu Domine, Domine*, &c. Propositionem, quam in primo versu vnico verbo exposuerat, pluribus nunc repetit. Propositioni subiicit multas rationes. *Domine, Domine.* Repetitio ingentem affectum exprimit. *Fac mecum.* Loquutio Latinæ similis, pro, tuere partes meas, & ne discede à me. *Propter nomen tuum*, in quo semper spem habui: ne scilicet violetur in oculis hostium, sed potiùs vbique celebretur. *Quia bona est misericordia* &c. Sensus, quoniam erga omnes vteris tua misericordia, ne me nunc desere, sed serua.

22 *Quia egenus* vel *afflictus* &c. Exponit Deo suas miserias, quò faciliùs eum ad commiserationem excitet, atque extimulet. Deus clementissimus ac benignissimus pater non patitur liberos in calamitatibus perire, ac nihil miseris & laborantibus negare potest. *Respiciam*, inquit apud Esaiam, cap. 66. 2. *ad pauperem, & contritum spiritu, & trementem ad sermones meos.* Nauis nostra interdum operitur fluctibus, ac videtur Deus dormire. Matth. 8. Verùm si suscitauerimus eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus: tunc surgens imperat ventis, & mari, fitque tranquillitas. Non est igitur cur vnquam vllos ventos ac fluctus reformidemus, præsertim cùm in naui adsit ille præsens. Dei vox fuit ad D. Antonium Abbatem ex radio lucis, qui ipsi post longum cum Dæmonibus certamen è culmine affulgeret, sentientem Dei præsentiam, ac quærentem: Vbi eras bone Iesu? vbi eras bone Iesu? vbi eras? vox, inquam, tum hæc ad illum: Antoni hic aderam spectator tui certaminis. Ita est profectò: Deus semper est nobiscum in periculis, nec spectator otiosus duntaxat, sed adiutor etiam. Et nunquid tribus illis viris in fornacem ignis Nabuchodonosoris imperio coniectis quartum se addidit Angelus Domini? Legenda hæc historia Dan. 3. Suos Deus nunquam deserit, sed ijs se, quoquo eant ac se vertant, dat comitem. Iacob Patriarchæ petenti Ægyptum nunquid sic Deus? *Ego descendam tecum in Ægyptum, & ego inde adducam te reuertentem.* Gen. 46. 4. Nec hærere hic quisquam debet, quasi Deus promisso defuerit, quòd decesserit Iacob in Ægypto, nec reuersus sit in patriam. Nam hinc potiùs colligitur perpetua Dei præsentia, quòd nimirum Deus & viuo & mortuo Iacobo comitem se præbuerit, vt veluti funus illius in terram vs-

A que Chanaan sit prosequutus: illud enim *ego inde adducam te reuertentem*, seu, vt est in Fonte, *ego ascendere faciam te ascendendo etiam tecum*, Rasi, Ezra, Abarbanel, & alij exponunt, quasi Deus ei polliceretur sepultum iri in terra Chanaan vnà cum Patribus, non in Ægypto: id quod factum ex eius animi sententia, vti omnes sciunt. Scio ex aliorum, ipsius etiam Abarbanel, opinione illud Gen. *ego inde adducam te reuertentem*, ad Iacobi posterorum ex Ægypto eductionem posse referri. Verùm hæc obiter & per occasionem tantùm.

B 23 *Sicut vmbra, cùm declinat*, &c. hoc est, Quemadmodum vmbra declinans subitò abit, sic ego citò abij: quasi dicat, Celeriter euanuerunt dies mei in malis. Ita ferè Kimhi. Vel potiùs sensus est, *Sicut vmbra, cùm declinat*, hoc est, Sicut vmbra, quæ ad noctem vergit, ac declinat, singulis pene momentis mutatur, & variatur; cùm ea, quam facit sol, dum in ipso meridie capitibus nostris imminet, non adeo sit subita: sic ego in perpetuo sum motu, nec vllibi datur mi-
C hi consistere. Ad hanc sententiam optimè cõuenit id quod mox sequitur, *excussus sum sicut locusta*, hoc est, sicuti locustæ non habent certum locum, vbi quiescant, sed hinc inde saltitantes perpetuò mouentur, sic ego nusquam reperire possum tutam ac certam sedem. Nam sicubi me Saul esse cognouerit, protinus illuc me insequitur, vt pene semper necesse habeam locum mutare, ac fugere. In hoc versu præterita sunt pro præsentibus, vel sanè præsentia etiam includunt. *Abij* vel *abeo* subinde ex vno
D loco in alium: *excussus sum* vel *excutior* seu *excutio me* huc illuc.

24 *Genua mea infirmata sunt* seu *impegerunt* aut *vacillauerunt à ieiunio*, id est, ob assiduum ieiunium. Dauidem enim in illo exilio ac fuga probabile est ieiunasse sæpe, & abstinuisse vltro cibis, quò Deum ad misericordiam prouocaret: interdum etiam coactum victus inopia. Dauidem legimus 2. Sam. 12. 16. quum infantulum ex vxore Vriæ natum grauiter ægrotare intellexisset, ieiunasse, & ingressum conclaue, at-
E que humi prostratum Deum orasse pro salute pueri. Idem omnino verisimile est fecisse in omnibus suis periculis, vt qui sciret Deum ieiunio flecti. *Et caro mea emaciata est* seu *macruit à pinguedine*, q. d. excidit à pinguedine pristina, hoc est, corpus meum, amisso succo, contabuit, & exaruit ob frequentia ieiunia, & itinerum difficultates. Græc. & Lat. verterunt, *& caro mea immutata est propter oleum*, hoc est, propterea quòd oleo non vngor, vt solebam: propter olei defectum: sic enim communiter

explicant nostri. Symm. eodem pene modo vertit, καὶ ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη ἀπὸ ἀναλειφίας. Acceperunt videlicet שֶׁמֶן *schamen*, in significatione *olei*, quam etiam habet. In Græ & Lat. *propter oleũ* potest explicari propter olei vsum loco solidioris cibi. Sanè vt in priore hemistichio τὸ *à ieiunio*, caussa est cur genua vacillent, sic in hoc τὸ *ab oleo* (nam ita est ad verbum) videtur poni vt caussa macici: sic vt vtrobique particula מִן *min, à, ab*, in eadem significatione vsurpetur. Card. Bellar. tamen *propter oleum* exponit propter pinguedinem suam amissam: affirmátque in Hebræo clariùs haberi: id quod miror illum dicere, cùm Hebræa vox vtrumque significet, *à pinguedine*, necnon *propter oleum*. Voluit, credo, dicere ab Hebræis clariùs exponi. Hebræi certè שֶׁמֶן *schamen* pro pinguedine hoc loco accipiunt: nemo pro oleo, quòd sciam. In hoc quoque versu verba præt. temporis includunt præsens.

25 *Et ego factus sum opprobrium* &c. quum scilicet me conspexerunt exhaustum viribus adeo, ac tam macilentum. Id quod illos ad commiserationem pertrahere debuit, in risum verterunt. *Viderunt* seu *vident me* in tam miserabili statu, & *mouerunt* seu *mouent capita sua*, heb. *caput suum*, per ludibrium. Quàm bene hic versus Christo quadret, sciunt qui eius historiam norunt.

26 *Secundùm misericordiam tuam*, hoc est, pro solitâ illâ clementiâ, quâ erga cæteros mortales vti soles, & quâ erga me iam sæpe vsus es. Kimhi.

27 *Et sciant* omnes *quòd manus tua hoc*, hoc est, quòd ista salus mihi à manu tuâ contigerit, & quòd *tu fecisti istud*, non ipse vllis meis viribus. Kimhi & Ezra. Petebat nimirum Dauid non vulgari modo seruari, sed insigni aliquo miraculo, quod hostes vel inuiti cogerentur fateri & agnoscere, dicendo, *Manus Dei hæc*. Vir pius quippe non suæ, sed Dei gloriæ, quam cupiebat magis ac magis in dies propagari, studebat. Propagatur autem tum maximè Dei gloria, quum palàm fit Deum suis, vbi opus est, præsto esse. Quotus quisque est, qui Dauidis exemplũ imitetur? Cupiunt omnes à Deo liberari quidem, sed nihil aliud quàm liberari, non magnopere de Dei gloria laborantes. Chald. accepit hunc versum alio sensu: interpretatur enim sic, *Et sciant quòd plaga tua hæc: tu Domine fecisti eam*, hoc est, vt puto, Cognoscant, te volente, & certo tuo consilio tot mala mihi accidisse, postquam tu mihi salutem attuleris, illis profligatis & euersis.

28 *Maledicant illi*, &c Discamus exemplo Dauidis maledicta & contumelias despicere, ac cum illo dicere, *reddet mihi Dominus bonum pro maledictione eius die hodierna*. 2. Sam. 16. 12.

29 *Induantur aduersarij mei pudore*, cernentes se suis consilijs frustratos, & à spe deiectos. *Et operiantur sicut pallio* &c. Quum *pallium* vestem extimam, & ad talos demissam nominat, optare videtur, vt pudore perfundantur toti, & palàm.

30 *Confitebor Domino* &c. Tandem secutus repulsæ à Deo, vt qui à latere inopis nunquam discedat, pollicetur se illum impensè ac palàm prædicaturum.

31 *Quoniam astat* &c. Existimo in hoc versiculo generalem esse sententiam: & verbum fut. temporis in Fonte vsurpatum pro præsenti, vt fit in generalibus sententijs, quemadmodum sæpius est obseruatum. Potes tamen hunc versum ad Dauidem restringere, & verbum fut. temporis exponere cum D. Hieron. Pagn. Felice, *astabit*. Græcus & Lat. ad Dauidem restrinxerunt, & in præt. verterunt *astitit* &c. Nota aliter hîc vsurpari phrasim, *stare ad dextram alicuius*, quàm suprà, vers. 6. esséque hoc loco aliam constructionem. Ibi enim verbum עָמַד *amadh*, *stare*, construitur cum עַל *al*, *super*, *contra*, & significat aduersari, & alicuius conatus infringere: hîc verò constructum cum littera ל, id est, *ad*, significat defendere, & adesse alicui ad latus. Eadem ferè est phrasis Ps. 16. 8. (nisi quòd pro ל ibi est מִן *min, à*,) *quoniam à dextris est mihi, non mouebor*. *Vt saluum faciat* pauperem *à iudicantibus* (in reg.) *animam eius*, ad verb. magis, *à iudicibus animæ eius*, hoc est, ab ijs in quorum potestate & arbitrio est vita eius. Principes & Magistratus notat, penes quos est potestas vitæ & necis aliorum. Græ. & Lat. *à persequentibus* verterunt, sensum duntaxat sequentes. Verterunt quoque *animam meam*, vel quia sententiam tantùm respexere, vel quia legêre Iod pro ו.

PSALMVS

C X. | CIX.

VERSIO

Nova.

DAVID Psalmus.
Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum [a] pedum tuorum.
2 Virgam [b] virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.
3 Populus tuus sponte (veniet) in die exercitus [c] tui: in splendoribus sanctitatis ab vtero (ab) aurora; tibi ros natiuitas tua.
4 Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu (es) sacerdos in æternum secundùm [d] ordinem Melchisedech.
5 Dominus [e] à dextris tuis: confringet in die iræ suæ reges.
6 Iudicabit in nationibus, implebit cadaueribus, [f] conquassabit capita in terra multa.
7 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

a pedibus tuis.
b fortitudinis
c vel tui in splendoribus &c.
d vel morē
e ad dexteram tuam:
f confringet, percutiet

Vetus.

PSALMVS Dauid.
Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis:
2 Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
3 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.
4 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.
5 Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.
6 Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.
7 Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.
8 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

COMMENTARIVS.

Argumentum. 2. Corinth. 3.

HIC Psalmus Propheticus est de Christi Regno & Sacerdotio. Iudæi, quorum obtusi sunt sensus in lectione veteris Testamenti, non reuelato adhuc velamine, quod positum est super cor eorum, hunc Psalmum de Dauide, quidam etiam de Abrahamo accipiunt. De recentioribus, qui post Christum fuerunt, loquor. Nam veteres non dubium est de Mesia intellexisse. Constat ex Tit. auctorem huius carminis esse Dauidem. Ridicula enim illorum sententia, qui לְדָוִד ledhauidh, Dauidi, *id est, in gratiam Dauidis, seu de Dauide interpretantur, quasi hic Psalmus ab aliquo de Dauide conscriptus sit. Cur enim hîc* לְדָוִד ledhauidh, *aliter exponas, quàm in superioribus duobus Psalmis absque vlla euidenti ratione? Igitur vel ex solo Tit. constat de Dauide non esse exponendum hoc carmen, sed eius potiùs Dauidem esse auctorem. Ex quo facile etiam refelli possunt, qui hunc Psalmum Eliezer seruo Abrahami tribuunt, & de Abrahamo exponunt. Omitto plura nunc dicere, quæ dicentur postea, ex quibus euidenter demonstrabitur neque de Abrahamo, neque de Dauide explicandum esse hoc carmen. Equidem ego diu, multùmque cogitaui, si quo pacto de Dauide, vt Christi typo, primò explicari posset hic Psalmus. Verùm comperio ea dici hîc, quæ in Dauidem nulla ratione conuenire possunt.*

1 *Dixit Dominus* &c. D. Petrus hunc versum de Christo Domino tibi exponit Act. 2. Expēdamus singula huius versiculi verba. *Dixit.* Rem futuram tanquam Propheta significat verbo præt. temporis. Quanquam vertere potes, *Dictum* seu *Sermo Domini.* Hîc in Fōte יְהוָה præcipuum illud ac proprium Dei nomen, ἄῤῥητον & ἀνεκφώνητον. *Domino meo.* Hinc Seruator ipse Matth. 22. aduersùs Pharisæos disputans probat Christum non solùm hominem esse, sed etiam Deum. En textus: *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis, Quomodò ergò Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo,* &c. Vides fuisse tunc receptam sententiam, Psalmum hunc de Christo intelligendum, eiúsque auctorem Dauidem: alioqui nihil ponderis habuisset Seruatoris argumētatio. Pharisæi enim respondissent negando locum à Seruatore citatum de Christo accipiendum. At testis est D. Matthæus cap. cit. *neminem potuisse ei respondere verbum: neque ausum fuisse quemquam ex illa die eum ampliùs interrogare.* *Sede à dextris meis* seu *ad dexteram meam.* Negat D. Petrus Act. 2. posse hoc de Dauide accipi. *Non enim*, inquit, *Dauid ascendit in cœlum.* Vult & D. Paulus ad Heb. 1. hoc de Christo accipi: negátque cuiquam Angelorum simile dictum aliquando. Quando hoc, *Sede à dextris meis*, Christo à Patre dictum? Quum eum Pater suscitatum à mortuis in cælum assumpsit, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum &c. Vide Marc. vlt. ad Eph. 1. Act. loco cit. Quid porrò aliud *sedere ad dexteram Dei Patris*, quàm pari cum Deo Patre potentia regnare? Scilicet D. Paulus 1. Corint. 15. nos id docet, cùm ait, respiciens dubio procul ad hunc locum, *Oportet autem illum* (Christum) *regnare: donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Psal. 45. 10. sponsa ad dextram Regis, vt consors regni, ac potestatis collocatur. Salomon rex matrem honoris ergô ad dextram suam iussit sedere, 1. Reg. 2. 19. *Donec ponam* &c. Caue particulam *donec* in hanc sententiam accipias, quasi desiturus sit Christus ad dexterā Patris sedere, quando posuerit Pater inimicos eius scabellum pedum eius, hoc est, quando omnes illius hostes pedibus ipsius conculcandos subiecerit: sed quòd interim dum sedebit Christus ad dexteram Patris, positurus sit Pater inimicos eius &c. Nam interdum particula *donec*, ita pertinet ad tempus præcedens, vt de futuro non inferat contrarium: ex. gr. Gen. 28. 15. *non deseram te, donec compleuero* (*fecero*) *vniuersa quæ dixi tibi.* Ps. 112. 8. *non timebit, donec videat in inimicis suis.* Matt. 1. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Similis loquendi modus 2. Sam. 6. 23. Kimhi, qui putat hunc Psalmum ab aliquo Cantorum in gratiam Dauidis scriptum sub initiis regni illius, quum nimirum Philistæi certiores facti Dauidem omnium Tribuum regem creatum, aduersùs ipsum expeditionem pararunt in valle Raphaim: (2. Sam. 5.) iste, inquam, Kimhi ad hunc ferme modum hunc versum exponit, *Dixit Dominus* Deus *Domino meo* Dauidi, *Sede* & esto securus *ad dexteram meam:* siquidem dextera mea tibi opitulabitur, nec quiescam, *donec ponam inimicos tuos* &c. Deus bone! itáne licet ludere in sacris litteris? Quid? Ergo *sedere ad dextram Dei* hoc loco nouo loquendi genere erit securum esse ac quiescere fretum Dei auxilio?

2 *Virgam virtutis tuæ* &c. Exposito Dei Patris oraculo, ipse Dauid Christum nunc alloquitur. Significare autem vult hoc versu, Christi imperium ex Hierosolyma, vbi initium cepit, in vniuersum terrarum orbem esse deriuandum, ac propagandum. *Sion* synecdochicōs ponitur hic pro vrbe Hierosolyma, cuius erat præcipua pars. Apud Esaiam cap. 2. 3. similis Prophetia de Christi regno ac lege, *de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Eadem & totidem verbis legitur Mich. 4. 2. *Dominare.* Verbum hoc non tam imperantis, quàm bene ominātis, & vaticinantis. *In medio.* Emphasim habet hæc particula. Si ex occasione, quam putat Kimhi, scriptus est hic Psalmus, Dauidi potest competere quod dicitur in hoc versu, quasi diceretur, E Sione Dominus sceptrum tuæ potentiæ longè latéque proferet. Iam tum enim arcem Sionis subegerat, & inibi domicilium, ac regiam posuerat, 2. Sam. 5. Ezra, quominus de Abrahamo accipiat hūc Psalmum, voce Sion, quæ fuit ciuitas Dauidis, affirmat se impediri. Certè nulla Sionis mentio Abrahami ætate.

3 *Populus tuus sponte* (supp. commodum aliquod verbum *aderit, veniet*) *in die exercitus tui*, id est, quoties tibi erit cogendus exercitus, & educendæ copiæ. Ecclesia Christi hæc in terris militans vocatur. *In splendoribus* (emphaticè in num. multitudinis) *sanctitatis ab vtero* tu es sup. quasi diceret, quidni verò vltro tui ad te confluant, cùm iam inde ex quo natus es, splendore sanctitatis exornatus sis? (*Ab*) *aurorâ*, tuâ scilicet. Metaphoricōs significat idem quod *ab vtero*, quasi diceret, ex quo tanquam aurora orbi effulsisti. Potes exponere, & fortasse

conuenientiùs accentibus, *in splendoribus sanctitatis*, id est, propter splendores sanctitatis, *ab vtero*, id est, ex quo egressus es ex vtero, & *(ab) aurora*, id est, ab ortu tuo, scilicet *populus tuus sponte* &c. *Tibi ros natiuitas tua.* Quia auroræ mentio facta est, continuans metaphoram ait, ortus ac natiuitas tua instar est purissimi roris, pura scilicet, & absque sordibus. *Tibi* dixit cum insigni emphasi, quasi diceret, *tibi* peculiariter, præter cæterorũ hominum morem, qui peccati originalis labe infecti ac sordidati nascuntur. Vide num tibi hæc interpretatio magis placeat: *Populus tuus sponte (veniet)* &c. vt explicatum est. *In splendoribus sanctitatis*, id est, ob splendores sanctitatis in te iam vsque *ab vtero (quasi* sup.) *aurora* illucentes. Eodem pertinebit id quod sequitur, *tibi (quasi* sup.) *ros natiuitas tua*, id est, pura est instar roris. Sæpe ex Hebræi sermonis consuetudine desunt particulæ, quas, dum vertimus, cogimur supplere, vt hic facimus. Pro vltima expositione euidenter facit illud Oseæ 6. 3. *quasi diluculum (aurora) præparatus est egressus eius* Christi: *& veniet quasi imber nobis, quasi imber serotinus & temporaneus terræ.* Quoniam nox, hoc est, figuræ in Mose præcesserant, aduentus Christi, & Euangelij lux auroræ; quoniam autem fœcunda fuit Christi doctrina, ideo & pluuiæ ac rori aduentus eius comparatur. Hæc nostra mens est circa hunc locum, quo non arbitror vllum obscuriorem in toto Psalmorum volumine. Alias expositiones apud alios Interpretes poteris requirere. Nam lõgum esset omnes proferre. Nihil dico de sensu Græcæ & Latinæ versionis, quia à multis iam doctè & copiosè explicatus est. Tantùm hoc admonebo, non tam alienam esse ab Hebræo prædictam versionem Grecam & Latinam, atque aliqui putant. Quod enim habent *Tecum*, id Hebræo consentaneum erit, legendo עִמְּךָ *immecha*, pro עַמְּךָ *ammecha*, chirech pro patach, & sumendo ἀρχὴν & *principium* pro *principatu*, id quod ἀρχὴ significat apud D. Basilium, hom. 10. Hexam. neque vox Hebræa omnino reiicere videtur istam significationem. Illud verò, *ex vtero ante luciferum genui te*, potest haud difficilè effici ex his verbis, *ab vtero (ab) aurora tibi ros natiuitatis tuæ*, ita vt metaphorica sit locutio idem significans, quod *genitus es*, seu, *genui te*. Est profectò in libro, cui titulus est Ialkut, qui legerit עִמְּךָ *immecha*, id est, *tecum*, vbi hæc habentur in hunc versum, *Tecum fui in die quo sponte obtulisti nomini meo descendere ad fornacem ignis.* Vbi *in splendoribus sanctitatis*, D. Hieron. interpretatus est *in montibus sanctis*: quia legit הַרְרֵי *harere*, id est, *montes*, pro הַדְרֵי *hadre*, ר pro ד.

4 *Iurauit* (emphaticum) *Dominus, & non pœnitebit eum*, hoc est, nunquam mutabit sententiam. Quid iurauit? *Tu (es) sacerdos* &c. id est, Tu, ô Christe, futurus es simul Rex & Pontifex, non secus ac Melchi-sedech ille Rex Salem, idem & Sacerdos. Gen. 14. 18. Dicit igitur *secundùm ordinem (morem) Melchisedech*, quia Christi typus fuit Melchisedech. Hunc versiculum sublimibus mysterijs refertum enarrat D. Paulus in Epist. ad Hebræos, inde à cap. 4. Rabbini nunquam se expedient ex hoc loco. Vbi enim Abraham aut Dauid leguntur fuisse Sacerdotes? At *Tu es sacerdos*, nihil aliud, quàm ex te exibit sacerdotium, sic enim exponit Rasi. Deus bone, quod monstrum interpretationis hoc est? Sed *sacerdos*, inquiet Kimhi, principem aliquando significat, Iob 12. 19. & alijs locis. Sit ita sanè. An propterea statim sequitur hoc loco principem significare? Et cur Dauid non Rex, sed princeps, qui Rege minor est, appellaretur? Nihilo melius Ezra, qui explicat, *Tu (es) sacerdos*, id est, Dei cultor, ac minister. Omitto alia illorum deliria. Scilicet misit illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. 2. Thess. 2.

5 *Dominus à dextris* &c. Suprà Christum vt Regem, necnon vt sacerdotem in mox præcedente versiculo, descripserat; in sequentibus tribus versiculis eundem vt generosum ac fortem ducem depingit. Obserua porrò victorias Christi spiritales ad modum & speciem corporalium, & spectabilium victoriarum describi, vt ex eo quod in visibilis exercitus clade solet accidere, maxima Diaboli, & cæterorum hostium Christi clades intelligatur. *Dominus à dextris tuis* seu *ad dexteram tuam*, hoc est, Tuum latus, ô Christe, Dominus semper teget, excipiens omnes ictus ab hostibus illatos. Similis locutio Ps. 16. 8. *Confringet* seu *transfiget* Christus, mutata subitò secunda persona in tertiam, *in die iræ suæ reges* ipsos, non vulgus tantùm. Hic verbum in Fonte præt. temporis, sed pro fut. more prophetico, quem sæpe laudant Hebræi. Vt hoc posterius membrum ad Christum, non ad Dominum referam, facit postremus versus, *De torrente* &c. qui nulla ratione Deo conuenire potest, facilè Christo. Sunt qui hos versus ad populum, qui Christum erat sequuturus, referendos censeant, ac si Dauid ad hunc modum ipsum alloquatur, Esto verò fretus tanto Rege & Sacerdote, ô qui illum sequeris. Nunquam enim ipse discedet à tuo latere, & reges ipsos tibi aduersãtes iratus perdet. Etc.

Dauid autem Christum appellauit *Dominum*, quod vnum est ex diuinis nominibus, quia sciret Christum Deum futurum. Mirabuntur fortasse aliqui, quòd tam subitò Dauid, omisso Christo, ad populum se conuertat. Sed mirari desinent, si animaduertant eiusmodi subitas mutationes creberrimas esse apud Vates sanctos, atque ita interdum latentes, & difficiles ad obseruandum, vt vel acutos, & perspicacissimos fugiant, nisi diligenter aduertant. Mitto breuitatis ergò aliorum interpretationes, quas tu è suis auctoribus poteris repetere.

6 *Iudicabit in nationibus*, &c. Sensus, Imperium adeóque ius in omnes Gentes obtinebit, atque ita exercebit, vt si quæ rebelles esse voluerint, & arma aduersùs ipsum ceperint, repleturus sit cadaueribus totas illas gentes, ac decussurus capita *in terrâ multâ*, hoc est, longè latéque. Vno verbo, significare vult illum horribilem stragem editurum. *Implebit cadaueribus*, vel *implebit*, hoc est, cumulabit, *cadauera*. Lat. vertit *implebit ruinas*, ex Græci codicis ambiguitate, πληρώσει πτώματα: nam πτῶμα & *ruinam* & *cadauer* significat. D. Hieron. vertit *impleuit valles*: quia legit גְּאָיוֹת *gheaioth*, id est, *valles* pro גְּוִיּוֹת *gheuiioth*. *Capita*. In Fonte *caput*, collectiuè.

7 *De torrente* &c. Sensus, Non illum potus aut cibi deliciæ vnquam retardabunt, sed ex obuio quoque fluuio, ac torrente bibet: atque idcirco caput certò sustollet, illustres victorias referens. Depingit scilicet Christum sub imagine strenui ac generosi ducis, quē nulla res remoratur, quin summo ardore victorias persequatur. Ista

A sententia Christo facilè accommodari potest, Deo non. Ad hunc porrò versum referendum, quòd Gedeon Iud. 7. bonos milites aquæ potu explorauit, sicut à Domino iussus fuerat, eos solùm retinens, qui manu haustam è flumine aquam lambe-rant, dimissis è castris quotquot flexo poplite biberant. Sunt qui hoc versu significari putent tantam & tam horribilem hostium stragem editurum Christum, vt è riuis cruoris per vias passim manantibus, quasi è torrente, bibiturus sit, hoc est, satiandus sit hostium suorum sanguine. Simi-

B le quid obseruant Num 23. 24. *Ecce populus* (Israëliticus) *vt leo magnus surget, & quasi leo minor erigetur*, (*eriget se*:) *non accubabit donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat*. Nec est cur quæras vbi torrens ille sanguinis è quo biberit Christus. Nā quod in hoc versu dicitur, non corporaliter, sed spiritaliter est accipiendum (vt inuisibilia per corporea & visibilia solent designari) de clade Diaboli, & cæterorum Christi hostium, quemadmodum iam obseruatum ad vers. 5. Aliæ sunt huius versiculi expositio-

C nes, piæ sanè, at mysticæ. Rasi porrò, Ezra, & Kimhi frigent, etsi Ezra tribus modis conetur hunc versum interpretari, & quidem de Dauide. Ecce tibi ex tribus interpretationibus probabiliorem. Sunt qui dicant, inquit, quòd propter multitudinem suarum copiarum necesse habebit per iter proficisci in quo sit flumen, (nam נַחַל *nachal*, *flumen* potest significare) siquidem illi non satis futuri sint fontes. Conuicito de alijs duabus, si hæc tam frigida est.



PSALMVS

CXI. | CX.

VERSIO

NOVA.



LLELVIA. Confitebor Domino in toto corde, in concilio [a] iuſtorum & congregatione.

2 Magna opera Domini, explorata omnibus volentibus ea.

3 Gloria, & magnificentia opus eius, & iuſtitia eius manet in æternum.

4 Memoriam fecit [b] mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus.

5 [c] Eſcam dedit timentibus ſe: memor erat in ſeculum [d] teſtamenti ſui.

6 [e] Virtutem operum ſuorum annuntiauit populo ſuo, dando illis hæreditatem Gentium.

7 Opera manuum eius veritas & iudicium: [f] fidelia omnia mandata eius:

8 Confirmata in perpetuum (&) in æternum: facta in veritate & æquitate.

9 Redemptionem miſit populo ſuo, mandauit in æternum [g] teſtamentum ſuum: ſanctum & terribile nomen eius.

10 Initium ſapientiæ timor Domini; intellectus bonus omnibus facientibus ea: [h] laudatio eius manet in æternum.

a prop. rectorum
b ad verb. mirabilibus ſuis,
c vel Prædam
d pacti
e Fortitudinem
f vel ſtabilia
g prop. pactum
h laus

VETVS.



LLELVIA. Confitebor tibi Domine in toto corde meo; in conſilio iuſtorum, & congregatione.

2 Magna opera Domini: exquiſita in omnes voluntates eius.

3 Confeſſio & magnificentia opus eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

4 Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.

5 Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo:

6 Vt det illis hæreditatem Gentium: opera manuum eius, veritas & iudicium.

7 Fidelia omnia mandata eius: confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate.

8 Redemptionem miſit populo ſuo: mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

9 Sanctum, & terribile nomen eius: initium ſapientiæ timor Domini.

10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.

COMMENTARIVS.

Argumentum. HIC *Psalmus siue ad notandam eius præstantiam, siue ad iuuandam memoriam ordine alphabetico conscriptus est, sic vt in singulis versibus binæ reperiantur litteræ, in duobus postremis ternæ. Cur sic cogantur litteræ, breuitatem caussam* Kimhi *affirmat. Sed vide de hac re ad vers. 9. In hoc Psalmo Dauid, quem eius auctorem existimo, exemplo suo prouocat omnes, ac iubet celebrare, atque extollere perpetuò Dei admirabilia atque ingentia facta, quæ eorum studiosis contemplatoribus innotescunt: summam eius maiestatem, quæ in quotidianis operibus elucet, & perpetuam iustitiam. Mox verbo perstringit omnia illa prodigia à clementissimo Deo apud Ægyptios edita. Narrat postea vt Israëlitas Deus in deserto pauerit memor fœderis cum Abrahamo initi: vt illis multarum Gentium terras non sine euidenti immensæ suæ potentiæ argumento possidendas tradiderit. Inde diuinæ legis veritatem, iustitiam ac stabilitatem prædicat, docens in eius obseruatione positam esse veram prudentiam, & timorem Domini sapientiæ esse radicem. Tandem hoc ferme breui epiphonemate carmen, adeóque Dei laudes concludit, Laus denique eius perennis futura est, quamtumuis ab impijs negligatur.*

1 *Alleluia* siue *Haleluiah*, id est, *Laudate Dominum. Confitebor Domino* &c. Exordium, quo cæteros ad Dei laudes hortatur, promittens se exemplo præiturum. *Laudate*, inquit, ô quotquot estis, *Dominum*. Equidem ego *confitebor Domino in toto corde*, hoc est, nunquam desinam celebrare Deum omnibus animi modis, totisque viribus, *in concilio iustorum*, prop. *rectorum, & congregatione* eorumdem, hoc est, palàm in Ecclesia. *Concilium*, seu, *congregatio iustorum*, seu, *rectorum* dicitur Israëlitica Ecclesia, non quòd omnes & singuli iusti essent ac recti, sed quòd tales esse deberent. Ad hoc enim à Deo erat instituta, in terris vt essent, qui piè ac iustè, & ex præscriptis legibus viuendo Deum colerent. Appositè Kimhi per *rectos* docet intelligendos Israëlitas, quòd illi, inquit, recti sint in suis operibus iuxta iudicia seu leges à Deo Opt. Max. præscriptas, hoc est, si viuant, suasque exigant actiones ad Dei leges. Citat in exemplum illud Balaam Num.23.10. *moriatur anima mea morte iustorum*, heb. *rectorum*, id est, Israëlitarum. Sic D. Paulo *sancti* Christiani vocantur, quòd vocatione, baptismo, & professione tales sint, hoc est, quòd sancti esse debeant, si vocationi & professioni respondere volunt. Sic Ecclesia in Symbolo dicitur sancta, non quòd quotquot sunt in Ecclesia, sancti sint, sed quòd sancti esse debeant, ac nunquam illi desint qui pietatem & sanctitatem colant, cùm extra illam nihil sanctum, ac sanctus nemo esse possit, ita vt Ecclesiæ secundùm Deum propria sanctitas dici possit. Quamuis enim in Ecclesia multis partibus plures semper existant, qui turpiter & flagitiosè viuant, quàm qui piè ac probè, non tamen propterea Ecclesia desinit esse sancta, nec suum amittit nomen. Nam quandiu in ea inest sanctitatis aliquid, sancta dici potest, non secus atque arbor viuere dicitur, quandiu aliquid habet vitæ, licet multi sint aridi rami. Scio ac didici ex *Institutione Christiana* Magni illius Cardinalis, Galliæ nostræ Genij, (Illustrissimum Card. Richelium me intelligere palàm est) Ecclesiam sanctam esse, quia Iesus Christus, qui eius est caput, Sanctus Sanctorum est; tum quia Deo consecrata est omnis authori sanctitatis; quia etiam eius doctrina, fides & disciplina tota sancta est; quia denique ab eius Sacramentis emanat gratia, quæ ipsa est sanctitas. Sed addit Illustrissimus, quem dixi, Cardinalis, Postremò, quoniam infinito Sanctorum numero decoratur, qui nusquam alibi nisi in ipsius sinu & gremio reperitur. Verùm eò reuertamur, vnde nimiùm longè fortasse, certè præter morem nostrum, digressi videbimur. Pro eo quod versum à nobis *in concilio*, ex Ezræ mente vertendum *in arcano*, (סוד *sodh*, enim *arcanum*, *consilium*, & *concilium* significat) quod ipse exponit priuatim, & secretò: cùm *in congregatione* explicet palàm.

2 *Magna opera Domini*, &c. Incipit celebrare Dominum. Nonnihil obscurus est hic versus propter vltimum membrum, quod alij aliter vertunt & exponunt. Kimhi sic ferè habet ad hunc versum, Magna sunt Dei opera, quæ fecit in rebus creatis. Etsi verò sunt magna, tamen *quæsita* seu *explorata* sunt *omnibus volentibus ea*: perinde ac si diceret, quicumque vult ac studet illa intelligere, eáque perquirit, fiunt illi explorata. Existimat hic חֶפְצֵיהֶם *chephtsehem*, esse toar à sing. חָפֵץ *chaphets*, id est, *volens*. Vocem דְּרוּשִׁים *deruschim*, quæ prop. sonat *quæsita*, interpretatur inuenta. Sed, omisso more suo, exemplo non probat. Ego verò confirmo ex illo Esa.65.1. נִדְרַשְׁתִּי

nidraschti, id est, *Quæsitus sum* (Græc. ἐμφα-νὴς ἐγενήθην) *ijs qui* (*antè*) *non interrogabant*. Sed audi quid illic mox sequatur, *inuentus sum ijs qui non quæsierunt me*. Potes posterius membrum interpretari sic, *explorata*, hoc est, in promptu sunt ijs qui illis delectantur: quæsita iam illis sunt, vt opus non habeant ea inuestigare. Si quis hîc contentiosiùs velit agere, ac ducere חֶפְצֵיהֶם *chephtsehem*, à subst. חֵפֶץ *chephets*, quod est *voluntas*, propter ׳ sub ח, vertat, *quæsita*, seu, *inuestigata*, (hîc in Fonte reuia virgulæ nostræ respondens) *ad omnes voluntates eorum*, hoc scilicet sensu, Ita magna sunt Dei opera, vt peruestigata sufficiant ad explendas omnes hominum voluntates ac desideria. Verùm hominum nondum facta est mentio. Igitur sequi malo Kimhi, neque vereor admodum, vt peccem, si præstantissimo omnium Rabbinorum Grammatico de re Grammatica fidem habeam. Non reiicio tamen alias interpretationes.

3 *Gloria & magnificentia opus eius*, id est, Quicquid agit, gloriosum & magnificum est. Kimhi *opus eius*, intelligit cælos & terram. *Et iustitia eius* in administrãdo mundo *manet* seu *stat in æternum*, id est, perpetua est, nec vnquam defitura, licet interdum latens, & occulta mortalibus & corporeis oculis. Sensus igitur huius versus, Agit Deus non solùm magnificè, sed etiam iustè, & quidem semper. Posterius membrum opponit istis querelis, *Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Ier. 12. 1. & cæteris eiusmodi.

4 *Memoriam fecit* &c. Ab operibus toti mundo communibus transit ad illa, quæ populo Israëlitico erant peculiaria, & mirabilia illa videtur velle intelligere, quæ edita sunt in Ægypto. Ita sentiunt Ezra, Kimhi, & alij. *Memoriam fecit mirabilium suorum*, ad verb. *mirabilibus suis*, hoc est, Ea edidit prodigia in Ægypto, quibus æternam memoriam comparauit: talia & tanta sunt scilicet, vt eorum sempiterna sit futura memoria. In Deras hoc sic explicatur, *Memoriam fecit* festa instituens ac præscribens Israëlitis, in quibus illa mirabilia commemorarent, ac solemni ritu celebrarent. Prior expositio magis se mihi probat. *Misericors & miserator Dominus*, qui nimirum miseros Israëlitas opem ipsius implorantes exaudijt pro sua immensa misericordia.

5 *Escam dedit timentibus se*, hoc est, Israëlitis numinis sui cultoribus, in deserto, totos quadraginta annos: *memor erat*, vel *fuit* scilicet (in Fonte verbum fut. temporis pro præt.) *in seculum*, hoc est, post longum tempus, *testamenti*, seu *pacti sui* cum Abrahamo

A initi, quo promiserat se illius posteros in terram Chanaan inducturum, Gen. 15. At nisi illos pauisset in deserto, promissio illa erat futura irrita. Quum autem ait *memor erat*, hoc videtur velle significare, perpetuò ad suum fœdus respiciebat, non ad indignas conquestiones & rebelliones, quibus ipsum quotidie gens ingrata prouocabat. Porrò vbi *escam*, in Fonte טֶרֶף *tereph*, id est, *prædam* propriè, per quam intelligere præsertim videtur cibum, qui famelicis veluti præda fuerit obiectus, mannam scilicet.

B Sunt qui hunc versum accommodent ad esum Agni Paschalis. Ezra & Kimhi prædam interpretantur vasa argentea atque aurea, necnon vestes, quibus Israëlitæ Ægypto excedentes Dei ac Moysis iussu Ægyptios spoliauerunt, vt dicitur Exo. 12. 35. & 36. Ad hanc sententiam optimè conuenit posterius membrum, & id obseruant Ezra & Kimhi. Nam in fœdere cum Abrahamo Patriarcha inito hoc erat, *& post hæc egredientur cum magna substantia*, Gen. 15. 14. Vide simile in calce 3. cap. Exo. Chald.

C & Rasi simpliciter exponunt *escam*, *cibum*. Græcus fœliciter reddidit τροφὴν, quam vocem ab Hebræa natam esse palàm est.

6 *Virtutem* (*Fortitudinem*) *operum* &c. Sensus, At verò tum maximè populum Israëliticum docuit, quanta esset sua potentia, quum illi septem Gentium terras possidendas tradidit. Magnam quidem potentiam Deus ostendit, quum populum suum è seruitute Ægyptiaca eduxit, sed multò maiorem, quum eundem in terram Chanaan introduxit, tot ac tam validis Genti-

D bus expulsis. Idcirco dicebat Moyses Deut. 9. 28. *Ne fortè dicant habitatores terræ de qua eduxisti nos, Propterea quòd non potuit Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus erat eis*, &c. Kimhi obseruat singulare pondus habere, magisque miraculum arguere id quod ait, *annuntiauit*, quòd scilicet ante opus prædixisset se facturum, ne fortasse essent qui illud casu factum dicerent. Idcirco ante prædixerat se facturum, ac fecit. Sic ferè Kimhi, in cuius sententia vertendum, *Virtutem* seu *fortitudinem operum* &c. *vt da-*

E *ret* &c. Priore modo puto accipiendum.

7 *Opera manuum eius veritas & iudicium*. Neque verò dicat aliquis iniusti aliquid fecisse Deum in ista Gentium è terris suis expulsione. Quicquid enim tunc egit, *veritas* fuit, quia fecit id quod promiserat Abrahamo Patriarchæ, & *iudicium*, quia non erat æquum, vt diutius manerent homines tot sceleribus polluti in ea terra, quæ sanctitati erat destinata. Huc pertinet illud Deut. 9. 5. *Non propter iustitiam tuam, & rectitudinem cordis tui ingrederis vt possideas terras eorum: sed propter impietatem Gentium istarum*

Dominus Deus tuus expellit eas à facie tua, & vt compleat verbum quod sub iuramento pollicitus est Dominus Patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. En veritas & iudicium. Adde illud Gen. 15. 16. *Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* *Fidelia omnia mandata eius.* Sensus, neque verò istic tantùm veracem ac iustum se exhibuit Deus, sed in omnibus omnino legibus ac mandatis talem se præstitit: quò & pertinet sequens versic. Sic & Kimhi ferè hunc versum exposuimus. Verùm ego prius membrum latiùs patere, ac de omnibus Dei operibus accipiendum esse arbitror, vel potiùs per *opera manuum Dei*, duas illas Legis tabulas digitis Dei exaratas intelligendas, de quibus scribitur Exo. 32. 16. *Et tabulæ opus Dei erant: scriptura quoque, scriptura Dei erat*, &c. ita vt quum illas dicit esse veritatem, primam tabulam notet ea continentem, quæ ad fidem præsertim, rectéque de Deo sentiendum pertinent: cùm iudicium secundam designet, quæ completitur ea quæ ad iustè viuendum inter homines spectant. Sic posterius membrum, ac sequentem versiculum putarim expositionem esse præcedentis membri, ita vt explicet quæ sint illa Dei manuum opera. nimirũ Decalogi mãdata. Fauet vox פִקּוּדִים *pikkudhim*, quæ ea mandata significat, sicuti hic obseruat, ac loquitur Ezra, quæ in corde omnis hominis sunt plantata, hoc est, quæ ipsa ratio dictat, adeóque firmæ & stata sunt, nec vnquam mutantur. Talia sunt præcepta Decalogi. Potest tamen posterius membrum, adeóque sequens versiculus ad omnia præcepta extendi.

8 *Confirmata* seu *stabilita* ab ipso Deo &c. *facta* quippe *in veritate* &c. Apparet dici hoc de præceptis Decalogi, quæ sola perpetua sunt.

9 *Redemptionem misit* &c. Vult iam ostenre quando suam illam legem scripsit, ac voluit esse ratam ac firmam. Ac, inquit, quum populum suum è seruitute Ægyptiaca liberauit, tunc suam illam legem fixit æternum mansuram. Quis? Is cuius *sanctum, & terribile* est *nomen*. Hæc sententia est huius versus, mea quidem opinione. Igitur hic per *testamentum* seu *pactum* legem Decalogi intellige. Hinc duæ illæ lapideæ tabulæ, in quibus Lex illa erat descripta, tabulæ pacti nominatæ sunt. Hinc quoque Arca, in qua, vt constat ex 1. Reg. 8. ver. 9. & 21. fœdus illud Domini, seu duæ illæ tabulæ, *Arca fœderis* nuncupatur. Vide ad vers. 14. Ps. 25. Nota cùm in singulis superioribus versiculis fuerint duntaxat binæ litteræ, in hoc & sequente versu ternas esse. Cuius rei hanc causam adfert quidam, vt Psalmus denarium non excederet numerum, perfectum illum, & præceptorum numero parem. Nam nisi ternæ litteræ in duos postremos versus compingerentur, vndecim versus existerent. Idem quoque factum est in sequente Psalmo.

A

10 *Initium sapientiæ* &c. Ostendit quantum momenti in Dei timore, adeóque in mandatorum eius obseruatione positum sit. Basis, inquit, veræ sapientiæ est timor Domini, & vera certáque prudentia ac intelligentia posita est in mandatorum Dei obseruatione. *Initium sapientiæ*, id est, basis seu fundamentum sapientiæ, vel præcipua sapientia: רֵאשִׁית *reschith*, enim principium ordinis & dignitatis potest significare. Et Ecclesiasticus dixit, *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*, cap. 1. 20. dixit etiam, *Radix sapientiæ est timere Dominum*, ibidem, ver. 25.

B

C Salomon Rex Prou. 9. 10. eadem vsus sententia quæ hîc legitur, pro רֵאשִׁית *reschith*, dixit תְּחִלַּת *techillath*, quod vocabulum principium tantùm ordinis videtur significare. *Timor Domini.* Sic Salomon Prou. 8. 13. *timorem Domini* definijt, *Timor Domini odisse malum, arrogantiam, & superbiam, & viam prauã.* Nihil ad hoc addedum. *Intellectus bonus*, seu *intelligentia bona*, id est, vera prudentia contingit *omnibus facientibus ea* mandata: non enim habeo aliud, quò pronomen *ea* referam: & eò refert Ezra.

D *Laudatio eius* &c. Non caret difficultate posterius hoc membrum. Nam nescias quò referas pronomen *eius*. Ezra refert ad mox præcedens membrum, quasi dicatur, laus vniuscuiusque illorum, qui scilicet faciunt atque exequuntur mandata, perpetua atque æterna futura est. Non est nouum pronomina in singulari numero sic interdum distributiuè accipi. Ezra vult referri quoque posse pronomen *eius*, ad intellectum bonum. Non malè profectò, quasi dicatur, ac laus eius prudentiæ atque intelligentiæ,

E quæ illis contingit, perennis futura est. Si mihi liceat dicere quod sentio, crediderim *eius*, ad Deum cuius laudes in hoc carmine celebrantur, pertinere, sic vt vltima hæc totius carminis pars breui veluti epiphonemate omnem Dei laudem complectatur.

PSALMVS

CXII. CXI.

VERSIO

NOVA.



LLELVIA.
Beatus vir qui timet
Dominum: in man-
a valdè. datis eius vult [a] nimis.
2 Potens in terra erit
ſemen eius: generatio rectorum be-
nedicetur.
3 Opes, & diuitiæ in domo eius: &
iuſtitia eius manet in æternum.

4 Exoritur in tenebris lumen rectis,
miſericors, & miſerator, & iuſtus.

b Bene viro 5 [b] Iucundus homo qui miſeretur, &
c moderatur commodat: [c] diſponit res ſuas in iu-
dicio.
d æternum 6 Quia in [d] ſeculum non commoue-
e memoriam æternam bitur: in [e] memoria æterna erit iu-
ſtus.
7 Ab auditione mala non timebit:
f firmum [f] paratum cor eius, ſperans in Do-
mino.
8 Confirmatum (eſt) cor eius, non
g prop. timebit. [g] commouebitur, donec videat in
inimicis ſuis.
9 Diſpergit, dat pauperibus; iuſti-
tia eius manet in æternum: cornu
eius exaltabitur in gloria.
10 Peccator videbit, & iraſcetur;
dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſi-
derium peccatorum peribit.

VETVS.



*LLELVIA, Reuerſionis
Aggæi & Zachariæ.
Beatus vir, qui timet Do-
minum: in mandatis eius
volet nimis.*
2 *Potens in terra erit ſemen eius: gene-
ratio rectorum benedicetur.*
3 *Gloria, & diuitiæ in domo eius: &
iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.*

4 *Exortum eſt in tenebris lumen rectis:
miſericors, & miſerator, & iuſtus.*

5 *Iucundus homo qui miſeretur &
commodat, diſponit ſermones ſuos in
iudicio: quia in æternum non commo-
bitur.*
6 *In memoria æterna erit iuſtus: ab au-
ditione mala non timebit.*

7 *Paratum cor eius ſperare in Do-
mino, confirmatum eſt cor eius: non
commouebitur donec deſpiciat inimicos
ſuos.*

8 *Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia
eius manet in ſæculum ſæculi: cornu
eius exaltabitur in gloria.*
9 *Peccator videbit, & iraſcetur, den-
tibus ſuis fremet & tabeſcet: deſide-
rium peccatorum peribit.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. HIC *Psalmus alphabeticus est, vt præcedens, nihilque videtur esse aliud, quàm exegesis postremi versus illius Psalmi*, Initium sapientiæ timor Domini; *&c. id quod dico propter huius Psalmi initium, quod ad illum versum planè respondet. Exponitur in hoc carmine, quàm ille beatus sit, qui Deum reueretur, eiúsque mandata summa voluntate exequitur. Florebit, inquit, in terris eius posteritas. Namque Deus iustorum generi fauet: Opibus abundabit illius domus, nec ijs tamen vnquam sese corrumpi sinet, quin perpetuò iustus manebit. Ipsi in calamitatum tenebris quasi grata lux affulgebit Deus ille iustus & clemens: Exponitur item quàm fœlix, adeóque hilaris viuat, qui pauperum miseretur, egentibus mutuò dat, résque suas cum iudicio administrat. Iste enim, inquit, suis bonis euertetur nunquam, & perennis beneficiorum eius apud mortales futura est recordatio. Nullius rei aduersæ rumore à tranquillitate depelli poterit, omnium securus in Domino, & composito ac placido expectans animo, quid futurum sit de hostibus. Liberaliter ille indigentibus de re familiari impertitur, nec cessat vnquam ab illo officio: idcirco gloria & dignitate in dies magis ac magis augebitur, fremente interim impio, atque inuidia miserè contabescente, ac deluso omni spe: spes quippe impiorum euanescit. Summa igitur huius Psalmi, Beatum esse qui Deum timet, miserum qui non timet.*

1 *Beatus vir* &c. Propositio. Beatus, inquit, qui Dominum timet, ac reueretur, eiúsque mandata summa voluntate exequitur. *Qui timet Dominum* quum ait, vult dicere, qui solum Deum timet, non homines, non infamiam, non contemptum, non pœnas metuit, clàm vt palã iustus ac bonus. Ezra, Kimhi, & alij Hebræorum hoc membrum ad præcepta negatiua restringunt, sicuti sequens ad affirmatiua. *In mandatis eius* &c. Explicat id quod dixit, *timet* B *Dominum.* Sic Eccl. 12. 13. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.*

Valde quum ait, significare vult solius Dei amore impulsum, non famæ aut præmij gratiâ, aut vllo alio respectu mandata seruare. Veteres Rabbini explicant, *in mandatis eius vult* seu *delectatur valdè*, non autem præmio mandatorum eius.

2 *Potens in terra* &c. Describit deinceps partes fœlicitatis hominis pij, ac Deum me- C tuentis: ac primùm illius posteros ait futuros potentes in terris. Ac ne quis putaret temere & casu id illis contingere, statim subiecit *generatio rectorum benedicetur:* quibus ex verbis datur intelligi à Dei benedictione esse quicquid pio homini eiúsque posteris accidit, non à cæca fortuna. Igitur vir pius non sibi solùm, sed etiam posteris promeretur, & quidem bona etiam hu- D ius vitæ: *pietas* enim, vt Apostolus ait 1. Timoth. 4. *ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ:* & ei qui quæsierit primùm regnum Dei, & iustitiam eius, ipse Christus omnia adiectum iri expressis verbis pollicitus est, Matt. 5. At dices. Ad has promissiones tantùm abest vt semper respondeat euentus, vt omnes fer- A me qui piè volunt viuere, persecutionem patiantur. [2 Timoth. 4.] Respondeo afflictiones & passiones huius seculi pijs semper cedere in bonum: illos quidem sæpe persecutionem pati, sed non derelinqui, humiliari, sed non confundi, deiici, sed non perire: id- [2 Corinth. 4.] que, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus in illis operari. Itaque promissiones illæ temporalium bonorum sunt semper intelligendæ cum exceptione castigationis & crucis, quę longè maius bonum, quàm quoduis temporale bonum existimãda est, cùm per eam ad æterna & nunquam peritura bona certò perueniatur. Nam, sicuti dicit D. Paulus 1. Corinth. 11. *dum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Verùm reuertamur ad expositionem versus. *Potens in terra* &c. Accipe hoc, vt sonat. Veterum Rabbinorum illud est dictum, Quinque res promeretur homo filijs suis, potentiam seu robur, opes, pulchritudinem, sapientiam, annos seu longæuitatem: *potentiam*, quia dictum est, *Potens in terra erit semen eius.* Ezra supplendo particulam *sicut*, ita interpretatur, Sicut potens aliquis fama notus est, ita & erit semen iusti. *Generatio*, hoc est, tam pater quàm filij, ex Ezra & Kimhi.

3 *Opes & diuitiæ* &c. Latiùs nunc aggreditur explicare, quî generatio rectorum benedicatur. Ad hunc porrò versum referri debet illud Prou. 10. 22. *Benedictio Domini diuites facit,* &c. *Opes & diuitiæ.* Duo synonyma quum iungit, opum copiam vult significare. *Opes.* Græc. & Lat. *Gloria*, qui videntur legisse הוד *hodh*, pro הון *hon.*

Et iuſtitia eius, hoc eſt ex Ezra, opes iuſtè partæ, non vi, non rapina. *Manet in æternum* ei, eiúſque poſteris. Accipe, ſi vis, *iuſtitiam*, vt ſonat: eódem ſemper redibit ſententia, quaſi dicatur, non tantùm opes, ſed etiam iuſtitiam fidiſſimã opum cuſtodem vir iuſtus ac pius ad poſteros tranſmittet. Kimhi poſterius membrũ de futuro ſeculo vult accipi. Ego ſic mihi videor poſſe hunc verſum explicare: Opibus abundat pij hominis domus: neque hoc ſolùm; ſed aliud præterea præmium eius virtuti ac iuſtitiæ debitum, illum manet in futuro ſæculo: ſicque *iuſtitia eius manet in æternum*. Vel potiùs, Opibus abundat eius domus, nec propterea adducitur vnquam, vt malè agat, ſed perpetuò iuſtus manet. Loquitur ſcilicet de homine verè pio, qui opibus non poſſit corrumpi, quales, heu, nimiùm pauci. In Pſalmo præcedente, verſ. 3. de Deo eadem phraſis vſurpata fuit, pro, iuſtè ſemper agere. Quidam Interpres Græcus pro *iuſtitia eius* vertit ἡ ἐλεημοσύνη αὐτοῦ: alius ἡ φιλανθρωπία αὐτοῦ, quaſi diceretur, neque verò abutitur vnquam diuitijs, ſed potiùs inde æternùm benignè facit, adeóque eleemoſyna vel humanitas ſeu benignitas eius perpetuò durat. Frequens eſt apud Hebræorum Doctores צדקה *tſedaka*, pro eleemoſyna vſurpari. Dan. etiam 4. 24. vox illa pro eleemoſyna ponitur, *peccata tua eleemoſynis*, ad verb. *iuſtitia, redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum*: &c. Eleemoſyna eſt profectò quæ hominem iuſtum præſertim declarat, idcirco nomine iuſtitię appellatur.

4 *Exoritur in tenebris*, hoc eſt, in anguſtijs & ærumnis. Sic Iob 15. 22. *Non credet quòd reuerti poſſit de tenebris.* Verſu ſeq. *nouit quòd paratus ſit in manu eius tenebrarum dies. Lumen*, id eſt, ſalus. Sic Mich. 7. 8. *quum ſedero in tenebris, Dominus lux mea erit.* Lumen autem illud, quod iuſtis in malis & calamitatibus publicis exoritur, Deus eſt ille *miſericors, & miſerator, & iuſtus.* Sic ferè ex Ezra. Similis expoſitio in Midras: Ipſemet Deus, ſi ita dicere licet, ſit illis lumen, iuxta illud Pſ. 27. 1. *Dominus lux mea, & ſalus mea*: &c. Ad mentem Raſi & Kimhi vertendum eſſet, *Exoriri facit* (vel ſanè etiam, *Exoritur*) *in tenebris lumen rectis, miſericordi, & miſeratori & iuſto.* Sed optimus eſt ſenſus Græci & Latini Interpretis.

5 *Iucundus homo*, ſeu, *Bonus vir*, vel, *Bene viro qui miſeretur*, &c. In primo verſu dixit beatum illum eſſe qui Deum veretur, &c. nunc fœlicem illum pronuntiat *qui miſeretur* dando pauperibus, & *commodat* ijs, qui ſolùm mutuo, non dato indigent, iu-

A dicium & prudentiã cùm in dando, tum in commodando adhibens, reſque omnes ſuas ſapienter adminiſtrans, tum erga domeſticos, tum erga exteros, id quod ſignificat poſterius membrum. Nota *bonus vir*, pro, benè eſt illi viro. Similis locutio Ierem. 44. 17. *& fuimus boni, malúmque non vidimus*, id eſt, fuimus in tranquillitate, & bono, ex Kimhi, vel, *& benè nobis erat*, &c. quo modo reddidit Lat. Kimhi dicit *bonus vir*

B idem hîc eſſe quod *beatus vir* in primo verſic. Optimè expreſſit Latinus, *Iucundus homo*, id eſt, Lætus & hilaris in ſummo otio, & tranquillitate viuit, adeóque fœliciſſimus eſt ille homo, &c. *Diſponit*, prop. *moderatur* (in Græco οἰκονομήσει) *res ſuas*, hoc eſt, rem domeſticam ita adminiſtrat, vt neque prodigus ſit, neque ſordidus. In Fonte דבריו *deuarau*, quod Græc. & Lat. non ſatis, vt apparet, appoſitè ad prius membrum, verterunt *ſermones ſuos*, id quod etiam vox illa poteſt ſignificare. Symm. vertit οἰκονομῶν τὰ πράγματα αὐτοῦ μετὰ κρίσεως.

6 *Quia in ſeculum* ſeu *æternum* &c. Senſus,

C Ille enim qui ſic ſe geret, nunquam ſuis bonis, ac fortunis euertetur, & perennis atque ſempiterna beneficiorum eius apud mortales futura eſt recordatio. Iure igitur iuſtum illum beatum liceat dicere.

7 *Ab auditione mala* &c. Hæc quoque pars fœlicitatis hominis pij cùm erga Deũ, tùm erga homines, quòd nihil timet, nec metuit quicquam allatos rumores rerum parum ſecundarum, fretus ſpe, & fiducia, quam habet in Deo, cui nouit ſe eſſe curæ, & certus quicquid ſibi mali accidat,

D conuertendum ad ſalutem, & cooperaturum in bonum. Econtrà homo impius qui caſu omnia ferri exiſtimat, nec ſe Deum reſpicere ac curare, terretur ſonitu folij volantis, vt fugiat fuga gladij, & cadat nullo perſequente. Vnde optimè Eliphas Iob 15. 20. & ſeq. *Cunctis diebus ſuis impius cruciatur*: &c. *Sonitus terrorum in auribus illius: in pace vaſtator veniet ei*, in Vulg. *& cùm pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur. Sperans.* Græc. & Lat. *ſperare*, ex בטח *betoach*, pro בטח *batuach*, alijs punctis. Symm. ver- Leu. 26. 36.

E tit, ἑδραία ἡ καρδία αὐτοῦ, ἀμέριμνος ἐν κυρίῳ.

8 *Confirmatum (eſt) cor eius*, & innixum Domino: propterea *non timebit* nec metuet quicquam, fortiter expectans dum cernat hoſtium ſuorum cladem, id quod ſignificat *donec videat in inimicis ſuis*, nimirum optatatam pœnam. Vide ſimilem phraſim Pſ. 35. 21. Pſ. 54. 9. Verbum ראה *raa*, *videndi* conſtructum cum ב, id eſt, *in*, ſignificare etiam dicunt interdum *illudere*, *deſpuere*, vt Pſ. 22. 18. Hanc ſignificationem hîc ſequutus eſt Lat. vt aliàs.

9 *Dispergit, dat pauperibus*, &c. Liberalitatem in pauperes, de qua iam egit versu 5. iterum inculcat, statimque benedictionem adiúgit. Dispergit, inquit, ac liberaliter impertitur indigẽtibus de re familiari. Verbo *dispergẽdi* largitatẽ benignitatis, atque effusam liberalitatem vult notare, sed diligentem tamen, & moderatam, & quæ nisi dignis & idoneis non pateat. Quid enim à ratione, adeoque ab officio viri pij alienum magis quàm bona sua effundere, inconsul-
Cic. Off. te largiendo? Modus igitur adhibeatur, iisque referatur ad facultates. Omnino meminisse oportet illud Apost. 2. Corinth. 8. *Si voluntas prompta est: secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate.* Kimhi vim verbi *dispergendi* sic explicat, quasi significet dare huic & illi pro ratione facultatum, non ingentia dona, quæ totum fundum exhauriant: esset enim hoc, inquit, ab officio viri iusti alienũ. Citat vetus Hebræorum dictum, *Qui prodigit, ne prodigat vltra quintã partem (bonorum.)* Non placet restringere adeo verbum illud, quod importare videtur profusionem. Patet hoc ex illo Prou. 11. 24. *Est qui dispergit, & additur amplius: & qui parcit plus æquo, sed ad inopiam. Iustitia eius manet in æternum*, seu, *seculum*, id est, iustitiam illam & charitatem erga pauperes exercet, quandiu viuit: neque enim vnquam exhauritur fundus illius liberalitatis: omnémque gratiã abundare facit Deus in eo, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habens, abundet in omne opus bonum. Lege D. Paulum 2. Corinth. 9. Docebit hoc membrum esse accipiendum, vt diximus. Sunt tamen qui ita exponant, *iustitia eius*, hoc est, præmium & merces iustitiæ eius, *manet in æternum* ei, eiúsque posteris, iuxta illud Exo. 20. 6. *faciens misericordiam millibus*, scilicet generationibus. Ac sic Kimhi, qui & ad alterum seculum asserit hoc posse pertinere. *Cornu eius exaltabitur* &c. En benedictio, cuius hæc sententia, atque ideo futurum est prorsus, vt ille caput sublime & gloriosum attollat, & potentia, dignitate, & gloria augeatur. Sic Anna 1. Sam. 2. 1. *exaltatum est cornu meum in Domino.* Simile Ps. 75. 11. *exaltabuntur cornua iusti*: vbi contrarium de impijs pronuntiatur, *Et omnia cornua impiorum confringam.*

10 *Peccator (Impius) videbit* illam pij hominis fœlicitatem. *Dentibus suis fremet* seu *frendebit* præ animi dolore atque impatientia, perditum illum cupiens, cui Deus adeo fauet, si adsit potestas. *Et tabescet* præ inuidia, iuxta illud Prou. 14. 30. *putredo ossium, inuidia. Desiderium peccatorum* &c. Concluditur Psalmus generali sententia, quæ antithesin continet posterioris membri præcedentis versus. *Desiderium*, quo scilicet malè volunt pio homini, vel sibi ipsis bene cupiunt. Contrariam de pijs sententiam pronuntiauit Sapiens Prouerbiorum 10. 24. *desiderium iustis dabitur*: vbi de impio, *Quod timet impius, veniet super eum.*



PSALMVS

CXIII. CXII.

VERSIO

NOVA.


LLELVIA.
Laudate ſerui Domini, laudate nomen
Domini.
2 Sit nomen Domini benedictum, ex nunc & vſque in
ſeculum.
3 A Solis ortu vſque ad occaſum
eius, laudabile nomen Domini.
a ſupra 4 Excelſus [a] ſuper omnes Gentes
b ſupra Dominus: [b] ſuper cælos gloria eius.
5 Quis ſicut Dominus Deus noſter?
qui in altis habitat:
6 Qui humilia reſpicit, in cælo & in
terra:
c prop. puluere 7 Suſcitans à [c] terra inopem, de ſter-
core erigens pauperem:
d ſedere faciat 8 Vt [d] collocet eum cum principi-
bus, cum principibus populi ſui:
e domum 9 Qui habitare facit ſterilem [e] in
domo, matrem filiorum lætantem.
Alleluia.

VETVS.


LLELVIA.
Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
2 Sit nomen Domini benedictum, ex hoc
nunc, & vſque in ſeculum.
3 A ſolis ortu vſque ad occaſum, lauda-
bile nomen Domini.
4 Excelſus ſuper omnes gentes Domi-
nus, & ſuper cælos gloria eius.
5 Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui
in altis habitat, & humilia reſpicit in
cælo & in terra?
7 Suſcitans à terra inopem, & de ſter-
core erigens pauperem:
8 Vt collocet eum cum principibus, cum
principibus populi ſui.
9 Qui habitare facit ſterilem in domo,
matrem filiorum lætantem. Alleluia.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *IN hoc Pſalmo, qui nihil aliud eſſe videtur quàm publica confeſſio prouidentiæ diuinæ, primùm omnes Dei cultores ad hymnos illi canendos adhortatur, ipſe ſuo exemplo præiens, optánſque Dei nomen iam nunc & in æternum prædicari, cuius prædicandi ac celebrandi tot, támque præclara per vniuerſum terrarum orbem perpetuò ſeſe offerunt argumenta. Exclamat poſtea ad iſtum ferme modum: Ecquis verò Deorum Domino Deo noſtro ſimilis? qui ſupremum illud cælum incolit, & inde omnia, quæ infra ſe ſunt, ac geruntur, cùm in cælis, tum in terra, propè intuetur ac cernit: qui inopem & egenum è puluere, imò ſtercore veluti ſuſcitat, quem ſedere faciat inter principes, & quidem populi ſui principes: qui denique facit vt mulier ſterilis antea, fiat fœcunda, deque numeroſa prole tandem lætetur.*

1 Laudate

1 *Laudate serui Domini*, &c. Propositio, quæ est exhortatio ad celebrãdum Deum.

Serui. Græ. & Lat. *pueri*, id est, serui: ne putes ætate pueros notari. Aquila, Sym. & Theodotio δοῦλοι verterunt. D. Hieron. *serui.*

2 *Sit nomen Domini* &c. Ipse exemplo præit, séque diuinarum laudum ἐξαρχὸν & ducem præbet.

3 *A solis ortu* &c. Ratio cur optet æternùm celebrari Dei nomen, quòd per totũ orbem terrarũ eius celebrandi oculis nostris quotidie tot ac tam præclara sese ingerant argumenta. Kimhi obseruat dici *à solis ortu vsque ad occasum eius*, quòd illud spatium supra lineam æquinoctialem præcipua sit pars terræ habitabilis. Quidam exponunt *à solis ortu vsque ad occasum eius*, à mane ad vesperam, id est, perpetuò. Malè. Nam מִזְרָח *mizrach*, locum tantùm ortus significat, non tempus. In sententia Kimhi non *laudabile*, sed *laudatum* est vertendum. Atque ille sic ferme interpretatur hunc versum, Mortales omnes, quotquot sunt ab Oriente ad Occidentem, Deum laudant. Etsi enim in ijs sunt, qui colant stellas & planetas, omnes tamen fatentur dari primam ac supremam caussam: quo sensu putat dixisse Malachiam cap. 1. 11. *Ab ortu enim solis vsque ad occasum eius magnum (est) nomẽ meum in Gentibus*. Sed illud Malachiæ de vocatione Gentium esse intelligendum demonstrat id quod in eodem versu statim sequitur, *& in omni loco sacrificatur (&) offertur nomini meo, & oblatio munda*. Frustra nituntur illinc se expedire Hebræi, etsi in nullam partem non se vertunt.

4 *Excelsus super omnes gentes* &c. Sensus, Deus omnibus simul gentibus sublimis dominatur, & supra cælos ipsos gloriam suam attollit. Ezra & alij sic ferè explicant, Excelsior est Dominus omnium Gentium, imò & cælorum ac cælitum laudibus.

5 & 6 *Quis sicut Dominus* &c. Quoniam Gentium meminit, quæ pro dijs habebant cœlorum exercitum, idcirco nunc ait, quis verò in omnibus dijs populorũm similis Deo nostro, qui in supremo cælo supra omnia habitans, omnes qui infra se sunt, omnésque illorum actiones, cùm in cælo, tum in terra, videt ac cernit? *Qui in altis habitat:* &c. In Fonte cum singulari emphasi, *qui exaltat* se, vel locum *ad habitandum*. *Qui humiliat* ac demittit se *ad videndum.*

7 *Suscitans à terra inopem*, &c. ex. gr. Ioseph, Moysem, Dauidem, Danielem, & alios. *A terra*, prop. *puluere*. *De stercore*, id est, ex infima conditione, & humili ac sordido loco.

8 *Vt collocet*, seu *sedere faciat* &c. Nõ tantùm inopẽ è puluere ac stercore erigit, sed etiam adsciscit & sedere illũ facit inter principes, & sui populi principes quidẽ, quæ maxima est dignitas. Simile in Annæ Cantico, 1. Sam. 2. 8. *Suscitat de puluere egenum, de stercore eleuat pauperem, vt sedere faciat cum principibus, & solium gloriæ tenere faciat eos*. Subditur ibi ratio, *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*

9 *Qui habitare facit* &c. Qui facit vt ea quæ antea sterilis fuerat, & solitaria, habitet *in domo*, hoc est, in familia, multorum liberorum mater, & quidem gaudio cumulata. Deus est qui aperit vuluam, & claudit, & facit ut sterilis pariat septem, & quæ multos habebat liberos, infirmetur. Id professa est Anna fœcunditatem experta, 1. Sam. 2. 5. Huius rei exempla in Sara, Rebecca, Anna, Elisabetha. Isti loquutioni *habitare facit sterilem in domo* seu *domum*, par occurrit Ps. 68. 7. *Deus inhabitare facit vnicos in domo*. Haud dissimile illud 2. Sam. 7. 11. *domum faciet tibi Dominus.*

PSALMVS

CXIV. CXIII.

VERSIO

NOVA.

N exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro:

a ad verb. in sanctitatem eius. 2 Fuit Iuda [a] sanctificatio eius, Israël

b dominium [b] potestas eius.

3 Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

4 Montes subsilierunt vt arietes:

c ad verb. filij colles sicut [c] agni ouium.

5 Quid tibi mare, quòd fugisti? Iordanis, (quòd) cõuersus es retrorsum?

6 Montes, (quòd) subsilistis sicut

d filij arietes: colles, sicut [d] agni ouium.

7 A facie Domini contremisce terra: à facie Dei Iacob:

8 Qui cõuertit petram (in) stagnum

e silicem aquarum, [e] rupẽ in fontem aquarum.

VETVS.

*N exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro:*

2 Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.

3 Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

4 Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.

5 Quid est tibi mare quòd fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?

6 Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium.

7 A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.

8 Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *EST totus Psalmus historica quædam narratio, in qua breuiter exponuntur miracula, quæ Deus edidit, cùm Hebræos ab Ægypto in terram Chanaan traduceret.*

1 & 2 *In exitu Israel* &c. Huius & sequentis versus hæc est sententia, quum Israelitæ, Iacobi videlicet posteri, ex Ægypto, & barbara gente excesserunt, tum illos præsertim Deus separatos à prophanis populis sibi consecrauit, voluitque esse gentem cui peculiariter dominaretur. Quo sensu illis ex Ægypto egressis dicebat Deus Ex. 19. 5. & seq. *Nunc ergo si audiendo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim* B *omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gentem sanctam.* Nomina *Iuda* & *Israel*, quia hîc collectiuè vsurpantur pro gente Iudaica & Israëlitica, hebraicè construuntur cum verbo gen. fœm. Iudæ peculiariter meminit, quòd illa Tribus inter cæteras principatum quendam iam tum obtineret. Vnde cùm per desertum sub si- A gnis castra mouerent Israëlitæ, prima cæteras anteibat tribus Iuda, vt est Num. 10. 14. *Eius.* Relatiuum absque antecedente. Referendum esse ad Deum facilè ex circunstantijs orationis colligitur. Præterea connexionem fortasse habet hic Psalmus cum præcedente, quem Kimhi putat veluti exordium huic præmitti.

3 *Mare vidit, & fugit.* Prosopopœia, qua significat Rubrum mare, viso Israëlitarum B exercitu perterritum, ei cessisse, & siccum ac liberum iter præbuisse. *Iordanis conuersus est retrorsum*, quum Sacerdotibus, qui Arcam præferebant, ingressis Iordanem, & pedibus eorum in extrema aqua tinctis, restiterunt supernè defluentes aquę, & in cumulum assurrexerunt, instárque montis intumuerunt quàm longissimè. Lege Ios. 3. 15. & 16.

4 *Montes subsilierunt* &c. Mihi respicere videtur ad montem Sinai, quem contremuisse, mirandúmque in modum concussum fuisse legimus, quum Deus daturus legem eò descendit. Vide Ex. 19. 18. *Montes* dicit, vel montes monti Sinai vicinos volens significare, quos quoque probabile ad Dei aduentum contremuisse: vel monti Sinai colles subiectos montium nomine appellans; & huc couenient posterius membrum. Verbum *subsiliendi* videtur metum potiùs hîc dicere, quàm lætitiam, quod probat præsertim vers. 7. & optimè arietibus & agnis quadrat, qui currentes ac fugientes subsiliunt.

5 *Quid tibi mare*, &c. Interrogatione, in qua est prosopopœia, narrationem amplificat.

6 *Montes, (quòd) subsilistis* &c. Quid vobis, ô montes, &c. In hoc & superiori versu possunt verba, quæ in Fonte sunt temporis fut. per præsens reddi, quasi res, quæ adhuc fiat, repræsentetur: id quod à Poëtis persæpe fieri videmus ad maiorem emphasim exprimendam.

7 *A facie Domini* &c. Ipse respondet ad interrogationem terræ factam: & concisa est responsio, sic dilatanda, Oportuit profectò, ô terra, te sic contremiscere: & nunc ad Domini conspectum contremisce. Si verba in superioribus versic. accipis in præsenti, plana est sententia: Et verò habes cur ad Domini conspectum contremiscas. Sunt qui verbum חולי *chûli*, non exponant in imper. sed in infin. & iod pro pronomine primæ personæ accipiant, hoc sensu, *A facie Domini contremisco ego terra*: ad verb. *contremiscere meum (ego) terra*: &c. quasi sit ipsius terræ responsio. Vltimo modo accipit Kimhi. Magis est in promptu prædictam vocem accipere in imper. Vocabulo *terræ* complectitur mare, Iordanem, montes, & colles.

8 *Qui conuertit* (in præs.) *petram* &c. perinde ac si diceret, Quidni contremiscas, ô terra, vel, Quidni contremiscam ego terra ad conspectum eius, cuius tanta est vis & potentia, vt rerum naturas nullo negotio possit mutare, adeòque petras & rupes durissimas in stagna & fontes conuertere. Istud quum ait, respicit dubio procul ad historias Ex. 17. & Num. 20. quæ iam haud semel expositæ sunt.

PSALMVS CXV.

Græco & Lat. est continuatio præcedentis.

VERSIO

VETVS.	NOVA.
 ON nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.	 ON nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: propter misericordiam tuam; propter veritatem tuam.
2 *Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant Gentes: Vbi est Deus eorum?*	2 Vtquid dicent Gentes, Vbi (est) nunc Deus eorum?
3 *Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.*	3 Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.
4 *Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.*	4 Simulachra earum argentum & aurum, [a] opera manuum hominum. *a heb. opus*
5 *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.*	5 Os [b] habent, & non loquuntur: oculos habent, & non vident. *b ad verb. eis, & sic deinceps.*
6 *Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.*	6 Aures habent, & non audiunt: nares habent, & non odorantur.
7 *Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.*	7 Manus habent, & non palpant; pedes habent, & non ambulant: non mussant in gutture suo.

8 Similes illis fiant qui faciunt ea,
(&) omnes qui confidunt in eis.
c heb. auxiliū eorum, & clypeus eorum ipſe. 9 Iſraël ſpera in Domino: [c] adiutor
eorum, & protector eorum eſt.
10 Domus Aaron ſperate in Domi-
d heb. vt mox. no: [d] adiutor eorum, & protector
eorum eſt.
11 Qui timetis Dominum, ſperate in
e heb. vt antè. Domino: [e] adiutor eorum, & prote-
ctor eorum eſt.
12 Dominus memor fuit noſtri: be-
nedicet, benedicet domui Iſraël, be-
nedicet domui Aaron:
13 Benedicet qui timent Dominum,
puſillis cum maioribus.
14 Adiiciet Dominus ſuper vos, ſu-
per vos, & ſuper filios veſtros.
15 Benedicti vos Domino, qui fecit
cælum & terram.
16 Cælum, cælum Domino: terram
autem dedit filiјs hominum.
17 Non mortui laudabunt Domi-
num, neque omnes qui deſcendunt
in ſilentium.
f Dominum. 18 Sed nos benedicemus [f] Domi-
no, ex nunc & vſque in ſeculum.
Alleluia.

8 Similes illis fiant qui faciunt ea: &
omnes qui confidunt in eis.
9 Domus Iſraël ſperauit in Domino:
adiutor eorum & protector eorum eſt.
10 Domus Aaron ſperauit in Domino:
adiutor eorum & protector eorum eſt.
11 Qui timent Dominum, ſperauerunt
in Domino: adiutor eorum & protector
eorum eſt.
12 Dominus memor fuit noſtri: & be-
nedixit nobis.
13 Benedixit domui Iſraël: benedixit
domui Aaron.
14 Benedixit omnibus, qui timent Do-
minum: puſillis cum maioribus.
15 Adijciat Dominus ſuper vos; ſuper
vos, & ſuper filios veſtros.
16 Benedicti vos à Domino, qui fecit
cælum, & terram.
17 Cælum cæli Domino: terram autem
dedit filiјs hominum.
18 Non mortui laudabunt te Domine:
neque omnes, qui deſcendunt in infer-
num.
19 Sed nos qui viuimus, benedicimus
Domino, ex hoc nunc & vſque in ſæ-
culum. Alleluia.

COMMENTARIVS.

V*VLGO Hebræi hic nouum Pſalmum faciunt. At Græcus & Lat. cum præcedente coniungunt. Et* Kimbi *monet in quibuſdam libris non eſſe hic initium Pſalmi. Præterea in libro, cui titulus Ialkut, idem eſt hic Pſalmus cum præcedente. Sed, ſi mihi liceat dicere quod ſentio, nouus hic incipit Pſalmus. Hoc perſuadet argumenti diuerſitas. Deinde & maior pars Hebraicorum codicum, in quibus hinc ducitur initium Pſalmi. Accedit Euſebius, qui teſtis eſt in quibuſdam etiam Græcis codicibus idem ſe reperiſſe. Porrò videtur hic Pſalmus conſcriptus in graui & publica calamitate populi Iſraëlitici. Quòd enim Vates Deum orat verſu 2. ne patiatur ſuum nomen ludibrio haberi inter Gentes, illud verò argumento eſt, tunc temporis hoſtes iſtius populi in armis fuiſſe, ac vehementer illi inſultaſſe, præſertim quia in Deo ſpem poneret. Ad quæ tempora referendus ſit hic Pſalmus, non liquet. Quidam Hebræorum cenſent à Moyſe & Iſraëlitis preces, quæ continentur hoc Pſalmo, factas tunc, cùm iuxta Rubrum mare ab Ægyptiorum exercitu obſeſſi, & concluſi vndique,* timuerunt valde, clamaueruntque ad Dominum, *vt eſt Exo. 14. 10. Alij à Chanania, Miſaele & Azaria, cùm eſſent in fornace: alij denique à Mardochæo & Eſtere, cùm Aman tollere Iudæorum gentem moliretur. Fortaſſe hic Pſalmus à Dauide eſt conſcriptus, quum initijs regni hoſtes populi aggreſſurus eſſet, aut ſingulare aliquod periculum à Gentibus immineret. Vtut eſt, hæc ſeries & contextus huius carminis. Primò, inducuntur Iſraëlitæ opem Dei implorantes, & prophanis Gentibus omnem ridendi Deum occaſionem præcidi poſtulantes, ac ſeſe aduerſus hoſtium inſultationes, & impias voces confirmantes contemplatione potentiæ veri Dei, & è regione vanitatis Idolorum, & Idololatrarum, quos optant Idolorum fieri ſimiles. Inde igitur commo-*

dùm transeunt ad exhortationem, quâ se inuicem, ac nominatim Aaronis familiam, vt Deo peculiariter sacram; & omnes alios religiosos homines excitant, ac iubent à Domino solo, certo suo clypeo ac propugnatore perpetuo opem expectare. Dominus, inquiunt, qui hactenus nostri curam gessit, perget dubio procul benefacere ac fauere: imò augebit in dies magis ac magis suam erga vos, liberósque vestros beneficentiam, ô Israëlitæ, quos ille cæli & terræ conditor in gratiam recepit, qui cælum ipsum sibi vendicans, terram dedit habitandam hominibus, à quibus sacrosanctum suum nomen celebraretur. Quòd si nos gentem tuam, ô Deus, tuóque colendo numini sacram à prophanis, téque ignorantibus populis deleri permittis, qui vita functi tuam inter mortales gloriam celebrabimus? Serua nos igitur, vt superstites iam nunc, & perpetuò tuum nomen in terris prædicemus.

1 *Non nobis Domine*, &c. Sensus, Eripe nos tyrannidi hostiũ, non glorię nostri nominis, sed tui caussâ. Ipse Deus dixit Esa. 48. 11. *Propter me, propter me faciã, vt non blasphemer*: ad verb. *nam quomodo polluetur* sub. nomen meum? *& gloriam meam alteri non dabo.* Hanc igitur caussam pij semper in suis precibus adferre atque allegare debent, non sua merita, Danielis exemplo, qui cap. 9. 18. sic orat, *neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Versu seq. *Exaudi Domine, placare Domine, attende Domine, & fac, ne moreris, propter temetipsum Deus meus:* &c. *Non nobis.* Repetitio ardorem indicat. *Propter misericordiam tuam*, quâ erga omnes vteris; *propter veritatem*, seu, *fidem tuam*, quâ præstas semper promissa: nobis autem opem toties pollicitus es. Kimhi videtur velle cõnectere sententiam huius versus cum Psalmo præcedente, sic enim ferme habet, Sicuti fecisti misericordiam cum maioribus nostris, quos ex Ægypto eduxisti, sic facies nobiscum in omni generatione, & generatione. Et licet indigni sumus, facies tamen, non nostrâ caussâ quidem, sed solius tui nominis. Nam etiam illi indigni fuerunt: ac solùm in ijs liberandis gloriæ tui nominis, & fœderis cum Patriarchis initi rationem habuisti.

2 *Vt quid dicent* &c. Sensus, Da gloriam nomini tuo, ne fortè per ludibrium rogitent prophani illi populi, *Vbi (est) nunc Deus eorum*, cui se adeo charos, & quî cum sibi fœdus esse iactitant? Ad rem est illud Mosis Num. 14. 15. & seq. *dicent Gentes, quæ audierint famam tuam, in hunc modum, Quia non potuit Dominus introducere populum istum* &c. Deut. 9. 28. *Ne fortè dicant habitatores terræ, vnde eduxisti nos, Propterea quòd non potuit Dominus introducere eos in terram: aut quòd odisset eos*, &c. Impia fuit vox illa Rabsacis 2. Reg. 18. 32. *nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens, Dominus liberabit nos.*

3 *Deus autem noster* emphaticè &c. Quasi dicat, Infœlices enimuerò & insani populi, qui nesciant quãtùm inter Deum nostrum, & suos Deos, si tamen adumbrati Dij di-
A cendi sunt Dij, discriminis intersit: *Deus enim noster* &c. *Deus noster in cælo* quum ait, vult inferre occultâ antithesi deos Gentium, de quibus dicturus est, non esse in cœlo: itidem quum dicit, *Omnia quæcumque voluit, fecit*, vult inferre tantùm abesse vt illi possint quæ velint, vt etiam velle nihil possint, quippe qui tantùm sint mera simulachra ex argento & auro conflata: &c.

B 4 *Simulachra earum* Gẽtium *argentum* &c. Hoc & tribus sequentibus versiculis graphicè depingit Idolorum, in quibus Gentes fiduciam collocabant, vanitatem. Ac primùm illa vocat עֲצַבִּים *atsabbim*, quæ vox *dolores*, seu *dolorem afferentia* sonat, quòd illa suis cultoribus nihil aliud tandem quàm dolorem afferant. Quum ait ex argento aut auro conflata, & quidem hominum manibus, inferre vult illa non posse vllum beneficium in homines cõferre, quippe quę tota
C eorum operâ existant, vt homines potiùs illorum dij dicendi sint. Deinde *opera manuum hominum* quum ait, ridet eorum præsertim insaniam, qui mutis atque inanibus simulachris cultum atque honorem deferunt. Qui solem, lunam, & cætera eiusmodi illustria Dei opera pro dijs colunt, non ita magnam Deo iniuriam facere videri
D possunt: at qui suis aut alienis manibus sibi Deum fingunt, multò minùs, quàm par est, de Deo sentiunt, de se autem nimis magnificè, qui Deum se facere posse putant: imò Deo ac sibi iniuriam faciunt, dum suo operi tanquam domino supplicant.

5. 6. 7. *Os habent* &c. Significat his tribus versibus Idola viuentium quidem esse ima-
E gines, & simulachra, sed omnis sensus expertia, ideóque frustra illorum opem implorari. *Non mussant* &c. Sensus, tantùm abest vt ore loquãtur ac voce distincta & articulata, vt vel mutire in ipso gutture non valeãt. Hanc vim esse verbi הָגָה *hagha*, probat Kimhi ex illo Esa. 38. 14. אֶהְגֶּה *ehge, gemebam* seu *mussabam vt columba.*

8 *Similes illis fiant qui faciunt ea*, aut fieri curant, &c. Imprecatio, cuius hæc sententia, Idolorum artifices & cultores, sicuti

omnis sensus expertes se probant, dum idolis fabricandis, ac colendis inanimis & sensu carentibus simulachris dant operam, ita, vti digni sunt, sensu priuentur, ac destituantur, videntes non videant, audientes non intelligant, rerum & consiliorum semper incerti, atque ignari, nescientes ipsi quid agant. Ezra & Kimhi hunc versum imprecatiuè volunt accipi. Alij accipiunt enuntiatiuè, quasi diceretur, Idolorum artifices & cultores non minus sunt stupidi, quàm idola ipsa. In horum sententia vertendum *Similes illis sunt* &c.

9 *Israël spera* &c. Sensus, Cùm igitur ita sit, confidant impiæ Gentes idolis suis: at vos, ô Israëlitæ, sperate atque expectate opem à Domino, qui certus est Israëlitarum clypeus, atque propugnator. Sic se inuicem adhortantur Israëlitæ, quos Vates in toto Psalmo loquentes inducit. *Israel spera* accipiendū collectiuè. Græcum & Lat. verbum בטח *batach*, in his versibus clarum est alijs punctis legisse, quàm quæ hodie extant.

10 *Domus Aaron*, hoc est, Sacerdotes, qui soli ex omnibus nominatim compelluntur, vt peculiariter Deo dicati & consecrati, & qui vt doctrina, sic etiam exemplo cæteris omnibus debent præire. *Eorum*, qui sunt domus Aaron.

11 *Qui timetis Dominum*, &c. hoc est, Et vos omnes peculiariter, qui erga Deum estis religiosi, &c.

12 *Dominus memor fuit nostri*: &c. Sensus, Dominus, qui hactenus nostri curam nunquam abiecit, quæ sua est misericordia, perget dubio procul benefacere. *Benedicet, benedicet* &c. Repetitio eiusdem verbi ingentem obtinet emphasim. Ex Kimhi potes etiam vertere *benedicat*. Sic & in sequentibus versibus. Porrò eâdem rursus distributione vtitur, quâ mox antea, ac primo loco Israëlitas omnes ponit, deinde seorsim Sacerdotes, & Leuitas, ac pios omnes & religiosos Dei cultores.

13 *Pusillis* seu *paruis cum maioribus* seu *magnis*. Non est personarum acceptio apud Deum, qui pusillum & magnum fecit: æqualiter est ei cura de omnibus, tum nobilibus, tum vilissimis quibusque: ac neminem, modò dignum, suorum beneficiorum expertem esse patitur.

14 *Adiiciet* vel *Adiiciat* bona sup. *Dominus* &c. Sensus, Augebit vel augeat in dies magis ac magis suam beneficentiam erga vos, erga vos, inquam, & liberos vestros.

15 *Benedicti vos* &c. Ratio præcedentium versuum in modum exclamationis. *Qui fecit cælum* &c. atque adeo nostrâ caussâ quodcumque lubitum erit, facere nullo negotio poterit.

16 *Cælum, cælum Domino*: &c. Ex occasione, quia cæli & terræ in mox præcedente versiculo mentio facta est, nunc sic ait, Cælum Dominus sibi retinuit, terram verò hominibus habitandam concessit, scilicet vt essent in terris, qui diuinum numen venerarentur, eiúsque laudes prædicarent. Statim igitur infert, & ad rem, *Non mortui laudabunt*, in terris nimirum, &c. eo sensu qui mox afferetur. *Cælum, cælum*, inquam. Græc. & Lat. *Cælum cæli*. Ita & Chald.

17 *Non mortui laudabunt* &c. In cælis quidem nunquam desunt, qui Deum celebrent: sed voluit Deus gloriam suam non tantùm in alio seculo prædicari, sed etiam in his terris, in quibus idcirco suam Ecclesiam collocauit: quod fieri non posset, si pij omnino ab impijs delerentur. Hæc igitur sententia est huius versus, *Non mortui* &c. Si, Domine, permittis nos gentem tuam ab impijs nationibus deleri, quis tuas laudes in terris prædicabit? An mortui nos tuum nomen in Ecclesia celebrabimus? Vide ad vers. 6. Ps. 6. necnon 10. Ps. 30. *In silentium*, id est, sepulchrum, sic nominatum, quòd ibi perpetuum sit silentium, & , vt ait Kimhi, in sepulchro corpus sit instar lapidis muti. Hinc etiam Latini *silentes* pro mortuis dicunt. Ex Ezra vertendum *in excisionem*, id est, locum excisionis, eodem sensu.

18 *Sed nos benedicemus* &c. Sensus, At nos si superstites esse volueris, (debet enim tale aliquid suppleri, vt hic versus respondeat ad præcedentem) erimus profectò tuarum laudum assidui præcones in terris, nec cessabimus vnquam, quoad vita suppetet, tuum nomen inter homines celebrare. Serua nos igitur non nostrâ, sed tui nominis caussâ. In his postremis versibus latet atque includitur eiusmodi aliqua petitio, quæ cum principio Psalmi conueniat.

PSALMVS

CXIV. CXVI.

VERSIO

VETVS.



ILEXI, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

2 *Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.*

3 *Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.*

4 *Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.*

5 *O Domine libera animam meam: misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.*

6 *Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me.*

7 *Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.*

8 *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.*

9 *Placebo Domino in regione viuorum.*

Hic Psalmus Græco & Lat. CXV. 10 *Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.*

11 *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.*

12 *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

13 *Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.*

14 *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.*

15 *O Domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

16 *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis,*

NOVA.



ILEXI, quoniam exaudit Dominus vocem meam, (&) deprecationes meas.

2 Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

3 Circundederunt me dolores mortis, & [a] pericula inferni inuenerunt me: tribulationem & dolorem inueni: — a *angustiæ sepulchri*

4 Et nomẽ Domini inuocaui, Quæso, Domine, libera animam meam.

5 Clemens Dominus & iustus, & Deus noster misericors.

6 Custodiens simplices Dominus: attenuatus fui, & [b] liberauit me. — b *seruauit*

7 Reuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

8 Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.

9 Ambulabo coram Domino in [c] regione viuorum. — c *terris viuentium.*

10 Credidi; [d] propter quod locutus sum: ego oppressus eram valde. — d *propterea locutus &c.*

11 Ego dixi in præcipitatione mea, Omnis homo mendax.

12 Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

13 Calicem [e] salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. — e *salutum eleuabo,*

14 Vota mea Domino reddam nunc coram omni populo eius.

15 Pretiosa in [f] conspectu Domini mors sanctorum eius. — f *oculis*

16 O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea.

17 Tibi sacrificabo hostiam [g] laudis, — g *confessionis,*

& nomen Domini inuocabo.
18 Vota mea Domino reddam nunc
in conspectu omnis populi eius :
19 In atrijs domus Domini, in medio
tui, Ierusalem. Alleluia.

& nomen Domini inuocabo.
17 *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius ; in atrijs do-*
mus Domini, in medio tui Ierusalem.
Alleluia.

COMMENTARIVS.

Argumentum. HVNC *Psalmum alij ad illam historiam referendum censent, quæ describitur 1. Sam. 23. quando à Ziphæis proditus Dauid, parum absuit, quin à Saulis exercitu comprehenderetur. Sed in extremo versu mentio fit vrbis Hierosolymæ, quæ tempore Saulis adhuc penes Iebusæos erat, necdum Deo, reapse saltem, consecrata. Alij igitur ad historiam Absalomi accommodant, quæ describitur 2. Sam. cap. 15. & sequentibus. Ego, vt dicam quod sentio, puto hunc Psalmum à Dauide conscriptum, statim ab illata Arca Dei in ciuitatem Dauid,* quum sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem ab vniuersis inimicis eius, *vt est 2. Sam. 7. 1. Id vt credam, facit contextus, ac præsertim postremus versus, in quo atriorum domus Dei, & Hierosolymæ fit mentio. Dauid porrò in hoc Psalmo amorem primùm Deo pollicetur, qui supplicantis vocem semper exaudiat, qui attentas aures toties præbuerit: promittitque se eius opem imploraturum, quoad viuet. Inde exponit se non semel in maximis periculis fuisse, sed semper ad Deum confugisse, eúmque clementem, iustum, benignum, & simplicium conseruatorem expertum, qui sibi ad extrema redacto nunquam defuerit. Et quoniam summa tum libertate potiebatur, sic seipsum compellat, Euge igitur, ô mea animula, fruere otio ac libertate tibi à Deo concessa: nunc demum per illum tibi licet securam versari in his terris, eíque seruire. Equidem ego Dei promissorum certus vacillaui nunquam, imò quum maximè vrgebant pericula, semper statui, nec dubitaui etiam dicere, mentiri quotquot regno me nunquam potiturum iactitarent. Postremò* Deo *se obstringit ad gratitudinem, promittens præsertim persoluturum se vota, ac celebraturum Hierosolymæ in publico conuentu præclara eius beneficia, cui quàm chari sint pij, vt eos haud temere vnquam morti obijciat, ex suo exemplo nuper didicerit.*

1 *Dilexi* vel potiùs *Diligo* (significatur enim continuus actus) Dominum sup. hoc est, Iure merito diligo Dominum: omnis amor meus est Dominus. Propositio totius Psalmi vno verbo continetur. Simile est exordium Psalmi 18. *Quoniam exaudit* (in Heb. est verbum fut. temporis ad notandum continuum actum) *Dominus* ille *vocem meam, (&) deprecationes meas.* Ratio propositionis. Ad mentem Kimhi & aliorum vox *Dominus*, non ad *exaudit*, sed ad *dilexi* seu *diligo* pertinet, ad istum modum, *Dilexi Dominum, quoniam exaudit vocem* &c. Ad mentem Rasi & Ezræ vertẽdum esset, *Dilexi* ac summopere desideraui *quòd (vt) exaudiret Dominus* &c. *Vocem meam*, &c. Ex quibusdam, qui, teste Ezra, putant Iod in קוֹלִי *koli*, esse paragogicum, verti posset *vocem deprecationum mearum.* Ac sic accepère Græc. & Latinus. Ezra censet exponendum *vocem meam (in) deprecationibus meis.* Alij putant per appositionem dici *vocem meam, deprecationes meas*, quasi diceretur, vocem meam supplicem ac deprecatiuam. תַּחֲנוּנִים *tachanunim*, preces sunt quæ fiunt pro gratia impetranda.

2 *Quia* toties *inclinauit aurẽ* &c. & idcirco A *in omnibus diebus meis inuocabo* eum in opem, non alium, quia hactenus mihi benè successit.

3 *Circundederunt me dolores* &c. Sensus, Toties me obsederunt mortis horrores & pericula, ac funibus iam veluti constrictum tenuerunt. Nam חֶבְלֵי *cheule*, *dolores* funium instar constringentes significat, ideóque ad rem est *circundandi* verbum. *Pericula inferni*, ad verb. *angustiæ sepulchri* B *inuenerunt me.* Idem alijs verbis repetit. Simile est initio Ps. 18. Addit *tribulationem & dolorem inueni*, proinde ac si diceret, non solùm me pericula inuenerũt & comprehenderunt fugitantẽ, sed haud semel etiam nõ cogitans quasi vltro me illis obieci. *Nescit* Eccl. 9.11. *homo tempus suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiun-* C *tur homines tempore malo, quum eis extemplo superuenerit*, hoc est, quum eos improuisus casus obruerit. Homo quærens bonam rem, sæpenumero infortunium inuenit, ac nescius & ignorans calamitatem sequitur, & in illam incidit, & quasi sponte præceps fertur, dum magis studet vitare. Tritum est illud Hebræorum sermone Prouerbium, *Pedes hominis non spondent pro eo:*

eò vbi quæritur, illum ducūt. Cuius prouerbij sententia est, Hominem sæpe imprudentem currere in suum exitium, dúmque fumum vitat, in flammam, quod dicitur, seipsum conijcere. Ea enim vis est fati, si tamen hoc vocabulo fas vti homini Christiano, vt hominem sequentem commodum atque vtilitatem plerumque in diuersam prorsus partem trahat: non secus atque videmus orbes cœlestes, dum ab ortu in occasum sponte ac proprio motu feruntur, à prima & suprema sphæra in ortū rapi. Vnde Epictetus in Enchir. in quouis incœpto hæc optanda esse ait: Duc me, ô Iupiter, & tu, Fatum, eò quò sum à vobis destinatus: sequar enim alacriter. Quòd si noluero, & improbus ero, & sequar nihilominus.

4 *Et* tunc, quum essem in illis periculis, semper *nomen Domini inuocaui*, his verbis, *Quæso, Domine*, &c.

5 & 6 *Clemens Dominus* &c. Sic connectendus hic, & sequens versus cum præcedentibus, Dicam igitur id quod re ipsa in me nunquam non sum expertus, Deum verè clementem esse & iustum, qui non sinat innocentes opprimi, neque vnquam obliuiscatur operis eorum; ipsúmque curam gerere eorum, qui candido ac syncero sunt animo. Quoties enim prorsus actum erat de me, nisi opportunè mihi fuisset opitulatus? *Simplices.* In Fonte est פְּתָאִים *pethaim*, qua voce Kimhi vult intelligi tum eos qui rerum imperiti nulla arte aut industria depellere possunt pericula, sed totos se Dei tutelæ committunt, tum eos qui etsi prudentia & experientia valent, non tamen ijs nituntur. Ad sensum videntur Græc. & Lat. interpretati *paruulos*, volentes eos significare, qui toti à Deo pendent, quemadmodum pueri adhuc per ætatem sibi consulere non valentes, à parentum cura.

ad Heb. 6.

7 *Reuertere anima mea* &c. Agedum nunc, inquiebat Dauid videns se è Saulis tyrannide prorsus liberatum, & in regno confirmatum, ô mea animula, nunc conquiesce, & pristina libertate vtere, sísque iam læta & tranquilla. *In requiem tuam*, heb. cum singulari energia in num. multitudinis *in requies tuas*, à tot scilicet laboribus. *Quia Dominus benefecit tibi.* Potes vertere *retribuit tibi* secundùm iustitiam tuam. Quo sensu dixit & Ps. 18. 21. *Retribuit mihi Dominus secundùm iustitiam meam:* &c. Ibi est verbum גָּמַל *gamal*, sicut hic: de cuius quidem verbi significatione dictum est ad vers. 6. Ps. 13. & aliàs.

8 *Eripuisti animam meam* &c. Subita, & emphatica ad Deum apostrophe, quem A sentiebat præsentem sibi adesse. Per eam autem explicat posterius membrum præcedentis versus. *Animam meam*, id est, me, vel vitam meam. Vide ad vers. 5. Ps. 6. *Oculos meos* (heb. *oculum meum*) *à lachrymis*, quibus cogebar deplorare meas miserias. *Pedes meos* (heb. *pedem meum*) *à lapsu*, hoc est, retinuisti ne ruerem, ac succumberem. Simile est Ps. 56. 14.

9 *Ambulabo coram Domino* &c. Sensus, Deo igitur deinceps securus seruiam ac ministrabo in hac vita. Quid sit *ambulare coram Deo* seu *Domino*, dictum est iam ad vers. B 14. Ps. 56. vbi huic simile occurrit.

10 *Credidi; propter quod* seu *propterea locutus sum:* &c. Lat. interpres Græcum secutus hunc & sequentes versus à præcedentibus diuellit, & alium à superiore Psalmum facit. Verùm Hebræi, atque etiã Syrus, connectunt. Distinguas, vel non, parum refert. Sanè enim, si alius est Psalmus, vnum tamen & idem habet argumentum, & quæ hîc dicuntur, facilè cohærent cum ijs quæ præcesserunt. Agellius, Episc. Acernensis, C existimat quæ sequūtur, Hebræos cum superiore Psalmo coniungere, & vnum putare, & rectè: nam &, inquit, idem argumentum est, & superior versus ita cum hoc nexus est, vt vnum esse conuincat. Rasi hunc & sequentem versum ferme ad istum modum exponit: *Credidi* ijs quæ Siba referebat de Miphiboseth, *quum locutus sum*, ac dixi, *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* 2. Sam. 16. 4. *Ego dixi in præcipitatione* seu *festinatione mea*, quum scilicet celeri fuga declinarem Absalomi impetum, D *Omnis homo mendax*, hoc est, fallax, proinde ac si diceret, Experior certè nunc Absalomi filij mei, & omnium Israëlitarum, quos maximis beneficijs deuinxi, perfidiam: idcirco facilè fidem habeo verbis Sibæ, ac credo ipsum etiam Miphiboseth à me defecisse. Sic ferè Rasi. Sed hæc explicatio fortasse nimis longè petita videbitur, angustiórque. Sic ergo explico: *Credidi* semper Samueli, qui Dei verbis regnum mihi fuerat pollicitus, & quanquam omni ex parte mihi pericula imminerent, nun- E quam tamen vacillaui: eam ob rem summa semper cum fiducia loquutus sum id quod legitur in mox sequente versic. etiamsi versarer in maximis angustijs & miserijs. Hæc sententia videtur esse huius versus. Ergo כִּי *ci*, non hîc causalis particula, sed collectiua, & rationalis, significans *idcirco, propterea*: sic enim acceperunt Græc. Lat. D. Hieron. & alij, & optimè quadrat ad hunc locum ista significatio, cuius tamen nullum est exemplum. Potest tamen esse solùm vox affirmantis. Quid? si accipias pro

etſi, id quod interdum valet, hoc ſenſu, A *Credidi*, nec vacillaui vnquam, *etſi loquutus ſum* interdum imprudentiùs: verùm maxima calamitas, in qua eram, extorquebat eas voces; hoc ſignificabit poſterius membrum, *ego oppreſſus eram nimis* ſeu *valde*. Quid autem loquutus ſit, mox dicet.

11 *Ego dixi in præcipitatione* ſeu *feſtinatione mea*, hoc eſt, quum præcipiti fuga conſulerem ſaluti meæ: tum etiam, inquam, dicebam, id quod facilè arguit me nunquam vacillaſſe, Mentiuntur omnes qui regno me nunquam potiturum paſſim iactitant. Atque hæc ſententia conuenit cum priore noſtra præcedentis verſus interpretatione. B Vel Dauid in hoc verſu ſignificare vult, ſe in eas anguſtias redactum aliquando, vt illa cogitatio obrepſerit, imò etiam interdum diceret, Samuelem, quippe hominem, falli potuiſſe, atque adeo fruſtra fortaſſe regnū promiſiſſe. Annô legimus de Dauide 1. Sam. 27. 1. *Et ait Dauid in corde ſuo, Tandem abſumar die vna per manum Saul*, &c. Hæc interpretatio præſertim cōueniet cum poſtrema præcedentis verſus interpretatione. Nimirum ſic exprimit Dauid, quid illud ſit verbi, quod vis periculi extorſerit. Nōnulli exiſti- C māt ſignificare hac phraſi, *Omnis homo mendax*, ſe nihil & nullius eſſe momēti, atque adeo non eſſe curæ Deo; vt congruat cum ver. 23. Pſ. 31. *Et ego dixi in præcipitatione mea, Proiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum.* Porrò hic verſus fortaſſe eódem ſpectat, quò ille. Vide igitur ad illum. *In præcipitatione mea.* Græc. ἐν τῇ ἐκστάσει μου; Lat. *in exceſſu meo*; Aquila ἐν τῷ θαμβεῖσθαι; Sym. ἀδημονῶν; D. Hieron. *in ſtupore meo.* Nempe hi exiſtimarunt hoc loco ſignificari ſtupo- D rem ſeu perturbationem mentis, qua interdum corripiebatur Dauid, ac veluti obſtupeſcebat ad periculorum magnitudinem.

12 *Quid retribuam Domino* &c. Narrationi periculorum, ex quibus ſe diuinitus extractum uidet, ſubiicit prolixam pollicitationem gratitudinis. (*Pro*) *omnibus quæ retribuit mihi?* Ad verb. (*pro*) *omnibus retributionibus eius ſuper me.* Quanquam vertere potes ac diſtinguere, *Quid retribuam Domino? omnes retributiones eius ſuper me*: perinde E ac ſi diceret, teneor enim omnia eius beneficia, qua potero ratione, agnoſcere. Vel ſenſus eſt, non enim vno aut altero tantùm beneficio ab eo affectus ſum, ſed nullum eſt beneficij genus, quo me ſibi non deuinxerit. Obſeruandum *retributiones* dici pro beneficijs, more ſacrarum litterarum, ne quis exiſtimet Deum aliquid nobis dare, quòd priores aliquid in eum contulerimus.

13 *Calicem ſalutaris*, heb. *ſalutum*, tot ſcilicet, quot mihi Deus attulit in tot periculis, *accipiam*, ſeu *eleuabo*. Quum conuiuium lætus celebrabo, attollam vini calicem gratias agens Deo publicè pro ſalute mihi conceſſa. Iſtum calicem *calicem ſalutum* vocat. Sic Kimhi. Reſpiciebat dubio procul ad morem vſitatum in populo Iudaico. Solebant, qui ex graui aliqua calamitate aut periculo euaſerant, poſt victimas oblatas ſacra celebrare conuiuia, in quibus gratias agebant Deo. Raſi interpretatur, *Calicem ſalutum eleuabo*, pro offeram libamina. Libamina autem ex vino propriè fiebant. *Et nomen Domini inuocabo*, hoc eſt, Deum orabo vt pergat fauere, & propitius adeſſe.

14 *Vota mea*, quorum ſcilicet reus ſum, & quæ illi in periculis & exilio nuncupaui, ſi me ſaluum & incolumem domum reduceret. *Nunc* ſeu *mox coram.* In Fonte נֶגְדָה־נָּא *neghdha-na*, hoc eſt, *coram nunc.* Sed palàm eſt *nunc* ad verbum *reddam*, non ad *coram* pertinere, & *coram* trahendum ad id quod ſequitur, ad iſtum modum, *coram omni populo eius.* Nota quod ait *coram omni populo eius*: neque enim ſatis eſſe putabat Dauid, ſi priuatim, &c. vt ita dicam, in ſinu Deo de beneficijs acceptis gratias ageret, niſi etiam palàm & publicè apud omnes gratitudinem teſtaretur ſuam. Sed apud quos præcipue? Apud fideles & Dei populum, quos ſciret iſto exemplo vel confirmandos, vel ad pietatem adducendos. Exemplum hoc ac factum Dauidis documento cuique eſſe debet, quemadmodum non accenditur lucerna, vt ponatur ſub modio, ſed ſuper candelabrum, quò Matt. 5. luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic lucere debere lucem noſtram coram hominibus, vt videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt. Aliud eſt ſi quis ſolùm vt oſtentet ſuas virtutes & iuſtitiæ opera, prodit in lucem, non vt exemplo proſit: is enim in vitio eſt, nullámque prorſus laudem promeretur apud Deum, qui tantùm apud homines aucupatur. Idcirco quicquid agimus, ab hac peſte bonorum operum humana gloria cauere debemus, quæ facit vt omnino illa pereant, & careant ſua mercede. Danda potiùs opera eſt, vt, quòd in nobis eſt, lateamus, ac neſciat noſtra ſiniſtra, quid faciat Matt. 6. dextera, tantummodo expectantes ab eo præmium, qui videt in abſcondito, intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit.

15 *Pretioſa in conſpectu* ſeu *oculis* &c. Rationem adfert cur à Deo ſit ſeruatus ac liberatus, quòd in ſe expertus ſit eſſe Deo pretioſam eorum mortem, qui ipſum religioſè & ſanctè colunt, hoc eſt, non temerè

ac facilè illos in mortem proiicere, nec sine perire ante tempus. Hoc sensu Ps. 72. 14. *& pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.*

16 *O Domine, quia ego seruus tuus*, &c. Præcedentem sententiam ad se restringit, eiúsque veritatem suo exemplo confirmat. *O.* In Fonte אָנָּה *anna*, quam vocem Ezra & Kimhi volunt esse confitentis, vt & Exo. 32. 31. Locum consule.

Ego seruus tuus, ego &c. Repetitio valet ad exaggerandum. *Filius ancillæ tuæ.* Vide ad vers. 16. Ps. 86. *Dirupisti* seu *soluisti vincula mea*, hoc est, idcirco quia seruus tuus sum, asseruisti me in libertatem, ac veluti rupisti vincula, quibus adstringebar, nec passus es me perire. Metaphorica est loquutio. Nunquam enim legitur Dauid fuisse in vinculis: sed interdum perinde fuit, ac in vinculis, vt in aula Achis 1. Sam. 21. & in Petra diuidente, 1. Sam. 23. quando parum abfuit quin caperetur ac vinciretur.

17 *Tibi sacrificabo hostiam laudis* seu *confessionis:* &c. His tribus versibus repetit pollicitationem gratitudinis, & quidem publicæ, vt antè. Hostia seu sacrificium confessionis erat, quod quis offerebat Deo gratitudinis ergô pro adepta salute, aut alijs beneficijs.

18 *Vota mea* &c. Versus 14. de alijs votis, hic solùm de votis sacrificiorum intelligendus est.

19 *In atrijs domus* &c. Intelligit portam domus, in qua erat Arca Domini. *In medio tui*, &c. Apostrophe poëtica ad vrbem Hierosolymam.

PSALMVS

CXVII. — CXVI.

VERSIO

NOVA.



AVDATE Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

2 Quoniam [a] confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini in æternum. [b] Alleluia.

a roborata est

b Laudate Dominum.

VETVS.



AVDATE Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

2 *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Alleluia.*

COMMENTARIVS.

Argumentum.

B*REVISSIMO hoc hymno prædicitur vocatio Gentium, interprete Apostolo ad Rom. 15. Kimhi etiam hunc Psalmum ad tempora Messiæ vult pertinere, quando* vertet *Dominus* ad populos labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, vt seruiant ei humero vno, *vt est Soph. 3. 9. ideóque ex duobus tantùm versibus constare, quòd tunc tantùm duo sint futuri populi, hinc Israëlitæ cum sua Lege, illinc Gentes cum septem præceptis, quæ scilicet Hebræi credunt accepisse filios Noë. Is igitur, vt vides, negat coalituras Gentes cum Iudæis in vnum omnino populum. Nos duobus duntaxat versibus hoc carmen constare arbitramur, hac fortasse de caussa, quòd Christus pax nostra fecerit vtraque, id est, Iudæos & Gentes, vnum, & medium parietem maceriæ soluerit, inimicitias in carne sua, legem* Ephes. 2. *mandatorum decretis euacuans: vt duos scilicet populos conderet in semetipsô in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliaret ambos in vno corpore Deo &c. Dici potest Dauid simpliciter in hoc carmine hortari Gentes omnes, vt Dei clementiam ac fidem erga gentem He-*

braam agnoscant ac prædicent. Neque repugnabit autoritas Apostoli ad Rom. cap. cit. Nam eius consilium fuit mysticum & allegoricum sensum, qui est de Christo, indicare, non literalem & simplicem, qui est de Dauide. Patet ex illo versu, Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, *&c. quem eodem illo loco ex Ps. 18. citat: qui quidem versus ad vocationem Gentium non pertinet, nisi in mystico sensu, quatenus Dauid, qui ibi loquitur, vt ex Tit. & serie Psalmi perspicuè constat, typus erat Christi.*

1 *Laudate Dominum* &c. Propositio Psalmi, qua Dauid spiritu prophetico afflatus omnes Gentes, vt Deum celebrent, hortatur, & quidem quasi præsens præsentes: etsi ad futurum tempus spectat hic Psalmus.

2 *Quoniam confirmata* seu *roborata est*, hoc est, excelluit & magna fuit, *misericordia eius,* &c. Ratio propositionis. quòd Gentes per Christum ad veri Dei cultum vocatæ sunt, fuit Dei misericordia: quòd verò Christus non sit missus nisi ad oues quę perierant domus Israël, vt ipsemet ait Matt. 15. ex Dei promisso fuit, adeóque ex veritate præstante promissa. Hoc videtur significari hoc versu, ad quem dubio procul referri debet illud Apostoli ad Rom. 15. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum,* &c. Quo quidem in loco græcè citat Apost. primum huius Psal. versiculum, prorsus vt est in codice Græco. Quòd *super nos* ait Dauid, séque Gentibus accenset, idcirco ab illo factum, quòd intelligeret nullam futuram distinctionem Iudæi & Græci, quemadmodum loquitur Apost. ad Rom. 5.



PSALMVS

PSALMVS

CXVII. CXVIII.

VERSIO

VETVS.



ONFITEMINI *Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.*

2 Dicat nunc Israël quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

3 Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia eius.

4 Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.

5 De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.

6 Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

7 Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

8 Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

9 Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

10 Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

11 Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

12 Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

13 Impulsus euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me.

14 Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

15 Vox exultationis & salutis, in tabernaculis iustorum.

16 Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.

17 Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini.

NOVA.



ONFITEMINI Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

2 Dicat nunc Israël, [a] quoniam in sæculum misericordia eius. a vel *quòd*

3 Dicat nunc domus Aaron, [b] quoniam in sæculum misericordia eius. b *quòd*

4 Dicant nunc qui timent Dominum, [c] quoniã in sæculũ misericordia eius. c *quòd*

5 De angustia inuocaui Dominum: exaudiuit me in latitudine Dominus.

6 Dominus [d] meus (est:) non timebo quid faciat mihi homo. d ad verb. *mihi:*

7 Dominus [e] meus (est) in adiutoribus meis: & ego videbo in [f] inimicis meis. e *mihi* f heb. *osoribus*

8 Bonum (est) confidere in Domino, quàm confidere in homine.

9 Bonum (est) sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

10 Omnes Gẽtes circundederunt me: sed in nomine Domini excidi eas.

11 Circundederunt me, etiam circundederunt me: sed in nomine Domini excidi eas.

12 Circundederunt me sicut apes, extinctæ sunt sicut ignis spinarum: quia in nomine Domini excidi eas.

13 Impellendo impuleras me vt caderem: & Dominus [g] suscepit me. g heb. *adiuuit*

14 Fortitudo mea, & laus (mea) Dominus: & [h] factus est mihi in salutem. h *fuit*

15 Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum, Dextera Domini facit [i] virtutem: i *fortitudinem.*

16 Dextera Domini [l] excelsa: dextera Domini facit [m] virtutem. l *exaltata:* m *fortitudinem.*

17 Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini.

18 Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.
19 Aperite mihi portas iustitiæ: ingressus in eas confitebor Domino.
20 Hæc porta Domini: iusti intrabunt in eam.
m quòd
21 Confitebor tibi, [m] quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.
n Lapis,
22 [n] Lapidem (quem) reprobauerunt ædificantes, (hic) factus est in caput anguli.
23 A Domino factum est istud, (&) est mirabile in oculis nostris.
24 Hæc (est) dies (quam) fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.
25 Obsecro, Domine, saluũ fac nunc: obsecro, Domine, bene prospera nũc.
26 Benedictus qui venit in nomine Domini: benedicimus vobis de domo Domini.
o Fortis
27 [o] Deus Dominus, & illuxit nobis: ligate agnum in funibus vsque ad cornua altaris.
28 Deus meus (es) tu, & confitebor tibi: Deus meus, (&) exaltabo te.
29 Cõfitemini Domino, quoniã bonus: quoniã in sæculũ misericordia eius.

18 Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
19 Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino:
20 Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
21 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
22 Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.
23 A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.
24 Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.
25 O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.
26 Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
27 Constituite diem solemnem in condensis, vsque ad cornu altaris.
28 Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
29 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
30 Confitemini Domino quoniã bonus: quoniã in sæculũ misericordia eius. Allel.

COMMENTARIVS.

Argumentum.

HOC pulcherrimũ carmen cecinisse videtur Dauid, quũ interfecto Isboseth Saulis filio, ab vniuerso Israële Rex inauguratus, debellatisque Philistæis & aliis, qui tum illũ nouũ regẽ oppressũ atq; oppugnatũ venerãt, magna & frequenti gratulantiũ multitudine comitatus Tabernaculũ adiit, vt Deo gratias ageret. Porrò pleraq; quæ de se Dauid hic scribit, nõ dubiũ est quin ad Christũ, cuius ipse typus erat, potissimùm pertineãt, quemadmodũ suis locis obseruabimus, & ex ipsius Christi testimonio demõstrabimus. Imò nihil est in toto Psalmo, quod ad Christũ non possit optimè accõmodari. Et Rabbinorũ cùm recentiorũ, tum veterũ non pauci hũc Psalmũ de Messia accipiũt: testatúrq; D. Hier. illum apud veteres Iudæos de Messia fuisse explicatũ, atq; inter eas preces, quibus aduẽtus eius petebatur, relatũ: id quod manifestè cõfirmatur lætis illis populi acclamationib⁹ ex hoc carmine desũptis, quibus Christus vltimo in vrbẽ Hierosolymã ingressu exceptus est, quemadmodum dicetur postea. Porrò hæc ferè series & synopsis huius Psalmi: Primò, omnes, sed nominatim Sacerdotes, & religiosos homines hortatur Dauid, vt Dei benignitatẽ & misericordiã agnoscãt ac celebrẽt, séq; eius benignitatis exemplũ singulare proponit, affirmãs non frustra se Dei opẽ implorasse, sed ab eo exauditũ, & ex angustiis in amplissimũ locũ eductũ, ex eáq; re confirmatũ ita, nullius vt hominis vires aut minas deinceps sit reformidaturus, quòd scilicet reipsa expertus sit stare à suis partibus Deum, cui longè tutius sit fidere, quàm vllis quantũuis potẽtibus viris. Inde, vt beneficiũ, quod celebrat, fiat illustrius, perĩcula, in quibus hactenus versatus fuerat, satis prolixè enumerat, & exaggerat, eáq; affirmat fuisse eiusmodi, ex quib⁹ sola Dei ope potuerit emergere, ideóq; in celebrãda Dei potẽtia multus est, plenóq; ore in gratiarũ actionẽ sese effũdit. Porrò dramaticus est hic Psal. in quo Dauid vsq; ad vers. 22. loquitur: à versu verò 22. populus, post Sacerdotes, ac deniq; Dauid. Obseruat Ezra minimè mirũ videri debere, quòd nunquã præmoneat qui sint qui loquãtur, siquidẽ in Canticis peculiaris istud sit elegãtia. Probat hoc perspicuè Cant. Cant. vbi nunc sponsus, nunc sponsa loquitur, nunquam indicato aut præfixo nomine personæ loquentis. Vide initio cap. 5. exemplum huius rei.

1 *Confitemini Domino*, &c. Propositio, qua
aperitur & clauditur Psalmus. Hortatur
autem subditos Dauid, vt agnoscant ac ce-
lebrent beneficia diuinitus in ipsum col-
lata.
2 *Dicat nunc Israel* omnis mecum *Confite-
mini Domino*. Vel, *Dicat nunc Israel, quòd in
seculum* &c.
3 *Dicat nunc domus Aaron*, &c. Peculia-
riter & seorsim nominat Aaronis familiam,
vt quæ ob dignitatem ac munus alijs in ce-
lebrando Deo deberet præire. Affert hanc
rationem Kimhi, cur familia Aaron debeat
Deo gratias agere ob Dauidem regem
1. Sam. 22. inauguratum, quòd Saul Nobe Sacerdo-
19. tum ciuitatem deleuisset.
4 *Qui timent Dominum*, hoc est, quotquot
syncerè & religiosè Deum verentur ac co-
lunt. Eadem hic vtitur distributione, quâ
Ps. 115.
5 *De angustia inuocaui* &c. Ex suo exemplo
probat Deum benignum esse ac clemen-
tem. *Exaudiuit me in latitudine*, hoc est,
exaudiuit me ex angustijs educendo, & re-
stituendo in libertatem, ac veluti statuen-
do in loco lato & spatioso, vbi iam liberè
respirare, & in quiete degere possum.
Exaudire in latitudine, nihil est aliud quàm
educere in latitudinem. Similis est phrasis
Eccl. 5. 19. *Deus exaudit (eum) in lætitia cor-
dis eius*, hoc est, largitur ei Deus lætitiam
cordis. Eundem sensum ibi habent Græ-
cus & Lat. Haud dissimilis est illa loquutio
Ps. 22. 22. *à cornibus vnicornium exaudi me*,
id est, exaudiens eripe me.
6 *Dominus meus est*, &c. Hîc Dauid de-
nuntiat se deinceps nullius hominis minas
aut vires reformidaturum, quòd expertus
sit Deum se habere propitiũ. Simile est Ps.
55. 5. & 12. *Meus* seu *mecum est*. Ad verb.
mihi, hoc est, stat à me. Græc. & Lat. opti-
mè explicarunt, vertentes *mihi adiutor*.
7 *Dominus meus* seu *mecum est in adiutoribus
meis*, id est, adiuuat mea caussa etiam adiu-
tores meos, mecum est & cum adiutoribus
meis. Sic ferè Ezra & Kimhi. Sunt qui ex-
ponant *Dominus mihi in adiutoribus meis* seu
inter adiutores meos, hoc est, vnus est meo-
rum adiutorum. Alij sic, Solus Dominus
mihi est instar omnium aliorum adiuto-
rum: nam si ille mihi fuerit adiutor, non
moror alios adiutores, qui absque illo nihil
me iuuare possunt. Neque hanc, neque il-
lam interpretationem probat Ezra. *Et
ego* Dei fultus ope *videbo* semper illud, quod
optauero, *in inimicis*, heb. *osoribus meis*,
eorum scilicet cladem & ruinam. Nolo de
hoc Hebraismo te obtundere sæpius.
8 & 9 *Bonum (est) confidere* &c. Quoniam
adiutorum mentionem fecit in præcedenti

A versu, nunc ait multò melius esse ac tutius
Domino fidere, quàm hominibus, quan-
tumuis potẽtia & autoritate excellãt. Verè.
Nam vt baculus arundineus confractus in- 4. Reg. 18.
nitenti manum perforat, sic homines plus 21.
tandem incommodi quàm commodi adfe-
runt omnibus qui spem in ipsis ponunt.
Vnde Ierem. 17. 5. *Maledictus homo qui con-
fidit in homine, & ponit carnem brachium
suum, & à Domino recedit cor eius*. Etc. Vers.
7. *Benedictus vir qui confidit in Domino, &
erit Dominus fiducia eius*. Etc. Obserua in
Fonte aliud esse verbum, quod est in prin-
cipio horum versuum, quàm quod in se-
B cundo hemistichio. Nam חָסָה *chasa*, quod
est in principio, leuiorem spem videtur si-
gnificare, vtpote quod cum vmbra soleat
coniungi, quasi dicat ad vmbram confuge-
re alicuius, sub qua tutus sis: sed בָּטַח *ba-
tach*, quod in altero hemistichio, firmio-
rem fiduciam & robustiorem videtur nota-
re: perinde ac si diceretur, melius esse vel
leuiter spem in Deo reponere, quàm fir-
mam in omnibus vel etiam principibus fi-
duciam collocare. Hoc breuiter annotat
Rasi. *Bonum quàm*, ad verb. *Bonum præ*,
C hoc est, Melius. Sed Græ. & Lat. non ma-
lè expresserunt. Nam particula *quàm* apud
Latinos comparatiuè ponitur interdum
pro magis, vel potiùs quàm. Apud Plau-
tum in Rud. *Tacita bona est mulier semper,
quàm loquens*.
10 *Omnes Gentes circundederunt* &c. Nunc,
vt illustrior appareat liberatio, de quâ agit,
pericula in quibus hactenus versatus fue-
rat, satis longa narratione persequitur, &
exaggerat, eáque talia fuisse ait, ex quibus,
D nisi ope diuina, non fuerit eluctatus. *Om-
nes Gentes* quum ait, omnes intellige qui-
bus Iudæa cingebatur, Philistæos scilicet,
Syros, Ammonitas, Moabitas, & Idu-
mæos, à quibus Dauid, initio regni præser-
tim, infestatus est. *Sed in nomine* &c. כִּי
ci, accipio hic pro *sed*, id quod versu 17. &
alibi significat, & restituo in suum locum
& ordinem, qui in Hebræo videtur confu-
sus, atque perturbatus, fortè, vt fit, metri
necessitate. Alij Chaldæum & Kimhi se-
cuti, supplendo aliquid, sic exponunt *in
E nomine Domini (speraui) quòd excinderem
eas*. Optimè hæc interpretatio quidem
cùm ad præcedentia, tum ad sequentia
quadrat. Verùm eiusmodi eclipses vitan-
das censeo, quantùm potest: etsi fortè *spe-
randi* verbum non nimis longè videtur re-
petitum, nimirum ex mox præcedente
versu. Latinus habet, *& in nomine Domini,
quia vltus sum in eos*: quod explicans Gene-
brardus &, ait, aduersatiuam esse particu-
lam, quasi diceret, at nomine Domini, vir-

ture, auxilio (ſup. eſt, ſeu, factum eſt) A quia, vel, quòd vltus ſum eos. Exiſtimat etiam Genebrardus poſſe dici vacare *quia.* Alij, teſte eodem Genebrardo, *in nomine Domini*, idem eſſe putant quod, *benedictum ſit nomen Domini*: vt ſit gratiarum actionis formula: quaſi diceret, benedictum ſit nomen Domini, *quia vltus ſum*, vel, *excidi eos*, vel, potiùs *eas*, nimirum gentes. Verùm id durius eſſe affirmat Genebrardus, quod & mihi videtur, & præter Hebræam phraſim. *Excidi*, vel, (ſi vis ſubaudire *ſperaui*) *exciderem eas.* In Fonte eſt אֲמִילַם *amilam*, quod eſt fut. temp. pro præt. B præteritum enim poſtulat argumentum, & loci contextus.

11 *Circundederunt me, etiam*, hoc eſt, iterum, & ſubinde, *circundederunt me.* Crebra, & continua repetitione eiuſdem verbi frequentia & continua pericula deſignat. Cætera, quæ ad hunc pertinent verſum, ex ſuperiore repetantur.

12 *Circundederunt me velut apes*, magno ſcilicet ardore, ac vehementi impetu, & ſumma C vindictæ cupiditate. Similis eſt comparatio Deut. 1. 44. *& perſequutus eſt vos, ſicut ſolent facere apes.* Huc pertinet illud Poëtæ de apibus,

Illis ira modum ſupra eſt, læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animáſque in vulnere ponunt.

Sedenim ſi verum eſt quod tradit naturæ genius Ariſtoteles, aculeo amiſſo aut ſtatim mori apes, aut ſaltem deſinere exercere mellificium, ſanè ſimilitudo ab apibus ducta optimè Dauidis hoſtibus conuenit, quibus lethales fuerunt plagæ, quas Dauidi facere D cogitabant. *Extinctæ ſunt* gentes illæ *ſicut ignis ſpinarum*, qui etſi ingentem crepitum, maioréſque flammas emittit, vt vicina quæque conſumpturus videatur, tamen ſubitò deflagrat vix cineres relinquens. Ita illarum gentium conatus, quamuis initio acres, ſtatim languerunt atque incaſſum deflagrarunt. Græc. & Lat. verterunt *exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*, eodem, vt videtur, ſenſu, ſi propiùs inſpicias, & animum aduertas, perinde quaſi diceret, exarſerunt ſubitò, adeóque extinctæ ſunt, E non ſecus atque ſpinarum ignis mox exardeſcit, ac deflagrat, ſeu extinguitur. Chald. vertit, *ardent vt ignis in ſpinis.* Fieri ſanè poteſt, vt, quod pleriſque verbis accidit in Piel & Pual, verbum דֹּעֲכוּ *doachu*, Pual contrariam ſignificationem obtineat ſuo themati. Syrus tamen, Aquila, Symm. D. Hieron. Pag. Felix & alij acceperunt in ſignificatione *extinguendi.* Sic quoque Ezra & Kimhi. Quo modo ſi placet accipere, כִּי *ci*, quod in præcedentibus verſiculis verſum eſt *ſed*, exponendum iam erit *quia*, vt perſpicuè videre eſt. At ſi accipias *exarſerunt*, vt ſonat, pro in me vehementer inflammati ſunt, & ſæuierunt, vt ſolet ignis ſpinas comburens, quo modo interpretatur Genebrardus, particula prædicta erit vertenda, vt in ſuperioribus duobus verſibus, per *ſed.*

13 *Impellendo impuleras me* &c. Apoſtrophe ad peculiarem aliquem hoſtem, quem puto Saulem. *Et* (pro *at*) *Dominus ſuſcepit*, Heb. *adiuuit me*, ne caderem.

14 *Fortitudo mea*, &c. Senſus, Nulli rei aut fortitudo, qua hoſtes ſuperaui, aut victoriæ laus adſcribenda eſt niſi Domino, non meæ induſtriæ, aut viribus. Vel ex Kimhi, Fortitudo & ſalus mea Dominus, ideóque teneor illum laudare, & carminibus celebrare. *Laus mea.* Heb זִמְרָת *zimrath*, quod R. Moſes & Kimhi affirmant eſſe pro זִמְרָתִי *zimrathi*, *laus mea* ſeu potiùs *canticum meum*, repetito ſcilicet Iod ex mox præcedente dictione: negant verò eſſe in regimine, ſiquidem notetur ·, non patach. Kimhi tamen obſeruat fortaſſe in iſta voce ת eſſe pro ה, vt interdum fit. Omitto lubens aliorum ſententias. Hic verſus ſumptus eſt ad verbum ex Exo. 15. 3. vbi ſolùm eſt hemiſtichium. Reperitur etiam Eſa. 12. 2. pro hemiſtichio tantùm.

15 *Vox exultationis* ſeu *iubilationis* &c. Senſus, Non ſolùm ego illa Dei beneficia, per quæ mihi ſalutem attulit, agnoſco ac celebro, ſed etiam iuſti quique ad ſe illa pertinere arbitrantes ſuis in tabernaculis læti mihi ſuccinunt. Quum ait *in tabernaculis iuſtorum*, vult ſignificare non publicè tantùm, ſed etiam priuatim à ſingulis, quod eſt argumentum magnæ nec fictæ lætitiæ, illa beneficia celebrari. *Dextera Domini* &c. Poſteriore hoc membro, & ſequente verſu continetur vox illa iubilationis & ſalutis, quæ in tabernaculis iuſtorum exaudiretur. *Dextera Domini* quum dicit, notare vult inſignia diuinæ potentiæ opera: dextra enim validior eſt ſiniſtra.

16 *Dextera Domini* &c. Ter repetit *dextera Domini*, vt oſtendat non ſemel, ſed multoties ſe Dei opem expertum. *Excelſa* ſeu *exaltata.* Dextera Dei dicitur exaltari, quum nobis videtur exaltari. Nihil enim Dei potentiæ accedere aut decedere poteſt.

17 *Non moriar*, &c. Nunc ad ſe redit Dauid: & quoniam videt ſe Dei ope eluctatum è tot periculis, lætus exclamat, *Non moriar*, quod vnum tanto impetu tot hoſtes moliti ſunt, *ſed viuam*, illis inuitis: *& interea narrabo opera Domini* erga me, ne-

que illorum vnquam obliuiſcar, perpetuò memor me eius vnius beneficio eſſe ſeruatum, èque mortis faucibus extractum. Oſtendit in poſteriore membro in quem vſum vita eſſe debeat.

18 *Caſtigans caſtigauit me* &c. Ratio cur narraturus ſit lubens opera Domini. Quoniam illum agnoſco, inquit, idcirco me duriter & ſeuerè tot malis afflixiſſe, ſolùm vt me caſtigaret ac corrigeret: cui rei argumento eſt, quòd me non paſſus eſt perire, ſed ab interitu & exitio tandem liberauit. *Caſtigans*, ſeu, *caſtigando caſtigauit*, hoc eſt, ſeuerè admodum caſtigauit: hanc enim vim habet repetitio eiuſdem verbi apud Hebræos.

19 *Aperite mihi portas* &c. Dauid ſtans vel veluti ſtans in veſtibulo Tabernaculi optat, & iubet ſibi recludi fores, vt ingreſſus Deum poſſit celebrare. *Aperite* dicit ianitoribus, quaſi eſſent clauſæ fores Tabernaculi, & more Poëtarum loquitur, qui ad ornandam & illuſtrandam poëſim eiuſmodi figuras ſolent vſurpare. Vel ait *Aperite* &c. perinde ac ſi diceret, Recludite portas illas, quæ tandiu mihi extorri, & huc illuc diſtracto clauſæ fuerunt. *Portas iuſtitiæ* nominat portas Tabernaculi, per quas ſcilicet quotidie iuſti intrant in Tabernaculum, quemadmodum mox explicat.

20 *Hæc porta Domini:* &c. Dauid in ipſo portæ aditu, vel ſaltem quaſi eſſet in ipſo portæ aditu, hoc canebat: Hæc, inquiebat, porta, cuius limen meis pedibus calco, porta eſt, per quam ad Dominum aditus patet, id eſt, per quam intratur in tabernaculum Domini. *Porta Domini*, emphaticè, pro, porta ædis ſeu tabernaculi Domini, per metonymiam.

Iuſti intrabunt; id eſt, intrant, ſeu intrare debent, *in eam*, ſeu *per eam*, quaſi dicat, ad ſolos iuſtos pertinet per eam intrare portam. *Quis aſcendet in montem Domini, & quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde:* &c. Pſ. 24. Simile legitur Pſ. 15.

21 *Confitebor tibi*, &c. Dauid medium Tabernaculum ingreſſus hoc videtur cecinisse.

22 *Lapidem (quem) reprobauerunt* &c. Hæc videntur eſſe verba populi (eſt enim dramaticum hoc carmen) Dauidi ſuccinentis, ac dicentis eum, qui antea tanquam lapis inutilis, & nulli ædificij loco idoneus ab ædificantibus, id eſt, regni proceribus reiectus ſit, Dei benignitate collocatum eſſe in capite anguli, nimirum in potiore ac digniore ædificij parte, vt factus ſit rex & caput in populo Dei. Proceres regni nominat *ædificantes*, quorum quippe labor omnis in ædificando populo, & conſeruando publico ſtatu occupatus eſſe debeat. Quod dicitur hic, ad Chriſtum præcipuè pertinere, quem tantùm Dauid adumbrauit, teſtis eſt ipſe Chriſtus Matth. 21. qui hunc verſiculum Principibus ſacerdotum & ſenioribus populi obiecit. Et Marci 12. vbi allegat hunc & ſequentem verſum. Teſtis eſt & D. Petrus, qui Act. 4. Principes populi & ſeniores alloquens, *Hic eſt lapis*, inquiebat de Chriſto, *qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli.* Et Diuus Paulus, qui Epheſ. 2. Chriſtum *ſummum angularem lapidem* appellat. Accedit quòd Eſaias cap. 28. 16. Chriſtum vocat *lapidem munitionis*, ſeu *probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* Chriſtus autem lapis angularis eſt dictus, quia, vt inquiunt D. Hieronymus & Caſſiodorus, duos ad ſe populos venientes, Gentilium ſcilicet & Iudæorum, tanquam geminos parietes, vnum de Circunciſione, alium de præputio in vno nouo homine, hoc eſt, in ſemetipſo, in vnam ſoliditatis gratiam collocauit. Nam *caput anguli* fieri dicitur lapis, quando in eo loco ponitur, vbi totius ædificij iuncturam ſuſtinet.

Ædificantes Lyranus exponit Sacerdotes Iudæorum, & Doctores, ad quorum ſpectabat officium ædificare in fide, & moribus populum. Raſi hunc verſum ad Meſſiam ſpectare agnoſcit, qui illum citat ad illud Mich. 5. 2. *Et tu Beth-lehem Ephratha, paruulus es in millibus Iuda: ex te (tamen) mihi egredietur* &c. Meſſias ſcilicet filius Dauid, vt ipſe exponit, iuxta illud, *Lapis, (quem) reprobauerunt ædificantes*, &c.

23 *A Domino factum eſt* &c. Populus admiratur cum ſtupore Dauidem humili loco natum, qui regnante Saule multos annos vitam vagam ac miſeram vixerat, & poſt eius obitum, imperante decem Tribubus Isboſeth, grauiſſimo odio omnium ferè procerum regni laborarat, tandem ad tantæ dignitatis faſtigium diuinitus eſſe euectum, vt eſſet Rex duodecim Tribuum. Sed de Chriſto hoc potiùs accipiendum. Quis enim non miraretur Chriſtum, qui à Principibus ſacerdotum in crucem actus fuerat, paucis pòſt diebus coli pro Deo?

24 *Hæc (eſt) dies (quam)* &c. Hæc, dicebat populus Dauidi ſibique gratulans, dies eſt ſalutis Domini: neque enim ab alio, quàm ab illo eſſe poteſt tantum, tamque ſtupendum ſalutis opus: igitur

conuenit nos hilarem ſumere hunc diem, gratóſque ac lætos tantum beneficium accipere. *Quam fecit* illuſtrem atque inſignem *Dominus* tam mirando ac ſtupendo opere. Verbum *faciendi* pro nobilitare atque inſignem facere vſurpatur 1. Sam. 12. 6. *Dominus qui fecit*, hoc eſt, reddidit claros & nobiles, *Moyſen & Aaron*. Vide locum.

25 *Obſecro, Domine, ſaluum fac nunc* Regem, quem nobis dediſti. Nam *me* quod eſt in Vulg. deeſt in Hebr. & Græc. Hinc & ex ſequente verſiculo non dubium eſt quin deſumpta ſit fauſta illa acclamatio, qua Chriſtum ingredientem vrbem Hieroſolymam turbæ quæ ad diem feſtum conuenerant, & pueri in templo, tanquam verum Meſſiam, Dauidis filium, proſequuti ſunt: illa nimirum, quæ legitur Matt. 21. *Hoſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini*. Nam quid aliud *Hoſanna* illud corruptum ſeu contractum ex Hebræo huius loci הוֹשִׁיעָה נָּא *hoſchiana*, ſignificat, quam *ſaluum fac nunc*, vel potiùs, quia regit dandi caſum *ſalutem affer nunc*. C Quanquam author eſt nobis Elias Leuita in Tisbi הוֹשַׁעְנָא *hoſchana*, factum breuitatis cauſſa ex duabus illis vocibus הוֹשִׁיעָה נָּא *hoſchiana*, id eſt, *ſalutem affer nunc*, ſignificare faſciculos ſalicum torrentis, quos Iudæi in Feſto Tabernaculorum tollunt, eò quòd tunc ſubinde clamāt הוֹשַׁעְנָא *hoſchana*, hoc eſt, *ſalua nunc*, vel *ſalutem affer nunc*. Neque ſi hæc ſententia recipitur, obſcura erit illa locutio *Hoſanna filio Dauid*, quæ hoc valebit, Hos ſalicū ramos præferimus filio Dauid. Probat verò ſuam ſententiam Elias ex Targum Hieroſolymitano, quod ad verſum 8. cap. 3. Eſter ſic habet, *Et faciunt ſibi Hoſanna*: & mox, *Et circumeunt cum Hoſanna*. Ibi profectò apertè intelligitur ſalicum, aliarúmue arborum faſciculus. Loci ſunt in Talmud, Perek Lulab haggazul, ex quibus idem colligitur. Vide quæ iam notauimus ad verſ. 1. Pſal. 98.

26 *Benedictus qui venit* &c. Hic & ſequens verſus videntur dici à Sacerdotibus, qui populi acclamationi ſua vota adiungant, & nouo Regi aduentanti, aliiſque, qui vnà cum eo venerant, fauſta omnia precentur, & quidem *è domo Domini* theſauro & promptuario omnis boni. Sacerdotum erat benedicere, vt conſtat ex Num. 6. in fine. *In nomine Domini*. Vel hoc referendum ad *qui venit*, hoc ſenſu, Benedictus eſto, qui diuinitus conſtitutus & ordinatus eſt rex: vel ad *Benedictus*: tenebantur enim Sacerdotes, quum bene-

A dicebant, adiungere nomen Domini, ex cap. cit. Num. verſ. vlt. *Et ponent nomen meum*, quum nimirum benedicent, *ſuper filios Iſraël: & ego benedicam eis*, id eſt, ratam habebo illorum Sacerdotum benedictionem, ſi ſic fecerint.

27 *Deus* fortis, (nam eſt אֵל *el*, in Fonte) vel adiectiuè ex Ezra, *Fortis Dominus, & illuxit nobis*, nebulas & tenebras, in quibus ſub Saule & Isboſeth fuimus, diſpellendo, & pacem, ac florentem Reipublicæ ſtatum tribuendo. *Lux* in Sacris literis pro proſperitate. Eſter 8. 16. *Iudæis* B *autem noua lux oriri viſa eſt, & lætitia, & gaudium, & honor*. *Ligate agnum* &c. Ecliptica locutio, ſed elegans, ſic explicanda & complenda ex Raſi, Ezra, & Kimhi. Cùm igitur ita ſit, agnum aut pecus funibus deuinctum adducite ad altaris cornua. Hæc oratio optimè Sacerdotibus conueniebat. *Agnum*. ad verb. *feſtum* ſeu *ſolemnitatem*. Sed *feſtum* ſeu *ſolennitas* metonymicῶς vſurpatur hîc pro hoſtia, agno aut ſimili pecore, cuiuſmodi die feſto plerumque offerebatur. Sic cenſent Raſi, Ezra, Kimhi. Neque nouum eſt חַג *chagh*, quod *feſtum* propriè ſignificat, ſic accipi. Habes exemplum Exo. 23. 18. *nec remanebit* (heb. *pernoctabit*) *adeps ſolennitatis meæ*, id eſt, abſque dubio, victimæ meæ. Habes & Mal. 2. 3 & alijs in locis. *In funibus* denſis, & contortis: vnde Græc. ἐν τοῖς πυκάζουσιν; Lat. *in condenſis*. Chald. interpretatur, *Ligate agnum ad hoſtiam feſti in catenis, dum offeratis eum, & effundatis ſanguinem eius in cornibus altaris*.

D 28 *Deus meus* (*es*) *tu*, &c. Dauid rurſus loquitur, & Pſalmum claudit. *Deus meus* fortis & potens, qui me tot periculis ereptum ad ſummam, quæ eſſe poteſt in terris, dignitatem euexiſti. Hic eſt אֵל *el*, de quo ſæpe dictum. *Deus* & Iudex *meus*, qui mihi tandem ius reddidiſti. Hic אֱלֹהִים *Elohim*. Poſt hunc verſum repetitur in Græco & Lat. verſus 21. qui neque eſt in Hebræo, neque apud 70. in Hexaplis. Iuſtinianus, Epiſcopus Nebienſis, in Octaplo Pſalterij, cum, etſi habetur in commu- E ni Latina, necnon in Græca, & in vtraque Arabica, nihilominus eſſe obelo confodiendum cenſet, quando nec Hebræa, nec Chaldæa, quæ archetypus cenſentur, illum habeant.

29 *Confitemini Domino*, &c. Repetit primum verſum, qui propoſitionem continebat, pro Epilogo. In præcedente quidem verſu ipſe Dauid beneficium acceptum celebrat, & celebraturum promittit: in hoc ſubditos, vt idem faciant, hortatur.

BREVIS ET PARAPHRASTICA PRÆCEDENTIS PSALMI EXPLANATIO.

DAVID ab vniuersis Tribubus Rex consalutatus statim Tabernaculum adijt magna comitatus gratulantium multitudine, ac tum inter vias omnes ordines hortabatur his ferè verbis: *Eia Deum laudibus celebrate, bonitatem atque æternam eius misericordiam prædicantes, vos, inquam, Israëlitæ omnes, ac præsertim genus Aaronis, & quotquot pietatem colitis. Ecce me vobis singulare diuinæ bonitatis exemplum, qui ex tantis, vt nostis, angustijs in hunc amplissimum locum sum euectus, solùm quia eius vnius opem imploraui.* Itaque *ego expertus à me esse immortalem Deum, absit, vt cuiusquam mortalis vires aut minas deinceps reformidem. Omnes licet in me conspirent, siquidem Deus meis partibus faueat, spero inimicos iustis pœnis affectos me semper visurum. O quàm præstat Deo fidere, quàm hominibus, quantumuis potentibus? Expertus loquor: non vna gens, sed omnes propemodum vicinæ Gentes non semel adortæ me sunt. Verùm non alia re, quàm diuini numinis fretus clementia facilè vniuersas debellaui ac profligaui. Tot Gentes apum instar summo impetu atque ardore me vndique obsessum quoties appetiere? Verùm ille ardor tam subitò concidit, quàm spinarum ignis deflagrat. Et tu dux hostium ita me impuleras, vt iamiam ruiturus viderer. Verùm me Dominus sustinuit. Hunc igitur vnicum robur meum, vnicum mearum laudum argumentum, vnicum meæ salutis auctorem agnosco: neque ego solus: sed etiam audire est passim apud domos iustorum lætas has voces, Dei est solius tantum ac tam mirificum edere opus: verè potens est Dei dextera. Igitur adhuc viuam, inuitis hostibus, ac celebrabo magnifica* Dei opera, *qui me aliquandiu quidem duriter satis exerceri, non perire passus est.* Ad Tabernaculum quum peruenisset, *Agite*, aiebat, *ô quibus incumbit, recludite mihi illas fores, quarum limina quotidie iustorum pedibus teruntur, vt Tabernaculum ingressus, illic Deo seruatori meo gratias agam.* Dein Dauid in limine positus, *Hæc porta*, inquiebat, *per quam aditus patet ad* Dominum, *solis iustorum pedibus calcanda.* Vlterius paulùm progressus in Tabernaculum, sic ferme, *Gratias ago tibi*, *Domine Deus, seruatori meo.* Tum vniuersus populus Dauidi lætus succinuit, *Ecce quem proceres reijciebant, nunc factus est regni caput. Verè hoc est diuinum opus, quod nunquam satis admirari possumus. Hunc æquum est itaque hilarem sumamus diem, quem Deus tanto miraculo exornauit. O Domine, serua ac fortuna Regem.* Hic demum Sacerdotes populi acclamationi sua vota adiungunt, *Bene sit illi, inquiunt, quem diuinitus constitutum Regem agnoscimus: bene sit vobis omnibus. Verè potens est Dominus, qui fœdas belli tenebras nunc tandem iucunda pacis luce discussit. Iam tempus est, vt victimæ funibus deuinctæ altaris cornibus admoueantur.* Ad extremum Dauid Psalmum claudit his ferme verbis, *Deus meus tu, cui nunquam cessabo gratias agere: Deus meus tu, quem celebrare nunquam desinam. Vos autem, quotquot estis, moneo atque hortor, Deum vt celebretis, bonitatem ac perpetuam eius clementiam prædicantes.* Ne tot porrò tamque subitæ personarum mutationes duræ fortè videantur: cogita carmen esse dramaticum, sicuti iam dictum est in Argumento.

PSALMVS

CXIX. CXVIII.

VERSIO

NOVA. VETVS.

ℵ

a heb. integri via: BEATI [a] immaculati in via: qui ambulant in Lege Domini.

2 Beati qui cuſtodiunt teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

3 Multò minùs operantur iniquitatem, (ſed) in vijs eius ambulant.

4 Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri [b] nimis. b valdè.

5 Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodienda ſtatuta tua.

c pudore afficiar, 6 Tunc non [c] confundar, quum reſpexero ad omnia præcepta tua.

7 Confitebor tibi in rectitudine cordis, quum didicero iudicia iuſtitiæ tuæ.

d ne e vſque valde. 8 Statuta tua cuſtodiam: [d] non me derelinquas [e] vſquequaque.

ב

f heb. mandabit 9 In quo [f] corrigit adoleſcens viam ſuam? in cuſtodiendo ſecundùm [g] ſermones tuos. g verbum tuum.

10 In toto corde meo exquiſiui te: ne errare ſinas me à mandatis tuis.

h heb. eloquiū tuum, 11 In corde meo abſcondi [h] eloquia tua, vt non peccem tibi.

12 Benedictus tu Domine: doce me ſtatuta tua.

i prop. narraui 13 In labijs meis [i] pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

14 In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.

k prop. meditabor 15 In mandatis tuis [k] exercebor, & conſiderabo vias tuas.

l alijs delectabor: m verbum tuum. 16 In ſtatutis tuis [l] meditabor: non obliuiſcar [m] ſermones tuos.

ALEPH.

BEATI *immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.*

2 *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.*

3 *Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.*

4 *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

5 *Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.*

6 *Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.*

7 *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ.*

8 *Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas vſquequaque.*

BETH.

9 *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.*

10 *In toto corde meo exquiſiui te: ne repellas me à mandatis tuis.*

11 *In corde meo abſcondi eloquia tua: vt non peccem tibi.*

12 *Benedictus es Domine: doce me iuſtificationes tuas.*

13 *In labijs meis, pronuntiaui omnia iudicia oris tui.*

14 *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.*

15 *In mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.*

16 *In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos.*

GIMEL.

17 *Retribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.*

18 *Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.*

19 *Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.*

20 *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.*

21 *Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

22 *Aufer à me opprobrium, & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.*

23 *Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.*

24 *Nã & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meũ iustificationes tuæ.*

DALETH.

25 *Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundùm verbum tuum.*

26 *Vias meas enuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.*

27 *Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.*

28 *Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.*

29 *Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.*

30 *Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.*

31 *Adhæsi testimonijs tuis Domine: noli me confundere.*

32 *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

HE.

33 *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.*

34 *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.*

35 *Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.*

36 *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.*

ג

17 Retribue seruo tuo (vt) viuam, & custodiam [n] sermones tuos. — n verbum tuum.

18 Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua.

19 Incola ego (sum) in terra: [o] non abscondas à me [p] mandata tua. — o ne — p præcepta

20 Confracta est anima mea desiderando iudicia tua in omni tempore.

21 Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

22 Aufer à me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua custodiui.

23 Etiam sederunt principes, aduersùm me loquuti sunt: seruus (autem) tuus [q] exercebatur in statutis tuis. — q meditabatur

24 Etiam testimonia tua meditatio mea (est,) & viri consilij mei.

ד

25 Adhæsit pulueri anima mea: viuifica me secundùm verbum tuum.

26 Vias meas [r] enuntiaui, & exaudisti me: doce me statuta tua. — r narraui.

27 Viam præceptorum tuorum instrue me: & [s] exercebor in mirabilibus tuis. — s meditabor

28 Diffluit anima mea præ tædio: confirma me secundùm verbum tuum.

29 Viam mendacij amoue à me: & lege tua dignare me.

30 Viam veritatis elegi: iudicia tua proposui.

31 Adhæsi testimonijs tuis, Domine: [t] noli me confundere. — t ne erubescere facias me.

32 Viam mandatorum tuorum curram, quum dilataueris cor meum.

ה

33 Doce me, Domine, viam statutorum tuorum, & custodiam eam semper.

34 Da mihi [u] intellectum, & obseruabo Legem tuam, & custodiam illam in toto corde. — u intelligentiam.

35 Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

36 Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

37 Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.
38 Statue seruo tuo eloquium tuum, [x] qui timori tuo.
39 Aufer opprobrium meum, quod timui: quia iudicia tua bona.
40 Ecce concupiui mandata tua: in [y] æquitate tua viuifica me.

x vel quod ad timorem tuum.
y iustitia

ו

41 Et veniant super me misericordiæ tuæ, Domine: salutare tuum secundùm eloquium tuum.
42 Et respondebo [z] exprobrantibus mihi, verbum: [z] quia speraui in sermonibus tuis.
43 Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs tuis speraui.
44 Et custodiam Legem tuam semper, in seculum & sempiternum.
45 Et ambulabo in latitudine: quia mandata tua exquisiui.
46 Et loquar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non erubescam.
47 Et [a] meditabor in præceptis tuis, quæ dilexi.
48 Et leuabo manus meas ad præcepta tua quæ dilexi, & [b] exercebor in statutis tuis.

z heb. exprobranti
z vel quod
a delectabor
b meditabor

ז

49 Memor esto verbi serui tuo, in quo mihi spem dedisti.
50 Hæc mea consolatio (est) in afflictione mea: quia eloquium tuum viuificauit me.
51 Superbi deriserunt me vsquequaque: à Lege (autem) tua non declinaui.
52 Memor fui iudiciorum tuorum à seculo, Domine, & consolatus sum.
53 [c] Defectio tenuit me [d] pro peccatoribus derelinquentibus Legem tuam.
54 Cantiones mihi fuerunt statuta tua in domo [e] peregrinationis meæ.
55 Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodiui Legem tuam.

c prop. Tremor
d propter peccatores &c.
e heb. peregrinationum mearum.

37 Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.
38 Statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo.
39 Amputa opprobriũ meũ, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.
40 Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

VAV.

41 Et veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuum secundùm eloquium tuum.
42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis.
43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs tuis supersperaui.
44 Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi.
45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.
46 Et loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebar.
47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.
48 Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis.

ZAIN.

49 Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.
50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.
51 Superbi iniquè agebant vsquequaque: à lege autem tua non declinaui.
52 Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine: & consolatus sum.
53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
54 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.
55 Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodiui legem tuam.

56 *Hæc facta est mihi: quia iustificatio-nes tuas exquisiui.*

HETH.

57 *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.*

58 *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.*

59 *Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in testimonia tua.*

60 *Paratus sum, & non sum turbatus: vt custodiam mandata tua.*

61 *Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.*

62 *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ.*

63 *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

64 *Misericordia tua Domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.*

THETH.

65 *Bonitatem fecisti cum seruo tuo* Domine, *secundum verbum tuum.*

66 Bonitatem, *& disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.*

67 *Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.*

68 *Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.*

69 *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*

70 *Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus sum.*

71 *Bonum mihi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.*

72 *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.*

IOD.

73 *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.*

74 *Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperaui.*

56 Hoc factum est mihi: quia mandata tua custodiui.

ח

57 Portio mea, Domine, dixi, custodire verba tua.

58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde: miserere mei secundùm eloquium tuum.

59 Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos ad testimonia tua.

60 Festinaui, & non tardaui custodire præcepta tua.

61 [f] Funes peccatorum [g] circumplexi sunt me: (at) Legem tuam non sum oblitus.

62 Media nocte surgo ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ.

63 [h] Particeps ego (sum) omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

64 Misericordia tua, Domine, plena est terra: statuta tua doce me.

ט

65 Bonum fecisti cum seruo tuo, Domine, secundùm verbum tuum.

66 Bonitatem sensus, & disciplinæ doce me: quia præceptis tuis credidi.

67 Priusquam [i] humiliarer, ego [l] deliqui: nunc autem eloquium tuum custodio.

68 Bonus (es) tu, & benefaciens: doce me statuta tua.

69 Concinnauerunt aduersum me mendacium superbi: ego (autem) in toto corde custodiam mandata tua.

70 Impinguatum est sicut [m] adeps cor eorum: ego (verò) [n] Legem tuam meditatus sum.

71 Bonum mihi quòd [o] humiliatus sum: vt discam statuta tua.

72 Bonum mihi Lex oris tui super millia auri & argenti.

י

73 Manus tuæ fecerunt me, & [p] plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam præcepta tua.

74 Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia [q] in verbo tuo sperauí.

f vel *Caterua*

g *circundederunt*

h *Socius*

i *affligerer,*

l ad verb. *errani:*

m vel *adipe*

n *Lege tua delectatus sum.*

o *afflictus*

p *aptarunt*

q heb. *ad verbū tuū.*

r iustitia 75 Cognoui Domine, quòd [r] æquitas
iudicia tua, & (in) veritate afflixisti
me.
s vel quasi 76 Sit [s] nunc misericordia tua ad
consolandum me, secundùm elo-
quium tuum seruo tuo.
77 Veniant mihi miserationes tuæ,
t delectatio & viuam: quia Lex tua [t] meditatio
mea (est.)
78 Confundantur superbi, quia fal-
u meditabor sò peruerterunt me: ego [u] exercebor
in mandatis tuis.
79 Conuertantur ad me timentes
te, & qui nouerunt testimonia
tua.
x integrum 80 Sit cor meum [x] immaculatum
in statutis tuis, vt non confun-
dar.

כ

81 Defecit ad salutare tuum anima
y ad mea: [y] in verbum tuum speraui.
82 Defecerunt oculi mei ad elo-
quium tuum, dicendo, Quando con-
solaberis me?
83 Quia factus sum sicut vter in fu-
mo: (attamen) statuta tua non sum
oblitus.
84 Quot (sunt) dies serui tui? quan-
do facies de persequentibus me iu-
dicium?
85 Foderunt mihi superbi foueas:
quod non secundùm Legem tuam.
86 Omnia mandata tua veritas: ini-
què persequuti sunt me, adiuua
me.
87 Paulominus consumpserunt me
in terra: ego autem non dereliqui
mandata tua.
88 Secundùm misericordiam tuam
z heb. testimonium viuifica me: & custodiam [z] testimo-
nia oris tui.

ל

89 In æternum, Domine, verbum
tuum permanet in cælo.
90 In generationem & generatio-
nem veritas tua: fundasti terram, &
a perstat. [a] permanet.
b perstant 91 Ad iudicia tua [b] perseuerant ho-
die: quoniam omnia seruiunt tibi.

*75 Cognoui Domine quia æquitas iudi-
cia tua: & in veritate tua humiliasti
me.*
*76 Fiat misericordia tua vt consoletur
me, secundùm eloquium tuum seruo tuo.*
*77 Veniant mihi miserationes tuæ, &
viuam: quia lex tua meditatio mea est.*
*78 Confundantur superbi, quia iniustè
iniquitatem fecerunt in me: ego autem
exercebor in mandatis tuis.*
*79 Conuertantur mihi timentes te, &
qui nouerunt testimonia tua.*
*80 Fiat cor meum immaculatum in iu-
stificationibus tuis, vt non confundar.*

CAPH.

*81 Defecit in salutare tuum anima mea:
& in verbum tuum supersperaui.*
*82 Defecerunt oculi mei in eloquium
tuum, dicentes: Quando consolaberis
me?*
*83 Quia factus sum sicut vter in pruina:
iustificationes tuas non sum oblitus.*
*84 Quot sunt dies serui tui: quando fa-
cies de persequentibus me iudicium?*
*85 Narrauerunt mihi iniqui fabulatio-
nes: sed non vt lex tua.*
*86 Omnia mandata tua veritas: iniquè
persequuti sunt me, adiuua me.*
*87 Paulominùs consummauerunt me in
terra: ego autem non dereliqui mandata
tua.*
*88 Secundùm misericordiam tuam viui-
fica me: & custodiam testimonia oris
tui.*

LAMED.

*89 In æternum Domine, verbum tuum
permanet in cælo.*
*90 In generationem & generationem
veritas tua: fundasti terram, & perma-
net.*
*91 Ordinatione tua perseuerat dies:
quoniam omnia seruiunt tibi.*

92 *Nisi quòd Lex tua meditatio mea est: tunc fortè periissem in humilitate mea.*

93 *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me.*

94 *Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.*

95 *Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.*

96 *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.*

MEM.

97 *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.*

98 *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.*

99 *Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.*

100 *Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.*

101 *Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.*

102 *A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.*

103 *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*

104 *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.*

NVN.

105 *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

106 *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

107 *Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundum verbum tuum.*

108 *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.*

109 *Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus.*

110 *Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.*

92 Nisi (quòd) Lex tua meditatio[a] mea (est,) tunc periissem in afflictione mea.

93 In æternum non obliuiscar mandata tua: quia in ipsis viuificasti me.

94 Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam mandata tua exquisiui.

95 Me expectant peccatores, vt perdant me: testimonia tua considero.

96 Omni perfectioni vidi finem: latum præceptum tuum [b] nimis.

מ

97 [b] Quomodò dilexi Legem tuam! tota die meditatio mea (est.)

98 Super inimicos meos prudentem me fecit præceptum tuum: quia in æternum mihi est.

99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

100 Super senes intellexi: quia mandata tua custodiui.

101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.

102 A iudicijs tuis non [d] declinaui: quia tu docuisti me.

103 Quàm dulcia [e] faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!

104 Ex mandatis tuis [f] intellexi: propterea odi omnem viam mendacij.

נ

105 Lucerna [g] pedibus meis verbum tuum: & lumen [h] semitis meis.

106 Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

107 [i] Humiliatus sum vsquequaque: Domine, viuifica me secundum verbum tuum.

108 Voluntaria oris mei [l] beneplacita habe quæso Domine, & iudicia tua doce me.

109 Anima mea in [m] manibus meis semper: & Legem tuam non sum oblitus.

110 Posuerunt peccatores laqueum mihi: & à mandatis tuis non erraui.

a *delectatio*
b *valde.*
c *Quàm*
d *recessit*
e *palato meo*
f vel *intellige:*
g heb. *pedi meo*
h heb. *semita mea.*
i *Afflictus*
l *accepta*
m heb. *manu mea*

111 Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei ſunt.

112 Inclinaui cor meum ad facienda ſtatuta tua in æternum [n] propter retributionem.

n vel potiùs vſque ad finem.

ס

113 [o] Iniquos odio habui, & Legem tuam dilexi.

o vel Cogitationes

114 Latibulum meum, & ſcutum meum (es) tu: in verbum tuum ſperaui.

115 Declinate à me maligni: & cuſtodiam præcepta Dei mei.

116 [p] Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & viuam: & non [q] confundas me ab expectatione mea.

p Confirma q pudore afficias

117 Adiuua me, & ſaluus ero: & [r] meditabor in ſtatutis tuis ſemper.

r vel delectabor

118 Conculcaſti omnes [s] diſcedentes à ſtatutis tuis: quia mendacium dolus eorum.

s prop. errantes

119 (Vt) ſcorias ceſſare feciſti omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.

120 Horruit præ timore tuo caro mea: & à iudicijs tuis timui.

ע

121 Feci iudicium, & iuſtitiam: [t] non tradas me opprimentibus me.

t ne derelinquas

122 [u] Suſcipe ſeruum tuum in bonum, ne opprimant me ſuperbi.

u Spõde pro ſeruo tuo

123 Oculi mei defecerunt [x] in ſalutare tuum, & [y] in eloquium iuſtitiæ tuæ.

x ad y ad

124 Fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam, & ſtatuta tua doce me.

125 Seruus tuus (ſum) ego, [z] da mihi intellectum: & ſciam teſtimonia tua.

z intelligere fac me:

126 [y] Tempus faciendi Domino: [z] diſſipauerunt Legem tuam.

y vel Tempore z irritam fecerunt

111 *Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei ſunt.*

112 *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

SAMECH.

113 *Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi.*

114 *Adiutor & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperaui.*

115 *Declinate à me maligni: & ſcrutabor mandata Dei mei.*

116 *Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.*

117 *Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.*

118 *Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis: quia iniuſta cogitatio eorum.*

119 *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.*

120 *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.*

AIN.

121 *Feci iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me.*

122 *Suſcipe ſeruum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.*

123 *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum: & in eloquium iuſtitiæ tuæ.*

124 *Fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam: & iuſtificationes tuas doce me.*

125 *Seruus tuus ſum ego: da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.*

126 *Tempus faciendi Domine: diſſipauerunt legem tuam.*

127 *Ideo dilexi mandata tua, super aurum & topazion.*
128 *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.*

PHE.

129 *Mirabilia testimonia tua:ideo scrutata est ea anima mea.*
130 *Declaratio sermonum tuorum illuminat : & intellectum dat paruulis.*
131 *Os meum aperui, & attraxi spiritum : quia mandata tua desiderabam.*
132 *Aspice in me, & miserere mei, secundùm iudicium diligentium nomen tuum.*
133 *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.*
134 *Redime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua.*
135 *Faciem tuam illumina super seruum tuum : & doce me iustificationes tuas.*
136 *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.*

SADE.

137 *Iustus es Domine: & rectum iudicium tuum.*
138 *Mandasti iustitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.*
139 *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.*
140 *Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.*
141 *Adolescentulus sum ego, & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.*
142 *Iustitia tua, iustitia in æternum: & lex tua veritas.*
143 *Tribulatio & angustia inuenerunt me : mandata tua meditatio mea est.*
144 *Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.*

COPH.

145 *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine : iustificationes tuas requiram.*

127 Ideo dilexi præcepta tua super aurum & obryzum.
128 Ideo omnia mãdata omnis (rei) recta duxi : omnem viam mendacij odi.

פ

129 Mirabilia testimonia tua : ideo custodit ea anima mea.
130 Ostium sermonum tuorum illuminat, intellectum dat paruulis.
131 Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia præcepta tua desideraui.
132 Aspice ad me, & miserere mei, secundùm iudicium erga diligentes nomen tuum.
133 Gressus meos dirige in eloquio tuo : & non dominetur mei omnis [a] iniustitia. *a iniquitas.*
134 Redime me ab oppressione hominum, & custodiam mandata tua.
135 Faciem tuam lucere fac [b] super seruum tuum, & doce me statuta tua. *b in*
136 [c] Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt Legem tuam. *c vel Riui aquarum defluxerunt*

צ

137 Iustus [c] es Domine, & rectum iudicium tuum. *c heb. tu*
138 Mandasti iustitiam testimoniorum tuorum, & veritatem valde.
139 [d] Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. *d heb. Succidit me*
140 Repurgatum est eloquium tuum valde: & seruus tuus dilexit illud.
141 Paruulus (sum) ego, & contemptus: mandata tua non sum oblitus.
142 Iustitia tua iustitia in æternum, & Lex tua veritas.
143 Tribulatio, & angustia inuenerunt me : præcepta tua [e] meditatio mea (est.) *e vel delectationes meæ.*
144 [f] Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam. *f Iustitia*

ק

145 Clamaui in toto corde : exaudi me Domine ; statuta tua custodiam.

146 Clamaui ad te, ſaluum me fac: & cuſtodiam teſtimonia tua.

147 Præueni in crepuſculo, & clamaui: in verbum tuum ſperaui.

148 Præuenerunt oculi mei vigilias, vt meditarer [a] eloquia tua.

a heb. eloquium tuum.

149 Vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam: Domine, ſecundùm iudicium tuum viuifica me.

150 Appropinquauerunt ſequentes ſcelus: à Lege tua longè facti ſunt.

151 Propè (es) tu Domine: & omnia præcepta tua veritas.

152 [b] Initio cognoui de teſtimonijs tuis, quòd in æternum fundaſti ea.

b Pridem

ר

153 Vide afflictionem meam, & eripe me: quia Legem tuam non ſum oblitus.

154 Iudica iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.

155 Longè à peccatoribus ſalus: quia ſtatuta tua non quæſierunt.

156 Miſericordiæ tuæ multæ, Domine: ſecundùm [c] verbum tuum viuifica me.

c heb. iudicia tua

157 Multi, qui perſequuntur me, & tribulant me: à teſtimonijs tuis non declinaui.

158 Vidi præuaricantes, & [d] tabui: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

d prop. tedio affectus ſum:

159 Vide quòd mandata tua dilexi: Domine, ſecundùm miſericordiam tuam viuifica me.

160 (A) principio [e] verba tua veritas: in æternum [f] omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

e heb. verbi tui f heb. omne iudicium

ש

161 Principes perſequuti ſunt me [g] gratis: & à [h] verbis tuis formidauit cor meum.

g ſine cauſa: h heb. verbo tuo

162 Lætor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

163 Mendacium odio habui & abominatus ſum: Legem (autem) tuam dilexi.

146 Clamaui ad te, ſaluum me fac: vt cuſtodiam mandata tua.

147 Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua ſuperſperaui.

148 Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.

149 Vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam Domine: & ſecundùm iudicium tuum viuifica me.

150 Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti ſunt.

151 Propè es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.

152 Initio cognoui de teſtimonijs tuis: quia in æternum fundaſti ea.

Res.

153 Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.

154 Iudica iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.

155 Longè à peccatoribus ſalus: quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

156 Miſericordiæ tuæ multæ Domine: ſecundùm iudicium tuum viuifica me.

157 Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: à teſtimonijs tuis non declinaui.

158 Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

159 Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in miſericordia tua viuifica me.

160 Principium verborum tuorum, veritas: in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

Sin.

161 Principes perſequuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.

162 Lætabor ego ſuper eloquia tua: ſicut qui inuenit ſpolia multa.

163 Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

164 *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.*	164 Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.	
165 *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.*	165 Pax multa diligentibus Legem tuam, & non (est) illis [a] scandalum.	a offendicu-lum.
166 *Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.*	166 Expectaui [b] salutare tuum Domine, & præcepta tua feci.	b salutem tuam
167 *Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.*	167 Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexi ea vehementer.	
168 *Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*	168 Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.	
TAV.	ת	
169 *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.*	169 Appropinquet [c] deprecatio mea in conspectu tuo, Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.	c clamor meus
170 *Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundùm eloquium tuum eripe me.*	170 Intret postulatio mea in conspectum tuum: secundùm eloquium tuum eripe me.	
171 *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas.*	171 [d] Eructabunt labia mea laudem, quum docueris me statuta tua.	d scaturient
172 *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.*	172 Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua [e] æquitas.	e iustitia.
173 *Fiat manus tua vt saluet me: quoniam mandata tua elegi.*	173 Sit manus tua ad adiuuandum me: quoniam mandata tua elegi.	
174 *Concupiui salutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea est.*	174 Concupiui salutare tuum Domine: & Lex tua [f] meditatio mea (est.)	f delectatio-nes meæ (sunt.)
175 *Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.*	175 Viuat anima mea, & laudet te: & iudicia tua adiuuent me.	
176 *Erraui sicut ouis quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*	176 Erraui sicut ouis quæ perit; quære seruum tuum: quia præcepta tua non sum oblitus.	

COMMENTARIVS.

Argumentum. IN hunc Pſalmum varia congeſta ſunt, quæ ad pietatem alendam & confirmandam faciunt: hicque ſcopus eſt authoris (quem Dauidem eſſe non dubito) præcipuus, vt doceat beatam vitam in obſeruatione diuinæ legis eſſe poſitam. Et quoniam humanarum virium non eſt totam vitam ad legis diuinæ regulam exigere, idcirco ſæpe Deum precatur, vt legis doctrina & amore animum ſuum imbuat. Hic Pſalmus eſt tantò præſtantior, quantò prolixior, viginti duobus videlicet octoſtichis conſcriptus, ea methodo, vt primi octo verſus omnes à prima alphabeti litera א incipiant: ita ſecundum octoſtichum à ב, tertium à ג incipiat, & ſic deinceps: quod, vt alias diximus, tantùm ad memoriam iuuandam videtur factum. Porrò nullus eſt verſus, ſi 122. excipias, in quo vnam ſaltem harum vocum non reperias, תּוֹרָה tora, id eſt, Lex, דֶּרֶךְ derech, Via, עֵדוּת edhuth, Teſtimonium, פִּקּוּדִים pikkudhim, Mandata, מִצְוֹת mitſuoth, Præcepta, אִמְרָה imra, Eloquium, ſeu Dictum, דָּבָר Verbum, ſeu Sermo, מִשְׁפָּטִים miſchpatim, Iudicia, צֶדֶק tſedeck, Iuſtitia, חֻקִּים chukkim, Statuta, אֱמוּנָה emuna, Veritas: quæ ferè omnia partes quædam ſunt ac ſpecies diuinæ legis. Atque hæ nunc videntur ſimul explicandæ, (etſi iam nonnullæ ad Pſ. 19. ſunt expoſitæ, & copioſè quidem) ne ad ſingulos verſus idem ſæpius cogamur repetere. Igitur Lex Domini in genere ſignificat doctrinam à Deo traditam & patefactam, eſtque vocabulum generale, quod omnes partes iſtius doctrinæ complectitur. Via Dei eſt Dei exemplum, quod quiſque ſtudere debet aſſequi, vt quemadmodum ex. gr. ille clemens eſt & miſericors, ſic quiſque operam dare debeat vt talis ſit. Via deinde in genere ſignificat viuendi rationem & inſtitutum. Teſtimonium ſignificat doctrinam illam, quatenus habet adiuncta teſtimonia, & ſacramenta ſeu ritus, qualia fuerunt in lege Moſaica Circunciſio, Sabbatum, Septimus annus, Iubileus, & alia id genus ceremoniæ. Mandata ea ſunt præcepta, inquit Kimhi hoc loco, quæ intellectus dictat, & ſunt inſtar depoſiti in corde hominis, atque idcirco nominantur פִּקּוּדִים pikkudhim, quaſi dicas Depoſita. Præcepta definit Kimhi alicubi quidquid Deus præcepit ad ſui cultum & amorem. Eloquium, Verbum ſeu Sermones promiſſiones Dei propriè notant, quanquam & hæc ſignificant vniuerſim omnia præcepta. Iudicia definit Kimhi rationes viuendi cum altero. Nonnulli putant Iudicia propriè ſignificare leges illas, quarum vſus erat in foro & iudicijs publicis. Iudicia & pro pœnis, quibus ſceleratos Deus caſtigat, vſurpantur, verſu 120. Iuſtitia iuſtum illud deſignat, quod omnibus præceptis ineſt. Statuta denique, ſi credimus Kimhi, ea ſunt præcepta, quorum ratio ignoratur: ex. gr. ſuis comedendæ, & veſtis ex lana & lino mixtis prohibitio, aliáque ſimilia. Veritas pro tota lege ponitur: quanquam in octonarij ל 2°. verſu aliud ſignificat. Verbum quoque in primo eiuſdem octonarij verſu peculiarem habet vſum. Vide ibi. Porrò quanquam hæc ferme omnia in ſpecie videntur differre ſignificatione, tamen in hoc Pſalmo tanquam ſynonyma promiſcuè vſurpantur, & doctrinam à Deo traditam in genere ſignificant, teſte etiam Kimhi. Voluit ſolùm Author iſta varietate appellationum eò plus reuerentiæ & dignitatis doctrinæ diuinæ conciliare. Eſt facilis hic Pſalmus: ideo non ero in eo explicando prolixior.

א

1 *Beati immaculati in via*, ad verb. *integri via*, hoc eſt, qui integris ſunt moribus: per *viam* enim intelligit mores & vitæ inſtitutum. *Qui ambulant in Lege Domini.* Explicat qui verè ſint integris moribus, eóſque eſſe ait, qui ex Legis diuinæ præſcripto viuunt.

2 *In toto corde*, ſic vt videlicet nihil præter eum quærant, non præmium, non laudem. Vel *in toto corde*, id eſt, verbo, & factis, abſque hypocriſi.

3 *Multò minus* (vel *Quantò magis non*) *operantur iniquitatem*, peccando in præcepta negatiua, ſi cuſtodiunt teſtimonia eius: (*ſed*) *in vijs eius ambulant*, hoc eſt, Deum ſtudent imitari, & eius quaſi veſtigijs inſiſtunt, vt quemadmodum Deum cernunt eſſe miſericordem, ſic miſericordes ſe præ-

A beant, & alia eius facta piâ & ſanctâ æmulatione aſſequi nitantur: quo ſenſu Chriſtus Dominus apud D. Lucam, cap. 6. diſcipulos ſuos ſic hortabatur, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* אַף *aph*, ſignificat hìc *quantò magis*, vt Iob 4. 19.

4 *Tu mandaſti mandata* &c. Mutatio perſonæ per apoſtrophen ad Deum. Hic vox illa, de qua in Arg. quæ ſonat *depoſita*. Præ-

B clara ſanè eſt huius verſus ſententia, Tu iuſſiſti vt tua illa mandata, quæ in corde hominis velut depoſuiſti, tanquam pretioſiſſima depoſita omni cura & ſollicitudine cuſtodiantur.

5 *Vtinam dirigantur* ſeu *diſponantur viæ meæ* &c. Dauid intelligens non poſſe hominem per ſe ſolum obedire legi, quam tamen adeo accuratè Deus iuſſit ſeruari,

optat cœlitus iuuari, atque ita suas actiones, res, ac mores à Deo componi, ac regi, legem vt possit ipse adimplere.

6 *Tunc non confundar* seu *pudefiam*, &c. Tunc scilicet cùm à te mores mei ad obseruationem tuæ Legis fuerint compositi, nihil non succedet, quodcumque è tuis præceptis tentem atque aggrediar. Kimhi sic ferme habet ad hunc versum: *Tunc non confundar*, &c. qui enim non seruat præcepta, non potest non erubescere, quum illa respicit ac legit: nam si furto tenetur, & fortè incidat in illud, *Non furaberis*, tunc profectò erubescet, & pudore suffundetur. In huius ergo sententia sensus est, Si viæ meæ dirigantur &c. tunc non afficiar pudore, ad quodcumque è tuis præceptis respexerim.

7 *Confitebor tibi* &c. Promittit se tum demum ritè & syncerè celebraturum Deum, quũ Legem, optimã scilicet celebrandi & colendi Dei regulam, bene fuerit edoctus.

8 *Statuta tua custodiam:* &c. Certum, inquit, mihi tuam Legem perpetuò seruare: tu ne me vnquam deserito, absque cuius ope ipse nihil possum. *Vsquequaque*, ad verb. *vsque valde*, quod nos hîc exponimus vnquam. Ezra hoc sensu vult accipi *vsque valde:* Ego custodiam statuta tua: tu verò *ne me derelinquas vsque valde*, hoc est, ea derelictione, vt non possim illa seruare. Kimhi refert ad verb. *custodiã*, vúltque hoc respondere ad illud versus 4. *custodiri nimis* seu *valde:* perinde ac si diceret, Certum est mihi custodire *vsque valde* statuta tua, hoc est, omnibus animi & corporis viribus: nunc verò tu *ne derelinquas me*, sed adiuua laborantem. Si sic sentire vis, includenda videntur parenthesi hæc, *ne me derelinquas*, quasi diceret, modò ne me deseras.

ב

9 *In quo corrigit*, in Fonte *mundabit adolescens* &c. Verbo *mundandi* significare vult ineunti ætati multas hærere sordes & maculas, quas, nisi Lex diuina, nihil possit eluere. *In custodiendo* statuta tua, quorum mox facta est mẽtio. *Sermones tuos.* In Fonte דְּבָרְךָ *dheuarecha*, id est, *verbum tuum* vel *verba tua:* nam Massora notat hoc vnum esse è tredecim quæ amittunt Iod plur. num notam. Multa sunt alia eiusmodi in hoc Psalmo. Vide vers. 37. דְּרָכֶךָ *dheracheha*. Sed hoc est grammaticale.

10 *Ne errare sinas me* &c. neque deseras conantem, sed adiuua tua gratia, vti cœpisti.

11 *In corde meo abscondi eloquia tua*, heb. *eloquium tuum*, &c. Sensus, Hæret mihi semper in animo tua lex, ne vnquam ab il-
A la declinem, & qua in re te offendam. Facilè in errorem & peccatum labitur, cui ex animo lex diuina excidit. Dulcis est metaphora in verbo *abscondendi*, ab ijs sumpta qui thesaurum inuentum abscondunt, ne pereat. Significare igitur vult legem Dei pijs hominibus esse loco thesauri.

12 *Benedictus tu* &c. Sensus, Ego benedico & confiteor tibi, quòd me docueris, & peto à te vt me docere pergas. Kimhi. Aliter Ezra: Propterea quòd confiteor te esse benedictum, doce me statuta tua: atque hæc merces est, quam à te postulo.

B 13 *In labijs meis pronuntiaui*, prop. *narraui* &c. Quoniam dixit *In corde meo abscondi*, nunc ait, Etsi abscondi in animo meo, nunquam cessaui tamen illa ore meo enarrare, tum vt eò magis illis assuescerem, tum vt alios ea edocerem. Sic penè Kimhi. Ezra dicit cohærere cum superiore versu: *doce me statuta tua*, quia tu scis solitum esse me enarrare atque edocere alios tua iudicia. Si *iudicia* in hoc versu accipere vis pro legibus iudicialibus, quemadmodum dictum est in Arg. sanè vox hæc erit regia. Iudicaui, & semper istis labijs sententiam in foro pro-
C nuntiaui ex legibus ore tuo sanctissimo dictatis. Satis apta profectò sententia.

14 *In via testimoniorum* &c. Sententia huius versus hæc est, Legis tuæ obseruatio mihi tam iucunda est, tantámque voluptatem adfert, quantam caperet aliquis ex omnibus mundi opibus simul congestis. Vel simpliciùs, Tam mihi iucunda est tuæ Legis obseruatio, quàm omnium diuitiarum possessio. Confert scilicet voluptatem, quam capit ex Legis obseruatione, cum
D voluptate, quæ maxima ex rebus terrenis capi potest. Huc congruit versus 11. Psal. 19. *Desiderabilia super aurum & obryzum multum*, &c.

15 *In mandatis tuis* &c. Diligentiam suam in Legis studio commendat, non vt eam iactet, sed vt alios exẽplo excitet. *Considerabo vias tuas*, per quas nos te sequi iubes. Possunt in hoc & sequente versu verba fut. per præsens exponi, nisi putas Dauidem hîc statuere, non tam quid adhuc fecerit, quàm quid in posterum facturus
E sit.

16 *Meditabor.* Alij אֶשְׁתַּעֲשָׁע *eschtaascha*, vulgò exponunt *delectabor:* ac propterea *non obliuiscar* illa, vtpote quæ animo sint & cordi. Rasi à Græco & Lat facit, qui interpretatur *studebo*, & probat hanc significationem ex duobus locis. Sed quid hoc refert ad sensum?

ג

17 *Retribue seruo tuo (vt) viuam*, &c. hoc est, Cõfer mihi hoc beneficium vt viuam,

quod sanè à te non peto, nisi vt tua exequar mandata, non vt genio indulgeam, & præsentis sæculi delicijs me oblectem. Porrò *Retribuere* in consuetudine hebraici sermonis non solùm est beneficium reddere, sed etiam vltro dare: atque in hanc sententiam accipitur hoc loco.

18 *Reuela oculos meos*, &c. Sensus, Aperi mihi oculos mentis, vt capere possim atque assequi illa mysteria quæ legi tuæ subsunt. Quemadmodum oculus solem absque luce solis intueri non potest, sic humana mens, nisi luce eius qui *dixit de tenebris lucem splendescere*, illustretur, diuina cœlestis doctrinæ mysteria non capit. D. Paulus non priùs visum recepit, quàm cecidissent ab oculis eius tanquam squamæ, vt scribitur Act. 9.

2. Corint. 4.

19 *Incola* (vel *Aduena*) *ego* (*sum*) *in terra*, atque ideo facile mihi est viarum ignaro aberrare, nisi tu mihi tuis mandatis præcas: *ne abscondas* igitur &c. Vel, *Aduena ego* (*sum*) *in terra*, & paucos dies hîc sum moraturus: itaque nihil me celes tuorum mandatorum, quò illa possim exequi, & per illa ad cælum, ad quod summo desiderio festino, peruenire.

20 *Confracta* (seu *Attrita*) *est anima mea* &c. Sensus, Animi mei vires omnes consumptæ, ac veluti attritæ sunt perpetuo cognoscendæ Legis tuæ desiderio, iugique adeo & assidua illius meditatione. Itaque *ne abscondas à me* &c. Ezra sic ferè exponit, Arsit & flagrauit anima mea desiderio exercendi iudicia in reos. Accipit hoc loco scilicet *Iudicia* pro legibus iudicialibus. Chal. vt Græc. & Lat. verbum גָּרְסָה *garesa*, vertit *Concupiuit*.

21 *Increpasti*, hoc est, Increpare solitus es. Ex Kimhi, siquidem גָּעַרְתָּ *gaarta*, constructum est absque ב, vertendum *Disperdidisti*. Nihil refert. *Superbos*, qui non curant tuam Legem. *Maledicti* &c. Sensus, Experientiâ didici, & quotidie illud videre licet, pessimè cum ijs agi, qui præcepta tua auersantur. Meritò igitur illa amo, & colo, scitum hoc semper arbitratus periculum ex alijs facere.

22 *Aufer* (prop. *Transfer*) *à me* &c. Sensus, Superbi isti tuarum legum contemptores quibus possunt probris me afficiunt, ac despiciunt, quòd illarum adeo sum studiosus: tuum est probra ista à me remouere, & in illos retorquere potiùs, & facere ut maximo dedecori sit, quòd à tuis mandatis abberrarunt: tuum est, inquam, qui increpare soles superbos.

23 *Etiam sederunt principes*, &c. Explicat latiùs id quod mox dixit de contemptu. Non modò, inquit, homines plebeij, sed etiam principes & optimates, quorum officij esset pietatem tueri, mihi solent detrahere, nec tantùm priuatim in cubiculis & mensis, sed publicè quoque sedentes pro Tribunali: idcirco ait *Etiam sederunt*. Verùm malo potiùs *sedendi* verbũ de consessibus, & colloquijs explicare, vt Ps. 1. 1. Neq; enim profectò probabile ausos esse Iudices, & Magistratus publicè & in Tribunali Dauidis pietatem cauillari, nisi fortè adhuc viuente & regnante Saule, aut postquam illos Absalom ad defectionẽ sollicitasset. Si alium, quàm Dauidem, Psalmi auctorem esse sentis, apta erit prior expositio. *Sederunt, locuti sunt*, hoc est, sedendo locuti sunt; non enim intercedit copulandi particula. נִדְבָּר *nidhbar*, obseruat Kimhi significare continuè & assiduè loqui. *Seruus* (*autem*) *tuus exercetur* seu *meditatur* &c. De se modestè loquitur in tertia persona, proinde ac si diceret, ego autem interea, qui me tibi addictum seruum & mancipium lubens profiteor, haudquaquam absterreor omnibus illorum sermonibus, quin totum me, vt cœpi, meditandis tuis statutis ac legibus tradam.

24 *Etiam* adhuc *testimonia tua meditatio mea* (*est.*) Rasi hic quoque, vt suprà, vers. 16. à Græc. & Lat. facit, qui שַׁעֲשֻׁעָי *schaaschuai*, exponit *occupatio mea, studium meum*. Communiter vertunt *oblectationes meæ*. Sensus præclarus, Tantùm abest vt Legis studium tædij aliquid aut laboris mihi adferat, vt *etiam* hæ sint meæ deliciæ. (*Et*) *viri*, vel ex Ezra, (*& sicut*) *viri consilij mei*, id est, testimonia illa tua mihi sunt pro consiliarijs in rebus dubijs & difficilibus. Alphonsus eximius Rex interrogatus, Qui essent optimi consiliarij? Mortui, respondit, libros intelligens, qui nihil blandientes puram merámque docent veritatem. Meliori iure hîc Dauid leges Dei sibi esse pro consiliarijs dixit.

ד

25 *Adhæsit* (*Adhæret*) *pulueri* &c. Sensus, Fateor indignissimis illorum iniurijs ita me affici, vt non procul abesse videar à morte, sed iam adhærere pulueri, & quasi affixus esse sepulchro: tu mihi vitam restitue, qui miseris & oppressis opem promisisti, quoties ad misericordiam tuam confugerent: recrea me, quemadmodum hoc ipso verbo pollicitus es, à quo consilium peto. *Adhæsit pulueri anima mea*. Simile occurrit Ps. 44. 26. *Quoniam humiliata* (*incuruata*) *est in puluerem anima nostra: adhæsit terræ venter noster*. Kimhi & alij restringunt hunc versum ad tempus illud, quando Dauid Absalomum fugiebat, de vita periclitans, & perinde se habens, ac si iam *adhæsisset pulueri anima eius*, & Deum orabat, *Viuifica me se-*

cundùm verbum tuum illud, *Ego occidam & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Deuter. 32. 39. aut *secundùm verbum tuum*, quo me per Nathan bene sperare iussisti, dicens, *Quúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis.* 2. Sam. 7. 12. Fortasse nihil aliud Dauid his verbis, *Adhæret pulueri anima mea*, vult significare quàm se humi prostratum & veluti terræ affixum, vt vix auelli queat, suppliciter orare. Sic videntur accepisse Græc. & Lat. qui pro puluere pauimentum verterunt. Theodosius Imperator semel humi stratus in templo, & veniam à D. Ambrosio petens, emisit hanc vocē, *Adhæsit pauimento anima mea:* &c.

26 *Vias meas enuntiaui* seu *narraui*, &c. Sensus, Tibi ego res omnes meas & necessitates, necnon peccata exponere consueui; neque tu mihi opem & misericordiam implorantí vnquam defuisti. Noli igitur nunc mihi deesse postulanti vt tua me doceas statuta.

27 *Viam præceptorū tuorum* &c. quasi diceret: Nō possū assequi mente & cogitatione admirabilē illā sapiētiam, quæ Legi tuæ subest, nisi tu viam præeas. Quidam posteri⁹ membrum reddunt, *& loquar de mirabilibus tuis*: quasi petat Dauid in hoc versu & doceri, & posse alios docere Legem Dei.

28 *Diffluit anima mea* &c. Repetit sententiam primi versus huius octostichi. Sensim, inquit, mœrore, quem ex aduersariorum contumelijs capio, consumor, & veluti diffluo: tuum est mihi vires addere, qui dixisti *percutiam, & ego sanabo*. (Deut. 32. 39.) Kimhi dicit *diffluendi* verbum ad lachrymas posse etiam pertinere. Lat. habet *Dormitauit* ex Græco Ἐνύσταξεν, quod fortasse obrepsit pro ἔσταξεν, *stillauit*: vel certè ἐστέναξεν, *ingemuit*, quo modo Græcus Iob 30. 25. verbum, quod hîc posuit Chaldæus, reddidit. Kimhi porrò hūc etiam versum restringit, sic, *confirma me* in regno, sicuti promisisti per Nathan Prophetam, 2. Sam. 7. 16. *thronus tuus erit firmus*.

29 *Viam mendacij*, id est, falsa & praua dogmata, errores. *Et Lege tua dignare me*, seu *Legem tuam largire mihi*, id est, institue me in Lege tua. Nota syntaxin & significationem verbi חָנַן *chanan*, quod hoc loco est *donare ex gratia*. Similē obtinet constructionem & significationem Iud. 21. 22. vbi חָנּוּנוּ אוֹתָם *chonnunu otham*, id est, *donate nobis ex gratia illas*, vel *dignamini nos illis*.

30 *Viam veritatis*, legem tuam scilicet. Opponitur hoc priori parti præcedentis versus. *Iudicia tua proposui* mihi semper ante oculos. Græcus & Lat. sensum tantùm videntur sequuti.

31 *Adhæsi testimonijs tuis*, &c. Postquam tuæ legi addiscēdæ tam pertinaciter adhæreo, tu facito vt ne sit irritus meus labor, néve operæ & instituti pœniteat. Vel sensus, Tuæ doctrinæ studium ita amo & amplector, vt nulla res me ab eo possit auellere: tu ne permittas vt eo nomine sim apud hostes probro. *Adhæsi.* Emphaticè in Græco Ἐκολλήθη.

32 *Viam mandatorum tuorum* &c. Sensus, Non lentè, sed alacriter, & celeriter amplum illud mandatorum tuorum spatium ac stadium decurram, si tu mihi mentem tantæ rei capacem largitus fueris. *Latitudo cordis* pro mente multarum rerum capace vsurpatur 1. Reg. 4. 29. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ (est) in litore maris.*

ה

33 *Semper*, & quandiu viuam. Ezra עֵקֶב *ekeu*, interpretatur (*propter*) *mercedem*, iuxta illud Ps. 19. 12. *in custodiendis illis retributio (merces) multa.* Hanc vocem versu 112. Græcus & Lat. reddiderunt *propter retributionem*. Kimhi Ezræ sententiam refellit, quòd pugnet cum illo Veterum magistrorum dicto, *Ne estote seruis similes, qui seruiunt mercedis ergô.* Citat parentem honorificè, vt solet, cúmque ait exponere (*pro*) *mercede*, hoc sensu, merces, quòd me docueris viam statutorum tuorū, hæc erit, quòd *custodiam eam*. Sentit ipse exponendum esse *in finem vsque* vitæ meæ. Aliter Græc. & Lat. prædictam vocem hîc, aliter ad vers. 112. interpretati sunt: hîc *semper*, illic *propter retributionem*.

34 *Da mihi intellectum* seu *intelligentiam* Legis tuæ, &c. Repetit sententiam præcedentis versus, nisi quòd pro *semper* dicit *in toto corde*, quasi diceret, non solùm semper, sed etiam omni animi contentione.

35 *Deduc me* &c. illustrando mentem, & mouendo voluntatem, vt nunquam possit neque mens, neque voluntas aberrare. *Quia ipsam volui*, & hæ sunt meæ deliciæ, decurrere iter tuorū mandatorum. Suprà, versu 14. exposuerat iam sibi esse cordi diuinæ Legis obseruationem, nunc petit vt qui dedit velle, det & perficere.

36 *Inclina cor meum* &c. Intelligens Dauid nihil tam officere studio pietatis quàm auaritiam, imò *radicem omnium malorum esse cupiditatem* (1. Timoth. 6.), optat animum suum ab opum cupiditate auersum ad Dei Legem inflecti, quam omni auro pretiosiorem & chariorem habeat.

37 *Auerte oculos meos* &c. Vulgò Hebræi dicunt *oculos & corliceri*, seu *proxenetas esse peccati*: quod enim oculus videt, cor con-

cupiſcit: atque inde peccatum: & notum A
eſt illud cuiuſdam, ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται τὸ ἐρᾷν. Vetabat idcirco Deus Num. 15. 39. aſpicere poſt cor & oculos. Et B. Iob ſic dicebat, *Si declinauit greſſus meus à via, & poſt oculos meos abijt cor meum*, &c. Iob 31. 7. Optimè igitur Deum precatur ne ſinat oculos diuagari ad res vanas, quæ prauas cupiditates in corde excitent, vnde naſcantur peccata. *In via tua viuifica me.* Nam, inquit Ezra, eius hominis dies prolongantur, qui non ambulat poſt oculos ſuos. Et peccatum, ait Kimhi, interficit hominem. Huc pertinet illud B
Deut. 30. 15. *Vide, propoſui hodie in conſpectu tuo vitam, & bonum, mortem item & malum.* Legendum totum illud caput.

38 *Statue ſeruo tuo* &c. Senſus, Mihi ſeruo tuo promiſſum ſerua, hoc eſt, da gratiam & opem, quam facienti, quod in ſe eſt, eámque ex animo poſtulanti, tuíque timenti pollicitus es. *Statue* ſeu *confirma eloquium tuum*: vern. *tiens ta parolle.* *Qui timori tuo*, ſeſe addixit ſcilicet. Exegeſis eſt *τῷ ſeruo tuo.* Potes tamen vertere & exponere, *quod*, nimirum eloquium ſeu promiſ- C
ſum, *ad timorem tuum* pertinet, id eſt, ad tui cultum & timorem conducit. Ezra ſic explicat, Statue omne decretum, quod me ad tui timorem adducet.

39 *Aufer opprobrium meum* &c. Senſus eſt, meo iudicio: Noli permittere vt in te ac tuas leges peccem, quod mihi ſummo eſſet probro, quódque adeo ſemper veritus ſum: nam lege tua, quippe bona, vehementer delector. Poſterius membrum eſt ratio horum verborum *quod timui.* Eodem pertinet prius membrum ſequentis verſus. Kimhi D
Dauidem exiſtimat in hoc & præcedente verſu petere à Deo, vt quemadmodum ſibi pollicitus eſt, regnum poſteris confirmet, modò eius timori adhæreant, pro conditione nimirum promiſſo addita; néve ſe apud poſteros in probro eſſe velit, ſi ob patris peccatum à regia poteſtate excidiſſe intelligant. Peccatum cum Bethſabee intelligit, quod ſciret quidem Dauid ſibi condonatum, ſed vereretur ne pœna ad poſteros perueniret. Poſterius membrum huius verſus ſic autem exponit, E
quia indicia tua bona ſunt, neque iudicas & punis hominem, vt dignus eſt, túque bonus & miſericors. Si hanc expoſitionem ſequi vis, vide vt *ſeruo tuo* accipias collectiuè. Poſſunt hi verſus optimè ad tempus coniurationis Abſalomi referri, quaſi petat Dauid, primùm iuxta Dei per Nathan promiſſum à morte ſeruari: deinde non deſtitui regno, quod illi eſſet probroſum; & id pro bonitate ac lenitate diuinorũ iudiciorum. Ad hanc expoſitionem optimè congruent ſequentes verſus.

40 *Ecce, concupiui* &c. Senſus, Nihil mihi vnquam fuit tuis mandatis antiquius aut optatius: te igitur oro, qui iuſtus es, vt mihi vitam largiaris, quò poſſim ſcilicet omnia illa exequi. Kimhi iuxta præcedentium verſuum expoſitionem ſic ferè habet, Quanquam peccaui, nihilominus ſemper magni feci & magni facio tua mandata: ac propterea *in iuſtitia tua viuifica me*, quaſi diceret, proroga vitam meam, vt exequar mandata. Ego, ſi referre placet ad coniurationem Abſalomi, cenſeo exponendum hunc verſum, Conſerua me in vita, nec patere me nunc perire, qui tantoperè delector tuis mandatis.

ו

41 *Et veniant ſuper me* &c. Apparet ex poſteriore membro ſuperioris verſus, & duobus primis huius octonarij verſiculis Dauidem in vitæ diſcrimine fuiſſe, quum hæc cecinit. Ego puto hæc ad coniurationem Abſalomi eſſe referēda. *Salutare tuum* ſeu *ſalus tua*, per quam ſeruer ex his periculis. *Secundum eloquium tuum*, hoc eſt, quemadmodum dixiſti & pollicitus es mihi te facturum, per Nathan, qui tuis verbis ſecurum me eſſe iuſſit de vita, 2. Sam. 12. 13.

42 *Et reſpondebo exprobrantibus* (heb. *exprobranti*) *mihi*, &c. Senſus, Vt habeam quod reſpondeam exprobrantibus mihi, quòd in tuis verbis & promiſſis acquieſcam, & dicentibus, *Non* (*eſt*) *ſalus ipſi in Deo. Verbum* pertinet ad *reſpondebo.* Nam ſimilis conſtructio 1. Paral. 21. 12. *nunc igitur vide quod reſpondeam mittenti me, verbum*: ſic enim in Fonte. Poſterius membrum referendum ad *exprobrantibus mihi.* Potes vertere *quia*, vel *quòd.*

43 *Et ne auferas ex ore meo* &c. Quoniam mox dicebat, *Et reſpondebo exprobrantibus mihi, verbum*, nũc vt explicet quod verbũ, Deum rogat ne ſibi ex ore auferat verum illud verbum, ſcilicet Deum promiſſa ſemper præſtare, ſuíſque laborantibus ſemper adeſſe. Subijcit rationem, *quia in iudicijs tuis ſperaui*, ſeu *iudicia tua expectaui*, ideóq; tuũ eſt me vlciſci, ac defendere, qui opem miſeris ad te confugientibus promiſiſti. Ego puto ſic exponendum hunc verſum: etſi alij aliter accipiunt. *Iudicia* accipio hîc pro tota Lege Dei & doctrina, vel certè ſtrictiùs pro pœnis, quas Lex minatur.

44 *Et tunc cuſtodiam* &c. Promittit ſe ad finem vſque vitæ Legem obſeruaturum, ſi liberetur. Non eſt, mihi crede, otioſa congeries illa tot vocum idem ſignificantium, ſed ad vehementem affectum exprimendum pertinet.

45 *Et ambulabo in latitudine*, id eſt, in lata

via, &c. Sensus, Tunc liberior factus, & ex angustijs, quibus nunc coarctor, eductus, non amplius mihi erunt quærenda diuerticula, sed regiam & latam tuæ Legis viam ingrediar, & quidem summa voluntate, quandoquidem nihil mihi vnquam illa fuit antiquius. Sic mihi videtur exponendus hic versus.

46 *Et loquar de testimonijs* &c. Ostendit se latam viam ingressurum, & palàm ac publicè Legis studium & professionem amplexurum. Ac nihil dubitabo, inquit, neque erubescam tunc, si opus sit, vel apud ipsos Reges, qui res regni solùm curant & tractant, de Lege tua disserere. Exemplum Dauidis vir pius debet imitari, & coram ipsis Regibus de Dei doctrina liberè atque audacter loqui, si opus sit, & cogitare se ante illos adductum propter nomen Dei in testimonium. Potes interpretari *non erubescam*, id est, facilè illos argumentis & rationibus conuincam, neque me, sed illos pudebit.

Matth. 10.

47 *Et meditabor* vel *delectabor* seu *oblectabo me* priuatim.

48 *Et leuabo manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi*, id est, Præcepta tua, vt rem mihi longè charissimam auidè tunc complectar, & obuijs veluti manibus excipiam. Prouerbialis hîc est locutio, cui latina extat similis, ducta ab ijs qui porrectis manibus properant in complexu eorum, quorum magno desiderio tenebantur. Latini etiam dicunt, *Ego tuas litteras obuijs vlnis excipiam*. Ezra hoc sensu accepit. At Kimhi & alij vulgò *leuare manus ad præcepta* pro admouere manus operi, & factis exprimere præcepta interpretantur, quod non aptè admodum conuenit posteriori membro, vbi solùm meditationis mentio fit. *Exercebor*, prop. *meditabor*: vel *loquar* secundùm Kimhi.

ז

49 *Memor esto verbi* &c. Intelligo hoc de promisso Dei verbis cum Dauide per Nathan Prophetam inito, quòd scilicet non esset moriturus ob peccatum. Vide 2. Sam. 12. 13.

50 *Hæc mea consolatio* (*est*,) quòd nimirum bene me sperare iussisti: nam promissum illud tuum quoties mihi de salute desperanti, ac penè exanimato tantis periculis vitam reddidit? Hoc significat posterius membrum.

51 *Superbi deriserunt* &c. Sensus, Non cessarunt hactenus superbi illi tuarum legum contemptores proteruè in me insultare, eo potissimùm nomine quòd illarum adeo sim studiosus: nec tamen propterea quicquam ab illis deflexi. Testis est sacer contextus custodiuisse Dauidem mandata

A Domini, & ambulauisse post illum in toto corde suo, faciendo tantùm, quod rectum esset in oculis eius, 1. Reg. 14. 8. necnon fecisse Dauidem rectum in oculis Domini, neque declinasse ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, præterquam in re Vriæ Hetthæi, 1. Reg. 15. 5.

52 *Memor fui* ac sum semper *iudiciorum tuorum*, hoc est, pœnarum, quas tibi similes olim homines dederunt. Sic Ezra. *Et consolatus sum* passiuè, (prop. *meipsum consolatus sum*) spem habens te idem hoc tem-

B pore facturum. Kimhi sic ferè exponit, Ego in meis malis redeo in memoriam, quæ olim mala, quas calamitates seu afflictiones pijs hominibus immiseris, quos postea varijs bonis ornaueris: atque maximam inde capio consolationem, ac spero meliora. Rasi eodem ferme modo, *Memor fui iudiciorum tuorum à seculo*, quòd tu nimirum iratus interdum infligis pœnas seu calamitates, mòxque iram mittis, & parcis: ideóq; ipse me consolari soleo. Sic ferè ille.

53 *Defectio*, prop. *Tremor*, seu *Horror te-*

C *nuit me* &c. Horror, inquit, inuadit me, totúsque corpore contremisco, quoties in mentem venit quæ pœnæ impijs tuarum legum desertoribus impendeant.

54 *Cantiones mihi fuerunt* &c. Redit ad commendationem diuinæ Legis. Huius vitæ, inquit, quam ego solùm peregrinationis loco habeo, tædium & molestias cantandis tuis statutis leuare soleo. *Domum peregrinationis* seu *peregrinationum* videtur appellare metaphoricè pro vita, quæ degitur

D in terris, in quibus non habet homo ciuitatem permanentem. Hoc sensu suprà, versu 19. dicebat *Incola ego* (*sum*) *in terra*. Similiter & Ps. 39. 13. Et Iacob Gen. 47. 9. *Dies annorum peregrinationis meæ*, heb. *peregrinationum mearum* &c. Deus Leuit. 25. 23. prohibens terram vendi in perpetuum, hanc adferebat caussam, *quia mea est terra: vos enim aduenæ & coloni mei estis*, heb. *estis apud me*. Platoni παρεπιδημία τις βίος. Atque etiam animaduertendum מְגוּרַי *meghurai*, exponi posse *peregrinationum* simul & *pauo-*

E *rum* seu *formidinum mearum*, quòd hæc vita simul & peregrinatio sit, & varijs vndique pauoribus, qui peregrinationes solent comitari, obsessa. Habet igitur vir pius quòd lætetur se in vita, quasi in domo seu loco peregrinationis, tantùm versari. Potest illud *in domo peregrinationum*, referri ad varia Dauidis exilia, tum propter Saulem, tum propter Absalomum. Prius tamen magis se mihi probat, quia dicit *in domo*.

55 *Memor fui* ac sum *nocte* &c. Per *noctem* Rasi intelligi vult tempus angustiæ & caliginis. Ego accipio, vt sonat, hoc sensu,

Tanta est voluptas, quam ex recordatione tui nominis capio, vt quod tempus alij somno & quieti tradunt, ego libens gloriæ tui nominis contemplationi, & si fert occasio, tuæ etiam Legis obseruationi impendam.

56 *Hoc factum est mihi:* &c. Sensus, meo quidem iudicio, Hoc merui, vt noctu etiam tuæ Legi vacarem, quòd tuorum mandatorum semper fuerim studiosus obseruator. Huc pertinet illud Rabbinorum, *Merces præcepti præceptum*, vel, *Præceptum trahit præceptum.* Quorum hæc sententia est, qui vnum præceptum obseruat, ei Deus quasi præmij loco hãc gratiam concedit, vt aliud, & difficilius obseruare possit. Cõtrarium est illud eorundem Rabbinorum, *Merces peccati peccatum*, vel, *Delictum trahit delictum.*

ח

57 *Portio mea Domine, dixi*, &c. Sensus, Habeant sibi alij suas opes, honores, & cætera eiusmodi: at ego, ô Domine, sic statuo, pars & portio mea est, (nec aliud opto) vt tuis dictis pareăm. Hæc simplicissima sententia.

58 *Miserere mei secundùm eloquium tuum*, quo dixisti Exo. 33. 19. *& miserebor cuius miserebor*, id est, cuiuscumque voluero misereri.

59 *Cogitaui* seu *Reputaui*, & diligenter quidem, (nam verbum est Piel) facultate mihi primùm data, quum duas cernerem vias, vnam voluptatis, seu peccati, alteram virtutis, & tuorum mandatorum, vtram ingredi melius esset, tandémque supputato damno præcepti cum præmio, & contrà peccati præmio cum damno, in viam me tuorum mandatorum dedi.

60 *Festinaui*, &c. Sensus, Re cognita, nihil sum cunctatus, sed mox præceptis tuis seruandis incubui.

61 *Funes peccatorum* &c. Nihil caussæ esse putaui cur hîc discederem à Græca & Latina versione, quæ optimam & perspicuam sententiam reddunt, cùm nec inter Hebræos constet quid hoc loco significet vox חֶבְלֵי *cheule*; aliique, vt Chald. & Rasi *cateruas*, alij verò, vt Ezra, *dolores* interpretentur: neque quid עִוְּדוּ *iuuedhu*, quod alibi quàm hîc haud reperitur; aliique, vt Menachem, in *spoliandi* seu *prædandi*, alij verò, vt Chald. & Rasi, in *coeundi* seu *conueniendi*, alij denique, vt Ezra, in *apprehendendi* significatu exponant. Sed חַבְלֵי *chaule*, cum patach sub ח, est *funes*, non item חֶבְלֵי *cheule*, cum segol. Esto hoc soleat fieri. Verùm potuit facilè vox similis cum simili confundi, & vna pro alia vsurpari. Deinde fortasse Dauid hac voce ambigua, quæ & *funes* & *cateruas* mutatione vnius punctuli potest significare, ad gratiam sermonis vsus est de industria, & vtrumque voluit designare. Quod attinet ad עִוְּדוּ *iuuedhu*, cùm hic duntaxat occurrat, neque adeo de eius significatione certò constare posset, non malè profectò ad *funium* significatum *circumplectendi* verbum adiunxerunt Græcus & Lat. præsertim cum Ezra illud reddat *apprehenderunt.* Iuuat B. Hieron. qui interpretatus est, *Funes impiorum implicauerunt me.* Sensus porrò in Græca & Lat. versione planus, Non semel ab improbis fui obsessus, & quasi funibus implicatus, nunquam tamen Legis tuæ memoriam abieci, sed perpetuò illi operam dedi. Eodem sensu ex Chald & Rasi potes vertere, *Cateruæ improborum conuenerunt aduersùm me.* Potes vertere *Dolores improborum apprehenderunt me*, hoc sensu, Multa mihi mala & ærumnas scelerati intulerunt.

62 *Media nocte surgo* è lectulo, &c. Hinc didicisse Ecclesiam surgendum esse media nocte ad nocturnam Psalmodiam monet Card. Bellarminus: hunc enim, inquit, locum allegant auctores, qui de diuinis officijs scripserunt. Media nocte surrexerunt virgines, vt obuiam irent Sponso, quæ intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua, Matt. 25. Si Christo credere volumus, vigilãdum nobis est, (nescimus enim quando Dominus domus veniat: serò an media nocte, an galli cantu, an manè) ne cùm venerit repentè, inueniat nos dormientes, Marci 13. *Iudicia iustitiæ tuæ*, id est, iustissimas tuas leges. Ezra, & alij de pœnis, quibus improbos Deus iustè afficit, intelligunt.

63 *Particeps*, prop. *Socius ego* (*sum*) &c. Sensus, Improbos odi: sed tui timentes, & tuarum legum religiosos obseruatores ita colo atque amo, vt ego cum ijs societatem & amicitiam ineam. Vtinam Reges regiam hanc vocem attenderent.

64 *Misericordia tua plena est* &c. Quia intelligebat hominẽ per se parũ posse proficere in studio pietatis, nisi à Spiritu sancto regatur & instruatur, idcirco nunc Deum precatur, vt se pro infinita misericordia, cuius neminem in terris expertem esse patitur, suam Legem edoceat.

ט

65 & 66 *Bonum fecisti* &c. Sensus huius & sequentis versus, In multis iam rebus, ac præsertim quod ad tuam doctrinam attinet, benignè fecisti, fateor, mihi seruo tuo, quemadmodum es pollicitus: sed est quod à te præterea petam, nempe vt quicquid boni sensus, & scientiæ Legi tuæ inest, edoceas, ac nihil iam nunc me celes: semper enim tuæ Legi fidem habui, ab eáque sola nunc pendere certum est.

67 *Priusquam*

67 *Priusquam humiliarer* seu *affligerer*, *ego deliqui* seu *erraui*: &c. Sensus, Antequam his malis, & calamitatibus, quasi ferula, à te castigarer, fateor me ignoranter & inconsideratè multa peccasse in tuam Legem: nunc autem admonitus ac domitus, cautior & diligentior sum in ea obseruanda. *Ego deliqui*. Ad verb. *ego errans*, hoc est, errabam. שׁגג *schaghagh*, significat tantùm imprudentem & inconsiderantem peccare.

68 *Bonus* (*es*) *tu* erga eos qui minimè petunt, *& benefaciens* ijs qui petunt. Sic hæc duo distinguit Ezra. *Doce me* igitur &c.

69 *Concinnauerunt aduersùm me* &c. Sensus, Non sine artificio mendacia mendacijs veluti assuerunt contra me superbi illi tuarum legum contemptores hostes mei; quò probarent me esse hypocritam, aliúdque habere in fronte, aliud in pectore: qui tamen nunquam efficient, quin totis animi viribus tuis exequendis mandatis studeam. Iob 13.4. similis est locutio ei, quæ est hic, *Atqui vos concinnatores mendacij*.

70 *Impinguatum est* &c. Sensus, Illi, falsa voluptate veluti adipe obstructis sensibus, nulla ex Legis tuæ studio voluptate afficiuntur: *ego* (*verò*) *Legem* &c. Similis est loquutio Deut. 32. 15. *Et saginatus est Israël, & recalcitrauit; impinguatus, incrassatus, obductus* (*adipe*:) *& dereliquit Deum factorem suum, & despexit Deum* &c. Vide simile Ps. 17. 10. Iob 15. 27. Græcus & Lat. legerunt חָלָב *chalau*, id est, *lac*, pro חֵלֶב *cheleu*, id est, *adipe*. Ideo etiam interpretati sunt טָפַשׁ *taphasch*, quod hic tantùm occurrit, *Coagulatum est*. D. Hier. vertit, *Incrassatum est velut adeps* &c.

71 *Bonum mihi quòd* &c. Idem huius versus sensus, & 67. Eadem de re bis gratias agit, tanquam de maximo beneficio. Significanter atque efficaciter vertere Græc. & Lat. *humiliasti me*. Kimhi hoc sensu accipit hunc versum: Bonus mihi & iucundus labor, quem tuis ediscendis statutis impendi: alij toti in diuitias incumbant: ego profectò lubens in tuæ Legis studio animum & corpus fatigaui: quia *Bonum mihi Lex* &c. Sic fere ille, in cuius sententia verte potiùs *quòd afflixi me*.

72 *Bonum mihi Lex* &c. Hunc versiculum quidam R. Ioseph prouocatus spe ingentis lucri, vt adiret locum, vbi nulla erat Synagoga, fertur adduxisse, vt se excusaret. Meminerimus nos Christiani.

73 *Manus tua fecerunt me*, &c. Sensus, Tu me fecisti, ac veluti tuis manibus effinxisti: sed hoc parum est, nisi etiam animum meum tuæ Legis scientia imbuas. Origenes & alij nonnulli verbum *faciendi* de anima, *plasmandi* verò de corpore dici volunt.

74 *Qui timent te*, &c. Sensus, Quum tui timentes viderint me ereptum ex his malis, (nam puto ad hoc esse referendū hūc vers.) enimuerò tunc seriò lætabūtur, & triūphabunt, quòd ego in verbo & promisso tuo spem semper habuerim. Interpretabuntur enim certè me tua ope seruatum, ac sic in sua spe meo exemplo confirmabuntur. *Qui timent te, videbunt me*. In Fonte est paromœon elegans, יְרֵאֶיךָ יִרְאוּנִי *iereecha yrüni*. *In verbo tuo* &c. Emphatice in Fonte *ad verbum tuum speraui* seu *expectaui*.

75 *Cognoui Domine, quòd* &c. Sensus, Quum ipse me excutio, & quæ in te admisi, considero, agnosco, ô Domine, fateórque me iustè à te castigatum, & pro rei veritate, ac sicuti ipse merebar, nam hoc significat *&* (*in*) *veritate*. Hominum iudicium iustum interdum esse potest, nec tamen verum; vt quum aliquis ex falsis testibus damnatur: *iudicium Dei* semper *est secundum veritatem*, vt loquitur Apost. ad Rom. 2. Deus enim falli non potest. Nonnulli vertunt posterius membrum, *& veritas*, (*quibus*) *afflixisti me*; sicque ordinant constructionem, *æquitas & veritas iudicia tua*, (*quibus*) &c. Sed Kimhi vult suppleri ב id est, *in*, & supplet Chaldæus; neenon Græc. & Lat. quorum hic præter Fontem addit *tuâ*.

76 *Sit nunc* vel *quæso misericordia* &c. Vir sanctus optat fieri tandem modum & finem malorum, ne tandem moriatur, contrà quàm pollicitus ipsi fuerat Nathan Dei verbis, *non morieris*. 2. Sam. 12. 13. Huc & pertinet sequens versus.

77 *Vt viuam*, sicuti mihi per Nathā promisisti. *Quia lex tua meditatio* seu *delectatio mea* (*est*.) Quasi diceret, Non alia de caussā cupio viuere, quàm vt in tua Lege perpetuò mediter, ac me oblectem. Vel, hoc peto à te, non vt aliquid à me præstitū sit quod illā gratiā mereatur, nisi fortè quòd hactenus vnum Legis tuæ studiū me oblectauit.

78 *Confundantur* seu *Pudore afficiantur superbi* isti tuarum Legum contemptores, (videtur hic hostes notare) *quia falsò peruerterunt me*, hoc est, frustra me toties tentarunt auertere à rectâ via. Ego enim tātò propensiore animo deinceps tuæ Legi meditandæ incumbam. Huc spectat posterius membrū. Ex Kimhi & Rasi hic est sensus, Pudore afficiantur, quia falsò me accusarunt, ac peruersum dixerunt, cùm ego totus sim in meditandis tuis mandatis. Priore modo accepit Ezra.

79 *Conuertantur ad me* &c. Sensus, Adiungant se mihi, deserta superborum istorum societate, quotquot tuum numen verentur, & colunt. Elegans est paromœon in voce יֵבֹשׁוּ *ieuoschu*, id est, *pudore afficiantur*, quæ est in superiore versu, & יָשׁוּבוּ *iaschuuu*, id est, *conuertantur*. Sæpe aliàs hæc duo simul coniunguntur.

80 *Sit cor meum immaculatum* seu *integrum* &c. Superbi pudore afficiantur: at ego minimè. Tu igitur me adiuua, vt syncero corde in obseruandis tuis statutis perpetuò versari possim, ac sic nunquam pudore afficiar.

כ

81 *Defecit ad salutare tuum* &c. Sensus, Tuam opem animo præ desiderio deficiens expecto, opem, inquam, quam promisisti: expecto, vt mihi sis auxilio, méque è manibus hostium eripias, quemadmodum fuisti pollicitus. Hoc, ait Ezra, argumento est tunc sibi timuisse ab hostibus.

82 *Defecerunt oculi mei* assiduè in cælum intenti, & aspicientes ánne veniat salus à te promissa, hoc significat *ad eloquium tuum*. Vtitur figura sermonis sumpta à communi hominum consuetudine, qui auxilium expectantes identidem huc illuc respiciunt, dum interdum oculi deficiant. Similis locutio Psal. 69. 4. Sic B. Iob dixit, cap. 31. 16. *Si prohibui à voluntate pauperes, & oculos viduæ deficere feci*, longa scilicet expectatione. *Quando consolaberis*, hoc est, recreabis, *me* ab his malis?

83 *Quia factus sum sicut vter in fumo:* &c. Suam cutem comparat vtri fumo exsiccato ac macerato: proinde quasi diceret, Tempus est vt adsis mihi, qui præ magnitudine calamitatum ita confectus sum, vt vtri ad fumum suspenso similis videri possim: nec adhuc tamen legum tuarum oblitus sui.

84 *Quot* (*sunt*) *dies* &c. Sensus, Quantulum mihi supersit vitæ vides: parùm absum à morte: quando igitur tandem de aduersarijs meis supplicium sumes? Dixit emphaticè *dies serui tui* pro dies mei.

85 *Foderunt mihi superbi* &c. Significat hostes non tantùm aperta vi, sed etiam dolis & fraudibus se oppugnare. Similitudinem adhibet sumptam ab ijs, qui feris foueas parant, vt in eas incautæ incidant. Simile est Psal. 57. 7. *foderunt ante faciem meam foueam*. *Quod non secundùm Legem tuam*, quæ fraudes inprimis prohibet. Conatur Deum ad opem ferendam magis extimulare, dum hostes affirmat non sibi tantùm iniurios esse, sed etiam ipsius Legi. Kimhi *superbos* interpretatur consiliarios Saulis, aut Absalomi: *foueas* consilium malum, quod exitiosum est instar profundæ foueæ. *Quod non secundùm Legem tuam*, qui prohibuisti effundi sanguinem innocentem. Sic ad hoc Ezra & Kimhi. Græc. & Lat. pro *foueas* verterunt *fabulationes*, quia legerunt שִׂיחוֹת *sichoth*, pro שִׁיחוֹת *schichoth*, שׂ sinistrum pro שׁ dextero. *Narrauerunt* vnde acceperint, nescio.

86 *Omnia mandata tua veritas:* tu autem prohibuisti ne tenuioribus & imbecillis vis vlla inferretur; eósque vindicas aduersùs potentiorum iniurias, iuxta illud Deut. 10. 18. *Facit iudicium pupillo & viduæ, & amat peregrinum, dando ei victum atque vestitum*. Hoc si ita est, fer mihi opem indignè oppresso. Ita ferè Kimhi.

87 *Paulominus* (*Ferè*) *consumpserunt* &c. Optima ratio impetrandi auxilij à Deo. Parum abest quin me è terra penitus sustulerint, neque tamen adhuc deserui tua mandata. Imitandum Dauidis exemplum, ac robur, nec ad vocem ancillæ trepidandum, & negandus Christus. *In terra* quum addit, ostendit aliam in cælo vitam se expectare.

88 *Secundùm misericordiam tuam*, quam adhuc semper expertus sum, *viuifica me*, hoc est, vitam mihi quasi emortuo & exanimato restitue. Declarat mox cur optet viuere, quum ait, *& custodiam* &c. quoad viuam.

ל

89 *In æternum, Domine*, &c. Ezra hunc versum de Dei decretis intelligit, quæ firma & stabilia sint in cælis. Kimhi de verbo, per quod cælos Deus condidit, quod quidem verbum æternùm in cælis perstabit: siquidem cæli, eorúmque exercitus nunquam desituri sint. Hęc quoque res, quòd cælum & terra Dei verbo sint creata, & nunc perstent, pars est Legis.

90 *In generationem & generationem* &c. Sensus, Illud, quod in terris esse ac fieri voluisti, est, eritque in omnia secula, & generationes: etsi enim in terris singularia pereunt, nihilominus generationi prætereunti succedit altera: semperq; ipsa terrę moles à Deo fūdata manet & subsistit, quò pertinet posterius membrum. De cælo dixerat mox *In æternum* &c. At de terra,

In generationem & generationem &c. quia, vt ait Ecclesiastes cap. 5. 4. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.*

A

91 *Ad iudicia* & decreta *tua* exequenda *perseuerant* seu *perstant hodie*, id est, ad hanc vsque diem, & perstabunt, cæli nimirum, & terra: *quoniam omnia*, quæ terrarum & cælorum ambitu continentur, *seruiunt tibi*, ad verb. *serui tui*, hoc est, tanquam serui obediũt & adsunt tibi ad nutum. Posterius membrum rationem continet istorum verborum, *ad iudicia tua*. Ad hunc versum refer illud Esa. 48. 13. *Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea palmo mensa est cælos: ego voco eos, adstant simul.* Græc. & Lat. aliter acceperunt hunc versum. Chal. quoque, qui interpretatus est, *Ad iudicia tua steterunt dies nostri.*

B

92 *Nisi (quod) Lex tua* &c. Commẽdat Legem diuinam, quòd meminerit se eius meditatione, & voluptate quã ex illa perceperit, olim graues ærumnas & curas superasse. *Tunc* quum ait, reuocat in memoriam superiora tempora.

C

93 *In æternum* igitur *non obliuiscar* &c. *Quia in ipsis viuificasti me.* Mox enim dixit *tunc periissem* &c.

94 *Tuus sum ego*, quippe qui totus sum in tuæ Legis studio: igitur *saluum me fac* nunc, quum in maximis periculis versor. *Quoniam mandata tua exquisiui semper*: id quod ostendit verum esse, quod dixi, me tuum esse.

95 *Me expectant* (verbum enim קִוּוּ *kiuuu*, præt. temp. significat continuum actum) *peccatores* &c. Ratio est cur dixerit *saluum me fac*: siquidem mihi opus est tua salute, quem hostes omnibus viribus studẽt perdere. *Testimonia tua* &c. interim dum vitæ meæ insidiantur. Quidni verò totum me, etiam quum maximè vrgent pericula, tuæ considerandæ Legi addicam, cùm ea, adeóque eius studium tam latè pateat, vt careat termino? Huc pertinet sequens versus.

D

96 *Omni perfectioni* &c. hoc est, Nihil reperi aut vidi vnquam tam absolutum, támque perfectum, quod finem & terminum non habeat: sed *latum præceptum tuum valde*, nec est finis aut terminus illius perfectioni. Sic ferè Rasi, & Kimhi, quorum hic istud addit: etsi enim præceptorum est finis quidam ac certus numerus, nihilominus rami, qui ex illis proficiscuntur, sunt infiniti. Præterea, inquit idem Kimhi, accipiunt hoc de præceptis animi, quæ infinita sunt, non de præceptis corporis, quorum est certus numerus. Monet item vocem *præceptum* sumendam esse collectiuè, vt Deut. 30. 11. *præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie*, &c.

E

ם

97 *Quomodo (Quàm) dilexi* &c. Sensus, Vsque adeo amo tuam Legem, vt totos dies in ea meditanda consumam. Vir pius debet meditari in Lege Domini die ac nocte, ex Ps. 1. 2.

98 *Super inimicos meos* &c. Rasi intelligit nominatim Doeg & Achitophel. *Præceptum tuum.* Ad verb. *præcepta tua*, id est, vnumquodque præceptorũ tuorum: ideóque verbum est sing. num. Nam quando nomen pluralis num. distributiuè est exponendum, adiungitur illi verbum singulare. Ezra adfert ex. grat. illud Gen. 49. 22. בָּנוֹת צָעֲדָה *banoth tsaadha*, ad verb. *filiæ incedit*, pro, vnaquæque filiarum &c. *Quia in æternum mihi est* ob oculos, mihique semper animo hæret infixum.

99 *Super omnes docentes me* &c. Taxat Dauid Doctores, qui Legis studium negligentes alijs disciplinis operam darent, affirmátque se ex iugi & assidua solius Legis meditatione doctiorem illis euasisse.

100 *Super senes*, quibus alioqui maior est rerum vsus & prudentia, &c. Ostendit hic versus verum esse quod dicebat Elihu, Iob. 32. 8. & 9. *Vt video, spiritus est in hominibus, sed inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium.*

101 *Ab omni via mala* &c. Sensus, Abstinui omni vitio, non quòd mihi timeam ab hominibus, aut aliquid mali metuam, sed tantùm *vt custodiam verba tua.*

102 *Docuisti me* ita, vt ab ijs nunquam recesserim aut declinarim: quasi dicat, monstrasti me illorum viam, vt aberrare non potuerim.

103 *Quàm dulcia* &c. Simile Ps. 19. 11. *& dulcia super mel, & stillationem fauorum.*

104 *Ex mandatis tuis*, illis scilicet, quæ, vt loquuntur Ezra & Kimhi, plantata sunt in corde, (est enim hic פִּקּוּדִים *pikkudhim*) *intellexi* seu *intelligo*: &c. *Viã mẽdacij*. Opponit hoc mandatis illis, quæ ita vera sunt, vt *Gentes quæ Legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciant: & eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*: quemadmodum loquitur Apost. Rom. 2.

נ

105 *Lucerna pedibus* &c. Quod in tenebris ambulãti est lucerna, illud mihi est Lex tua, necubi offendã, aut aberrẽ. Quũ ait Legẽ esse lucernã, innuit ex antithesi in hac vita

densissimas esse tenebras. Hoc sensu dicebat Salomo Prou. 6. 23. *Quia mandatũ lucerna (est,) & lex lux.* Et D. Petr. 1. epist. 2. *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat: & lucifer oriatur in cordibus vestris.*

106 *Iuraui* &c. Plana est huius versus sententia. Miror quid in mentem venerit Genebrardo, vt sic exponeret, *Iuraui*, in Circũcisione, Baptismo, Confirmatione, &c. quasi vero tunc essent Baptismus, & Confirmatio. Deinde cur restringatur sic ≈ *Iuraui? Et statui.* Male qui vertunt, *& statuam* seu *præstabo.* Nam ante verbum est ו cum ־, ideoque conuersiuum fut. in præt.

107 *Humiliatus* (*Afflictus*) *sum vsquequaque* seu *vehementissime*, adeo vt morti sim proximus: *viuifica me*, quemadmodum mihi tuis verbis Nathan pollicitus est. Ezra & alij interpretatur, *secundum verbũ tuũ*, quo dixisti, Leuit. 18. 5. *Custodite leges meas atque iudicia; quæ faciēs homo viuet in eis ego Dominus.* Ego autem custodio iudicia iustitiæ tuæ.

108 *Voluntaria* seu *Spontanea oris mei* &c. hoc est, Preces & laudes, quas ego coram te sponte ac liberaliter effundo, gratas atque acceptas habe: *& iudicia tua doce me*, pro qua re nunc te oro. *Voluntaria* seu *spontanea*, sacrificia scilicet, *oris* pro laudibus & precibus eleganter dixit: quo modo Ose. 14. 3. *& reddemus vitulos labiorũ nostrorum*, vel potius *labia nostra.* Nota obiter in Lege Mosaica illa dicta esse volũtaria sacrificia, quæ non cogente Lege, sed ex cuiusuis sententia, & arbitrio offerebantur. Fortasse per *voluntaria oris* intelligit iuramentum illud, quo se ad seruandam Legem obstrinxerat, versu altero ab hoc. Præclarus erit sensus, Gratum habe votum, quo ipse me ad seruanda tua iudicia sponte obstrinxi: eaque tu me doceto.

109 *Anima mea in manibus meis* (heb. *manu mea*) &c. Sensus, Etsi semper versor in sũmo vitæ discrimine, nondũ tamen legum tuarũ oblitus sum. quo pertinet & sequens vers. Apud Hebræos *animam ponere* vel *esse in manu*, est vitam ad omnes casus ac pericula habere expositam. Similem loquendi modum habes Iob 13. 14. Iud. 12. 3. 1. Sam. 28. 21. Forma autem hæc sermonis videtur sumpta ab ijs qui cum hostibus cõgrediuntur. His, vt puto, anima seu vita dicitur esse in manu, quia tandiu tantũm vitam seruant, quandiu fortiter manu periculum depellunt. Alij tamen formam loquendi inde sumptam existimant, quòd quicquid in manu est, non satis sit tutum, cùm facile auferri, & excidere possit.

110 *Posuerunt peccatores* &c. Exegesis præcedentis versus.

111 *Hæreditate acquisiui testimonia tua* &c. Sẽsus, Illa mihi sunt pro æterna hæreditate: illa teneo & possideo quasi perpetuam hæreditatem: nulla enim res animo meo voluptatem adfert præter illa.

112 *Propter retributionem.* Nonnulli censent mitius reddi posse *vsque ad finẽ*, scilicet vitæ: quod seruile ferme id videatur, Dei legem amplecti, atque illius inhærere decretis, spe tantum præmij, sicuti ad hũc locum ait Folengius, Monachus Cassinas. Et certè seruiendum Deo, quia ad hoc creati sumus, etiamsi nulla præmia nobis proposita forent: quò pertinet illud Antigoni Sochæi in *Pirke Auoth*, *Ne estote seruis similes, qui Domino seruiunt mercedis ergò.* Vide ad vers. 33.

ס

113 *Iniquos odio habui*, &c. Prima huius versiculi vox סְעָפִים *seaphim*, variè, ab Hebræis etiam, exponitur. Chald. interpretatus est *Qui cogitant cogitationes inanes*: Rasi, *Cogitantes cogitationes malas*: Ezra *Cogitabundos* aut *Corruptores.* Græcus & Lat. verterunt *Iniquos.* Kimhi vult eam vocem non esse nomen adiectiuum; sicque exponit hunc versum, Omnes alias cogitationes odio habui, sed Legem tuam dilexi, omnésque meas cogitationes ad illam retuli. In huius ergo sententia vertendum illud vocabuli *Cogitationes.*

114 *Latibulum meum*, &c. vt non possint malefacere, qui mihi insidiantur. *In verbum tuum*, id est, promissum tuum, *speraui*, & ipsum me ab ijs liberabit. Sic Kimhi, qui tamen *in verbum tuum* exponit etiam in Legem tuam, quã qui custodit, nihil ei mali euenire potest. Ad hanc interpretationem pertinet illud Deut. 30. 15. & seq. *Considera quòd hodie proposuerim in cõspectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum: Quando ego præcipio tibi hodie, vt diligas Dominum Deum tuum, vt ambules in vijs eius, & custodias mandata illius* &c. Adi locum.

115 *Declinate* (*Recedite*) *à me* &c. Sensus, Ne detinete me, sed sinite Dei mei præcepta obseruare. Kimhi.

116 *Suscipe* (prop. *Confirma*) *me secundum eloquium tuum*, per quod me benè sperare ac securum esse iussisti. *Et viuam.* Sensus, ac noli permittere vt à malignis illis interficiar. *Et non confundas* (*pudore affictas*) *me ab expectatione mea*, qua expectaui te me ab ijs liberaturum. Sic ferè Kimhi, qui etiam sic explicat, *secundum eloquium tuum*, quo dixisti, *quæ faciens homo viuet in eis*, Leuit. 18. 5.

117 *Meditabor.* אֶשְׁעָה *escha*, Rasi exponit *studebo*, *occupabo me*: necnon *narrabo*: alij

communiter *delectabor*, & sic Chaldæus.
118 *Conculcasti omnes discedentes*, ad verb. *aberrantes* &c. Sic cohæret cum præcedente, Adiuua me, tu qui semper *conculcasti* &c. Neque enim assentior Kimhio, qui vult in hoc versu esse præt. pro fut. *Quia mendacium dolus eorum*, hoc est, eos fallunt, ac decipiunt, quoties vis, suæ artes, & fraudes, quibus pios opprimere atque euertere cogitant, & in fumum tandem
Es. 19. 14. euanescunt: perirque sapientia sapientum, & intelligentia intelligentium abscondit se. Similis est loquendi modus Psal. 32. 17. *Mendacium* (Græc. & Lat. *Fallax*) *equus ad salutem*, id est, fallit equus, si illi fidamus. Prouer. 31. 30. *Mendacium* (Græc. & Lat. *Fallax*) *gratia*, *& vanitas* (*vana*) *pulchritudo*.
119 (*Vt*) *scorias cessare* &c. Quoties, inquit, vidi te è terra remouisse sceleratos, tanquam scorias? *Ideo dilexi* semper *testimonia tua*, quæ hominem expurgant ab omni scoria. Est paronomasia in voce שׂוֹגִים *schoghim*, id est, *aberrantes*, præcedentis versus, & hac סִיגִים *sighim*, id est, *scorias*. Græc. & Lat. verterunt Παραβαίνοντας, *Præuaricantes reputaui*, quia legerunt סִגִים חִשַּׁבְתִּי *sighim chischschauti*, id est, *Recedentes reputaui*, pro סִיגִים הִשְׁבַּתָּ *sighim, hischbatta*, ח pro ה, & alijs punctis. Aquila vertit ἀποστάτας; Symm. ὠμὰ: vterq; enim etiam legit ח pro ה. Quum ait *omnes peccatores* &c. τὸ *omnes* ex Kimhi non est sumendum præcisè. Citat Kimhi exempli gratia illud Gen. 41. 57. *Omnisque terra veniebat in Ægyptum*.
120 *Horruit præ timore* &c. Quum iudicia tua aduersus sceleratos illos in memoriam reuoco, totus timore tui cohorresco, similia iudicia metuens, si te ad iram prouocem. Pro *Horruit* verterunt Græc. Καθήλωσον, Lat. *Confige* quasi clauis; qui videntur legisse סַמֵּר *sammer*, pro, סָמַר *samar*, & interpretati esse ex מַסְמֵר *masmer*, quod *clauum* significat. Certè Arabibus סמר *sammar*, est *clauo figere*. Aquila vertit ...; Theod. καθήλωσεν. At D. Hieron. *Horripilauit*.

ע

121 *Feci iudicium* aduersùs sceleratos, *& iustitiam* erga bonos, nihilque in quemquam præter ius & æquum admisi: ne me igitur hostium libidini permitte.
122 *Suscipe seruum tuum* (*Sponde pro seruo tuo*) *in bonum*. Hoc sic explicat Rasi, Sis mea caussa fideiussor aduersùs malum: obseruatque verbum ערב *arau*, idem esse quod *vindicare*, vern. *garantir*. Verbum hoc occurrit Gen. 43. 9. *Ego* אֶעֶרְבֶנּוּ *eeruennu*, *spondeo pro illo*: vbi, vt hìc à Græco
A & Lat. verbo *suscipiendi* redditur.
123 *Oculi mei defecerunt* &c. Sensus, Oculi iampridem deficiunt in opem à te promissam intenti. Vide simile ad vers. 82. *Eloquium iustitiæ tuæ* dixit pro promisso. Sed cur addidit *iustitiæ tuæ*? Quia in promisso tria ex Theologis debent reperiri, Veritas, Fidelitas, & Iustitia. Veritas ad hoc obligat, vt syncerè promittas: Fidelitas ad hoc, vt promissum serues: Iustitia ad hoc, vt ei cui promisisti, tribuas ius suum, quod illi debetur ratione promissi. *Eloquium* ergo *iustitiæ*
B dixit pro promisso, à quo non potest abesse illa iustitia.
124 *Fac cum seruo tuo* &c. Hæc principalis precatio, quæ subinde repetitur. *Secundùm misericordiam tuam*, quam toties expertus sum.
125 *Seruus tuus* (*sum*) *ego*, &c. Sensus, Cùm ego tuus sim seruus, tuum est me tuam Legem ac voluntatem docere. Repetitio eiusdem sententiæ, qua ingens desiderium exprimit. Ezra sic explicat hunc versum, Præmium hoc esto mei seruitij &
C cultus, vt des mihi intelligentiam.
126 *Tempus faciendi* &c. Sensus, Tempus est vt faciat Dominus id quod peto, nempe vt det mihi intellectum, &c. quandoquidem isti conantur omnibus modis labefactare tuam Legem. Deum alloquitur in hoc versu in tertia & secunda persona. Latinus emendauit enallagen, & vertit *Domine*. Ezra sic ferè interpretatur hunc versum, Hoc solùm opto, vt intelligere facias me, & sciam testimonia tua, con-
D trà ac mei aduersarij, qui irritam fecerunt Legem tuam tempore senectutis, aut angustiæ, quum te maximè opus haberent. Iuxta hanc sententiam vertendum esset, *Tempore faciendi Domino*, hoc est, quum maximè Deo suam operam dare debuissent. Ita me bene Deus amet, vt non displicet hæc expositio. Kimhi exponit, Tempus Domino vt faciat vindictam, quum nempe illi *irritam fecerunt Legem tuam*. Sunt, Ezra teste, qui eodem sensu sic interpretentur, Tempus est Domino fa-
E ciendi iudicij (*de ijs qui*) *irritam fecerunt* &c. E nostris sunt qui accipiant in hanc sententiam, Tempus est nobis Dei seruis atque cultoribus faciendi & dandi operam Domino, eique obtemperandi, & seruiendi, siquidem passim ab impijs violatur, & prophanatur Lex tua. Chaldæus hoc postremo modo accepit, & interpretatus est *Tempus faciendi voluntatem Domini*: &c.
127 *Ideo dilexi* &c. Sensus, Propterea quòd ego video illos violare tuam Legem, lucra & opes sectantes, idcirco mihi auro chariora sunt tua præcepta. Potes facilè

iuxta poſtremam ſuperioris verſus expoſitionem ſic connectere hunc verſum, Propterea quòd tempus eſt dandi operam Domino, ideo mihi quouis auro pretioſiora ſunt nunc tua præcepta.

128 *Ideo omnia mandata* &c. Refertur & hic verſus ad 126. Nota illam loquutionem *omnia mandata omnis* ſup. rei, per quam nempe ſignificat ſe abſque vllo diſcrimine omnia omnino mandata probare, neque facere, vti faciunt ij, qui eas duntaxat Dei leges approbant, quæ genio ac ingenio ſuo congruunt & placent, cæteras reiicientes, quæ ſuæ libidini aduerſantur. Huic loquutioni ſimilis extat Ezech. 44. 30. vbi hebraicè ſic legitur וְרֵאשִׁית כָּל־בִּכּוּרֵי כֹל וְכָל תְּרוּמַת כֹּל *vereſchith col biccure chol vechol terumath col*, hoc eſt, *Et primitiæ omnium primitiuorum omnis* ſeu *omnium* rerum, vel, fructuum ſup. *& omnis oblatio omnis*, ſeu, *omnium* &c. *Omnem viam* &c. Errores intelligit pugnantes cum doctrinâ Legis. Kimhi explicat *omnia mandata omnium* mandatorum tam in Lege ſcriptorum, quàm non ſcriptorum, exempli gratia, quòd in redemptione & commutatione, ad confirmandum quoduis negotium, detrahebat aliquis calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo: *hoc* enim, vt ſcribitur Ruth 4. 7. (*erat*) *teſtimonium* (hoc eſt, traditio) *in Iſraël*: & alia ſimilia vſitata inter Iſraëlitas, & more recepta pro legibus & ſtatutis. Sic ferè ille, cuius mentem quàm potui propiùs expreſſi. Non potui, nec debui hoc præterire. Et vtinam conſiderarent, qui nihil, niſi quod in Sacris literis continetur, volunt admittere. Vide quæ iam notata ſunt ad verſ. 8. Pſ. 19.

פ

129 *Mirabilia* (prop. *Res mirabiles*) *teſtimonia tua*: &c. Mirabilia quoad intelligentiam, & latentes ſenſus, ac myſteria, ſed factu poſſibilia, & quoad hoc haud mirabilia. Hac adhibita diſtinctione facilè conciliabis hoc Dauidis dictũ cum illo Deuter. 30. 11. *Nam præceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt*, (ad verb. *non admirabile eſt à te*,) *neque procul poſitum*. Nam in illo Deut. verſu *admirabile* pro arduo, difficili, aut impoſſibili vſurpatur, vt ex contextu & loci circunſtantijs patet, vbi de exequendis mandatis agitur: in hoc verò verſu *mirabilia*, hoc eſt, continentia varia & ſublimia myſteria, quæ non omnibus obuia ſunt: quo modo dixit verſu 18. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de Lege tua*. Hoc ſenſu vſurpatur prædictum verbum Deut. 17. 8. *Si* יִפָּלֵא *yppale, admirabile fuerit à te aliquid in iudicio*, &c. hoc eſt,

A Si latuerit te aliquid in iudicio, &c. vel, vt Lat. vertit, *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris*, &c. *Ideo cuſtodit ea* &c. Senſus, quoniam tam admirabilia ſunt, támque ſublimia myſteria includunt tua teſtimonia, idcirco lubens & ex animo (hoc importat τὸ *anima mea*) me ijs obſeruandis totum addico. Multò plus Legis mandata habebant in receſſu, vt ita dicam, quàm in fronte, & ſub cortice litteræ ingentia altáque myſteria inuoluebant. An putas quum veſtem Deus prohibuit ex lana ſimul & lino texere, agrum diuerſo ſe- B mine conſerere, arare boue & aſino, nihil aliud ſpectauit quàm veſtem aut agrum? Poſſes ſimpliciter *mirabilia* exponere præſtantiſſima, & ſupra omnes leges humanas perfecta: quo ſenſu Deut. 4. 6. dicitur, *Et obſeruabitis, & implebitis opere: hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc, dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna iſta*. Et altero pòſt verſu, *Et quæ eſt alia gens ſic* C *inclyta, vt habeat cæremonias, (ſtatuta) iuſtáque iudicia, ſicut eſt vniuerſa Lex iſta, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Quod ſi verum de Lege Moſaica fuit, quantò magis de Chriſtiana, cuius illa vmbra tantùm fuit, & quam qui in nouo orbe de nouo accipiunt, ſuſpiciunt, mirantúrque, quàm illa æquitatis plena ſit, quàm vera, quàm rectæ rationi conſentanea: ſuáſque ſuperſtitiones ac leges ad illam nihil eſſe vltro & verè fatentur, ſed vanas ſolùm ſpecies.

130 *Oſtium ſermonum* &c. Probat id quod D dixit, *Mirabilia teſtimonia tua*: quaſi diceret, Vel ipſa tuorum verborum principia, ipſa Legis tuæ rudimenta quantum lucis cæcis alioquin hominum mentibus adferunt: quótque & quanta myſteria recludunt atque aperiunt? Ex Hebræis alij per oſtium ſeu initium verborum Dei intelligi volunt prima illa Decalogi verba, *Ego (ſum) Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, &c. *Non habebis Deos alienos coram me*. Hæc profectò verba optimè dicentur illuminare, quibus ſcilicet rudes hominum animi ad vnius Dei cultum in- E formantur. Ac bene ad hanc ſententiam conueniet poſterius membrum, *intellectum dat ſimplicibus*, hoc eſt, indoctis etiam & ignaris. Alij ex ijſdem Hebræis putant Dauidem reſpexiſſe ad prima illa Dei verba, *Fiat lux*, Gen. 1. 3. per quæ etiam animus illuminatur. Verùm ſimplicius erit accipere hunc verſum, vt initio dictum eſt, Non modò ſi quis in adyta tuæ Legis penetrat, ſed etiam ſi vel oſtium ac limen attingit, mirum in modum eius mens quantumuis rudis illuſtratur.

131 *Os meum aperui*, &c. Figurata loquendi formula, qua ſignificare vult ſe præ Legis deſiderio os veluti aperire, & aërem attrahere: ſicuti dum eſurienti offertur cibus, is præ deſiderio aperit os, priuſquam cibus illud contingat, aëremque antè attrahit, quàm cibum. Sic hunc verſum exponimus ex Kimhi, qui hoc ſenſu iuſſum fuiſſe Ezechielem obſeruat volumen comedere, hoc eſt nimirùm, auidè legere. Vide Ezech. 2. & 3.

132 *Reſpice ad me*, &c. *ſecundùm iudicium*, כְּמִשְׁפַּט *cemiſchpat*, id eſt, iuxta morem. Sic Exo. 21. 9. *iuxta iudicium*, hoc eſt, morem & conſuetudinem, *filiarum faciet illi.* Senſus igitur huius verſus eſt, Pro tuo more & conſuetudine erga eos qui tuum nomen colunt, reſpice ad me, &c.

133 *Greſſus meos dirige* &c. Senſus ex Ezra & Kimhi, Fac dirigantur viæ meæ ad obſeruanda præcepta tua affirmatiua, neque permitte vt mihi dominetur praua concupiſcentia, & in præceptum aliquod negatiuum peccem, quò ſpectat poſterius membrum, *& non dominetur mei omnis* &c. Kimhi ſimile huic eſſe ait illud Pſ. 19. 14. *Etiam à ſuperbijs prohibe ſeruum tuum, ne dominetur in me.* quum ait *omnis*, id eſt, vel leuis tranſgreſſio, inquit Kimhi. R. Moſes explicat *omnis iniquitas* pro omni viro iniquitatis: quo modo dicitur Pſalm. 109. 4. וַאֲנִי תְפִלָּה *vaani thephilla*, *& ego oratio*, pro, & ego vir orationis. *In.* Græc. & Lat. *ſecundùm* ex בְּ pro כְּ

134 *Redime me* &c. Senſus, Facito ne me homines opprimant ac detineant, túncque *cuſtodiam* &c. quia tunc mihi licebit per otium, nunc verò non licet. Raſi interpretatur *ab oppreſſione hominum*, id eſt, à praua concupiſcentia & fomite peccati, qui homines opprimit.

135 *Faciem tuam lucere* &c. hoc eſt, Faue ſeruo tuo, méque ſereno vultu aſpice, & tuam erga me beneuolentiam declara: *lucem* enim *faciei* in ſacris litteris pro beneuolentia appellari mos eſt: vt Prouer. 16. 15. *In luce vultus Regis vita: & beneuolentia eius quaſi imber ſerotinus.* Hoc ſenſu dicitur Num. 6. 25. *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui.* *Et doce me* &c. Explicat qua in re præſertim velit experiri Dei beneuolentiam.

136 *Exitus aquarum* &c. Hac loquendi formula vim lachrymarum notat. *Non cuſtodierunt*, oculi mei ſcilicet, &c. Oculi dicuntur non cuſtodire Legem Dei, quia multorum peccatorum cauſſa ſunt, iuxta illud Num. 15. 39. *& non aſpicietis poſt cor veſtrum, & oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini.* Hoc ſenſu Kimhi accipit hunc verſum. At Ezra vult pendere ab iſtis verbis *ab oppreſſione hominum*, húncque habere ſenſum, Iſti omnibus modis conantur me opprimere, vt non valeam exequi mandata tua: ego verò doleo, & lachrymor, quòd illi tuam Legem non cuſtodierint: ſiquidem noui malè perituros. Ad hanc ſententiam conueniet verſus 139. Potes vertere in poſteriore membro, *propter (eos qui) non cuſtodierunt* &c. túncque ſententia erit plana, Lachrymor, mihíque dolet vehementer, quum video Legem tuam violari. Æquum eſt igitur vt illius nihil me celes. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* In Fonte *Riuos aquarum deſcenderunt* (actiuè, pro deſcendere fecerunt) *oculi mei*; vel iuxta alios, *Riui aquarum deſcenderunt (ex) oculis meis*; & iuxta Mercerum in Theſ. Pagn. rad. יָרַד *iaradh*, *Riuis aquarum deſtuxerunt oculi mei.* D. Hier. vertit, *Riui aquarum fluebant de oculis meis.* Similes occurrunt loquutiones Thren. 1. 16. Ierem. 9. 18. vbi pro וְתֵרַדְנָה *vetheradhna*, *& deſcendent*, Chald. interpretatus eſt וִישַׁגְּרָן *viſchaggeran*, *& emittent*: & alibi. Verbum *deſcendendi* vernaculè in actiua ſignificatione interdum vſurpatur.

צ

137 *Iuſtus es Domine*, &c. Senſus, Iuſtus es, & leges tuæ iuſtæ. Nam hîc *iudicium* pro lege accipio. *Et rectum iudicium tuum*, ad verb. *iudicia tua*, hoc eſt, vnumquodque è iudicijs tuis. Nomen enim plurale ſubſtantiuum iunctum cum verbo aut adiectiuo ſingulari diſtributiuè eſt exponendum, vt iam ſæpe obſeruatum. Kimhi ait poſſe etiam exponi *rectum* ſeu *rectitudo (ſunt) iudicia tua.* Nota porrò quod ait Deum iuſtum eſſe, & recta iudicia eius. Nam fieri poteſt vt homo ſit iuſtus, hoc eſt, iuſtitiam amet & colat, nec tamen ſemper recta ſint eius iudicia, quia falli ac decipi poteſt: at Deus neminem, & Deum nemo fallere poteſt: vnde fit vt ipſe non modò ſit iuſtus, ſed etiam ſemper recta ſint ipſius iudicia. Potes tamen ſimpliciter dicere, Deum eſſe iuſtum, & recta iudicia eius, idem eſſe.

138 *Mandaſti iuſtitiam* &c. Exegeſis præcedentis uerſus. Poſuiſti, inquit, leges iuſtas, ac veras omni ex parte. *Nimis* ſeu *valde* ad *iuſtitiam* & *veritatem* pertinet: quanquam referri poteſt ad *mandaſti*, quaſi dicat, ſeuerè & diſtrictè iuſſiſti: quo ſenſu ſuprà, verſ. 4. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

139 *Tabeſcere me fecit* (heb. *Succidit me*) *zelus* &c. Simile Pſ. 69. 10. *Quia zelus domus tuæ comedit me.* Senſus huius verſus, quum video legem tuam violari ac prophanari à meis hoſtibus, tum profectò non

tam me afficiunt mala, quæ ab illis patior, quàm Legis tuæ contemptus. Quotusquisque est hodie qui Dauidis zelum æmuletur? Nimis profectò verum est illud Amos Prophetæ, (cap. 6.) *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ*, &c. *Qui bibunt vinum in phialis, & optimo vnguento vngunt sese: & nihil patiuntur super contritione Ioseph*. Nemo ferè est, qui ex publicis malis dolorem capiat, quique exemplo Loth aut Dauidis ex iniquis operibus animam suam cruciet, efficiatúrque, quum (1. Pet. 1.) Deum videt pro nihilo duci, aut etiam ignominijs omnibus appeti.

140 *Repurgatum (est) eloquium tuum* &c. In hoc versu causã adfert cur tãto zelo flagret ob contemptum Legis, quæ scilicet tota pura sit, ideóque sit sibi cordi. *Repurgatum*. In Fonte צְרוּפָה *tserupha*, id est, *Conflatum* seu *defæcatum igne*: in quo est metaphora significans Legi Dei nihil inesse vitij, sed totam puram esse instar auri & argenti probè defæcati. Similis est metaphora Ps. 12. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum*, &c.

141 *Paruulus (sum) ego*, &c. Sensus, Etsi contemnor, quòd tuas leges plurimi facio, nunquam tamen illarum obliuiscar. *Paruulus* hoc loco minorem conditione, non ætate, significat.

142 *Iustitia tua*, &c. Sensus, Quomodò enim obliuisci possem tuarum legum, quarum iustitiam & veritatem perpetuò experior?

143 *Tribulatio & angustia* &c. Sensus, Nulla me hactenus calamitas depellere potuit à studio tuæ Legis: quin ea in aduersis semper est mea meditatio, & deliciæ. *Viæ enim eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pax*. Prou. 3. 17.

144 *Et viuam*, iuxta illud Prou. 4. 4. *custodi præcepta mea, & viues*. Vers. 13. *custodi illam, quia ipsa (est) vita tua*. Huc aptè quadrat illud quod de sapientia Salomo pronuntiat Prou. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius: in sinistra illius diuitiæ & gloria*. Ver. 18. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam*.

ק

145 *Clamaui in toto corde:* &c. Sensus, Clamaui ad te in his malis, & quidem toto pectore; quia noui non esse qui respondeat & seruet præter te: igitur exaudi me, vt per manus hostium meorum non moriar, quò tua valeam obseruare statuta; quasi diceret, vitam non alia de caussa postulo, nisi vt obseruem tua statuta. Sequente versu eadem sententia repetitur ad affectum magis exprimendum.

147 *Præueni in crepusculo*, &c. Sensus, Summo manè & sub ortum auroræ ante alios omnes te adeo, tibique supplico, certus te mihi, quemadmodum pollicitus es, facturũ. *Verbum* pro promisso & fide sibi per Nathan data sumit, aut pro eo quod dicitur in sacris litteris, Deũ nunquam defuturum ipsius opem implorantibus, exempli gratia, Deut. 4. 7. *Quæ enim natio (tam) grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster in cunctis pro quibus inuocauerimus eum?* Porrò *crepusculum* matutinum in hoc versu intellige. Nam נֶשֶׁף *nescheph*, vtrumque crepusculum significat. Chald. vertit hìc *in aurora*.

148 *Præuenerunt oculi mei vigilias*, &c. Quas vigilias ait? Nam cùm noctem constet distributam fuisse in tres vigilias ex Hebræorum Magistris, vel potiùs in quatuor, siquidem Matt. 14. & Mar. 6. quartæ vigiliæ fiat mentio, dici non potest Dauid præuenisse omnes noctis vigilias, alioqui totas noctes insomnes duxisset. Kimhi putat primam duntaxat noctis partem Dauidem impendisse somno, reliquas duas studio ac meditationi diuini verbi, ídque præsertim ac sæpe fecisse, quo tempore noctes longiores sunt. In huius igitur sententia Dauid affirmabit se priùs è somno excitatum, quàm secundas vigilias. Ego puto de vltima vigilia esse hoc intelligendum, quia in præcedente versu crepusculi mentio fit. Chald. interpretatus est, *Præuenerunt oculi mei vigilias matutinas, & vespertinas*, &c. Teneamus porrò hoc, quod à Dauide dicitur in hoc versu, ad nostram doctrinam (Rom. 15.) scriptum esse, adeóque decere nos eius exemplo ad similem studij diligentiam excitari. Doleat nos, si quando opificum antelucana vincamur industria.

149 *Secundùm misericordiam tuam*, quam toties expertus sum: fac mecum, quemadmodum antea fecisti. *Secundùm iudicium tuum*, heb. etsi deest iod, *secundùm iudicia tua*, hoc est, pro more tuo, & quemadmodum soles eos qui te piè colunt, *viuifica me*, hoc est, serua me in vita. *Iudicium* hìc accipitur, quo modo vers. 132.

150 *Appropinquauerunt* ad me *sequentes scelus*, hoc est, studentes sceleri: quo modo Esa. 51. 1. רֹדְפֵי צֶדֶק *rodhephe tsedek*, id est, *sequentes iustitiam*: & alia similia passim. Optimè cohęret hic versus cum præcedente, *Vocem meam* &c. Vides enim quàm ex propinquo me adorti sint &c. Græc. & Lat. verterunt, ille καταδιώκοντές με ἀνομίᾳ, hic *persequentes me iniquè*: quia pro רֹדְפֵי *rodhephe*, legerunt רֹדְפַי *rodhephai*. Sym. sic legebat, qui vertit οἱ διώκοντές με. Sic D. Hieron. qui vertit, *Appropinquauerunt persecutores mei sceleri*. Sic Felix. *Longè facti sunt* seu

elongauerunt se. Opponitur hoc verbi τῷ *appropinquauerunt.*

151 *Propè (es) tu Domine*, &c. Illi ad me appropinquauerunt, sed tu mihi propior ades. *Et omnia præcepta tua veritas*, hoc est, tum minæ, tum promissiones, quas tuis præceptis adiunxisti, veræ sunt. Ratio est prioris membri, cur Deus suis adsit, quia scilicet promisit.

152 *Initio (Pridem) cognoui* &c. Probat quod mox dicebat, *& omnia præcepta tua veritas.* Pridem, inquit, mihi exploratum de testimonijs tuis, quòd illa sunt æternæ veritatis, atque immutabilia. Verbum *fundandi* habet emphasim.

ר

153 *Vide afflictionem meam*, &c. Suo more Græcus & Lat. *humilitatem* pro afflictione posuerunt. *Quia legem tuam* &c. propter tot mala.

154 *Iudica iudicium meum*, seu *Litiga litem meam*, hoc est, Age meā caussam. *Propter eloquium tuum*, id est, propter promissiones tuas, &c. Kimhi tamen hoc sic explicat, perinde est ac si diceret, vt custodiam eloquium tuum, vitam postulo, non vt indulgeam voluptatibus huius mundi.

155 *Longè à peccatoribus* &c. Accipio hoc imprecatiuè, quasi diceret, Procul absint isti scelerati à salute, qui statuta tua nihil morantur. Kimhi sic interpretatur absque imprecatione, Ego expecto salutem mihi propinquam, quia statuta tua quæsiui: at longè abest salus ab errantibus, quum fuerint in angustia, *quia statuta tua non quæsierunt*: nihilque in illis est, propter quod mereantur liberari.

156 *Misericordiæ tuæ* &c. Similis est hic versus versui 149.

157 *Multi, qui* &c. & tamen *à testimonijs* &c. Kimhi restringit posterius membrum ad istum modum, nihilominus *à testimonijs tuis non declinaui*, quia non machinatus sum illis perniciem, sicut illi mihi; hoc autem vnum est è testimonijs seu præceptis tuis, *Non quæres vltionem, nec memor eris* &c. Leuit. 19. 18. *Si videris asinum odientis te* &c. Exo. 23. 5.

158 *Vidi præuaricantes*, &c. Zelum suum in contemptores diuinæ Legis, vt antea, versu 136. necnon 139. exprimit. *Et tabui*, prop. *tædio affectus sum.* Ad mentem Kimhi vertendum, *& contendi*, hoc sensu, magis cum illis contendi, quòd non seruarint tua eloquia, quàm quòd mihi malefecerint.

159 *Vide quòd* &c. Sensus, Vide quàm ea dilexi, de quorum contemptu adeo mihi doluit, aut quorum caussa, non mea, tam grauiter cum impijs expostulaui: itaque pro A solita erga me misericordia serua me in vita, nec patere vt veniam in potestatem hostium. *Vide* est [illegible] *Vidi* superioris versus: *viuifica me* [illegible] *& tabui.*

160 ([illegible]) *principio* &c. Sensus hic, meo iudicio, Semper verbum tuum verum fuit, atque æternùm permanebit immotum omne illud tuæ iustitiæ atque æquitatis iudicium: quasi dicat, Fuisti tu semper verax, æternúmque eris iustus: itaque serua me. In præcedente versu petebat seruari pro Dei misericordia, nunc petit pro eiusdem veritate, & in præstandis promissis constan- B tia, próque iustitia.

ש

161 *Principes persequuti sunt* &c. Triplicem huius versus expositionem adfert Kimhi, ac sic ferme habet: *Principes* Israëlitarum cum Saule aut cum Absalomo &c. *Et à verbo tuo* magis *formidauit cor meum*, ne scilicet tuorum præceptorum aliquod transgrederer, magis, inquam, quàm timui ab illis principibus. Aut sensus est, Ipsi persequuti sunt me, ac voluerunt à tua Lege distrahere: quo sensu dicebat 1. Sam. 26. 19. C *maledicti sunt in conspectu Domini, quia eiecerunt me hodie vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, Vade, serui dijs alienis.* Verùm semper *à verbo tuo formidauit cor meum*, & veritus sum ego Legem transgredi. Ac si de Absalom placet accipere, hæc erit sententia, *formidauit cor meum*, vt venirem in illorum potestatem, *à verbo tuo* seu *propter verbum tuum*, quod mihi dixisti, 2. Sam. 12. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo pro-* D *ximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.* Sic ferè ille

162 *Lætor ego super eloquia tua*, quum illa audio & capio, *sicut qui* &c.

163 *Mendacium* &c. Mendacij voce intellige omne prauum & peruersum studium, institutum quoduis Legi repugnans. Ezra per *mendacium* vult intelligi præcepta negatiua, (hoc est, id omne quod præceptis negatiuis prohibetur,) per *Legem* præcepta affirmatiua.

164 *Septies in die laudem* &c. *Septies*, hoc E est, frequenter & sæpe: septem enim in sacris litteris indefinitam multitudinem significāt. Sic Prou. 24. 16. *Septies enim cadet iustus, & resurget*, id est, multoties. Huius rei passim in sacris litteris extant exempla. Ista porrò loquēdi ratio inde orta est, quòd iste numerus apud Hebræos perfectionis sit, sintque orbes septem, in quibus septem stellæ erraticæ, & dies mundi septeni, quia, vniuerso orbe sex diebus condito, septimo die quies seu sabbatum fuit. Habuit idcirco aliquid mysterij septenarius nume-

rus. Iussit Deus septena animalia tantùm in Arcam admitti, Gen. 7. 2. & 3. Iussit septenis vicibus Sacerdotem spargere sãguinem coram Domino contra velum sanctitatis, Leuit. 4. 6. Sed enim illud animaduersione dignum, quod legitur Iosu. 6. quum Iosue à Deo iussus cum suo exercitu semel per singulos sex dies Hiericunthem vrbem circumambulasset, tàdem die septimo, septies Arcã Dei circumlatã, præeuntibus septem Sacerdotibus totidem tubis clangentibus, sicuti Deus præceperat, vrbis muros ac turres sponte concidisse. Rasi *septies* in hoc versu præcisè accipit, vt sonat, ac sic explicat, bis manè ante lectionem Decalogi, & semel post, bis vespere ante eandem lectionem, & bis post.

165 *Pax multa* &c. Nam quicquid illis in hac vita eueniat, accipiunt in bonam partem, nec vnquam animo turbantur, ac nullibi offendunt, quippe qui rectam viam sint ingressi, & pro nihilo habeant opes, honores, cæteráque omnia huius mundi bona.

166 *Expectaui salutare tuum* &c. Hoc de animæ salute interpretatur Kimhi. Potest accipere de salute corporis, quasi diceret, Expectaui adhuc tuam opem, seruandis interim tuis præceptis intentus.

167 *Custodiuit anima mea* &c. illis studendo: ac propterea *dilexi ea vehementer*. Sic Kimhi. Accipio *custodiuit anima mea*, pro, custodio ex animo. quo modo dicitur Esa. 1. 14. *Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit* (*odio habuit*) *anima mea*. Simile est Psal. 11. 5.

168 *Seruaui mandata* &c. Sensus, Teneor ego omnia illa seruare, quoniam tibi perspectæ sunt omnes meæ cogitationes & actiones, nihilque te latere potest. Intelligo quicquid fecero, dixero, vel etiam cogitaro, vno verbo, omnes vias meas tuis ocu-
Prou. 3. 6. lis patere, idcirco in omnibus vijs meis te cogito, tuáque semper seruo mandata.

ת

169 *Appropinquet deprecatio mea*, prop. *clamor meus* &c. Quæ illa deprecatio? Hæc, *iuxta eloquium tuum da mihi intellectum*, hoc est, tuæ legis intelligentiam mihi largire: da mihi intelligentiam, vt faciam secundùm verbum tuum. Sic Kimhi. Ego interpretor *iuxta eloquium tuum*, hoc est, promissum tuum.

170 *Intret postulatio* &c. In præcedente versu petiit doceri, atque instrui, in hoc seruari ab hostibus: quanquam in hoc versu Kimhi putat non esse intelligendam liberationem corporis à malo, sed animæ à peccato.

171 *Eructabunt* seu *Scaturient*, hoc est, Loquentur continuò & sine intermissione. Metaphora est in hoc verbo ducta à fonte perenniter fluente. Simile est Psal. 9. 3.

172 *Pronuntiabit* seu *Loquetur* alta & clara voce: Rasi enim notat ענה *ana*, semper dicere altam vocem. Obseruat Kimhi auctore Massorę interpretari hoc loco, necnon Ex. 15. 21. Prou. 26. 4. id verbi in *laudãdi* significatione: quasi hîc diceret, *Laudabit lingua mea eloquiũ tuum*, quia vniuersa sunt iustitia.

173 *Sit manus tua* &c. Sensus, quando tua ego mandata cæteris omnibus rebus prætuli, tu mihi opitulator, tu me defendito ab hostibus. Kimhi exponit ad istum modum, Quando elegi mandata tua, adiuua me in ijs.

174 *Concupiui salutare* &c. Sensus, Iamdiu à te opem & salutem expecto: interimque tuæ Legis meditatione animum meum oblecto. Kimhi salutem animæ in altero seculo intelligit, sicque exponit, propterea *Lex tua delectationes meæ*: ipsa enim nos ad salutem adducit.

175 *Viuat anima mea* in hoc mundo, &c. Optat viuere, sed vt Deum celebret. *Et iudicia tua* in hostes meos *adiuuent me* ad te laudandum. Sic Ezra. Sensus, puni ac perde hostes, qui me à tuis laudibus abstrahũt: mihi te laudare cupienti fer opem animaduertendo in hostes. Vel simpliciter, *iudicia tua adiuuent me*, hoc est, succurre mihi puniendo hostes.

176 *Erraui sicut ouis* &c. Sensus, Huc & illuc profugus oberro, veluti perdita ouicula: tu igitur, qui meus es pastor, me seruulum tuum require, ac reduc in caulam, qui tuorum semper præceptorum memor fui.

PSALMVS

CXIX. CXX.

VERSIO

VETVS.



ANTICVM *graduum.* *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui: & exaudiuit me.*

2 *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.*

3 *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?*

4 *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.*

5 *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.*

6 *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.*

NOVA.



ANTICVM graduum.

Ad Dominú [a] cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

2 Domine, libera animam meam à labio mendaci, à lingua dolosa.

3 Quid dabit tibi, & quid apponet tibi lingua dolosa?

4 Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum.

5 Heu mihi, [b] quia exulo in Mesech, habito cum tabernaculis Cedar.

6 Multùm habitauit anima mea cum [c] his qui oderunt pacem.

7 Ego (vir) pacis: & quum loquor, ipsi ad bellum.

a heb. *in angustia mihi*

b vel *quòd*

c ad verb. *odio habente pacem.*

COMMENTARIVS.

Argumentum.

QVINDECIM *Psalmi sunt hoc titulo,* שִׁיר הַמַּעֲלוֹת schir hammaaloth, *id est,* Canticum graduum. *Hebræorum Doctorum quidam existimant* Cantica graduum *appellata, quòd à Leuitis fuerint decantata in quindecim gradibus, qui erant in monte Domus Dei, inter atrium* [a] Israëlitarum, (*seu virorum,*) *& atrium mulierum, quibus scilicet ab atrio mulierum ad atrium virorum ascendebatur. Ac putant singulos Psalmos in singulis gradibus fuisse recitatos. Hæc sententia est Rasi,* Saadiæ, *& aliorum, nec prorsus aliena, si fuisse tales gradus omnino constaret.* Saadias *putat etiam illam vocem posse esse musicam, vt dicantur* Cantica Ascensionum, (*ita enim verti debet ad huius mentem*) *quòd altâ voce, seu, acuto tono fuerint decantanda. Ezra putat certum melodiæ genus ista voce significari, ad quod hi Psalmi essent decantandi. Alij denique putant fuisse fortasse eam vocem initium vulgatæ cuiusdam cantilenæ, ad cuius modulos hæc cantica essent decantanda. Ego sanè nihil certi habeo quod afferam. Vertere possis, nec incommodè, meo quidem iudicio,* Cantica dignitatum, *hoc est, Cantica præstantissima & excellentissima. Sed de hac re non debemus admodum laborare, cùm ad Psalmi argumentum nihil videatur pertinere. Porrò hic Psalmus vel à Dauide scriptus est, ac tum quidem, quum extorris patria propter* Saulem *cogeretur inter homines profanos, & fraudulentos vitam agere: vel ab aliquo alio pio viro inter feras gentes, aut sæuos ac versipelles quosdam homines degente: non enim ex Tit. constat de autore.*

a Sic habēt Rasi & Kimhi.

1 *Ad Dominum quum tribularer* ſeu *in anguſtia mea*&c. Confirmat ſe recordatione ſuperiorum liberationum: quanquam exiſtimat Kimhi *& exaudiuit* dici pro *& exaudiet*, more prophetico.

2 *Domine, libera* &c. Petit ſe defendi & liberari à ſycophantis, quos multos in aula habebat Saul. *Labio mendaci.* Intelligit linguam calumniatricem. *Lingua doloſa.* Intelligit linguã quæ fucata ſpecie amicitiæ ſtruit dolos & inſidias. Dauid copiam alloquendi Saulem nactus ante omnia illud querebatur, *Quare audis verba hominum loquentium, Ecce Dauid quærit malum aduerſum te?* 1. Sam. 24. 10.

3 *Quid dabit tibi*, &c. Expoſtulat cum ſuis calumniatoribus. Quid tibi, inquit, lucri me calumniari & fallere, ô quiſquis id facis.

4 *Sagittæ potentis* &c. ſup. eſt lingua tua doloſa. Confert mendacia & calumnias cum ſagittis exacutis, & quidem à validiſſimo homine contortis: item cum *carbonibus iuniperorum*, qui cæteris vehementiùs adurũt, & diutius ignem fouent; imò cùm videntur extincti, & nil aliud quàm cinis, tamen intus ardent. Tales ſunt ſycophantæ: nam eo præſente, quem volunt lædere, ſcitè finguntac diſſimulant ſuam maleuolentiam, ne ille ſibi caueat: ſed vbi abeſt, tùm verò liberrimè inuehuntur, ac ſuæ linguæ virulentiam exerunt. Dicit *cum*, quia hæc duo, & *ſagittæ* & *carbones* ſimul in lingua fraudulenta includuntur. Ita ferè Kimhi. Addo ego conferri calumnias cum ſagittis à validiſſimo homine contortis, & quidem exacutis, quòd vt hæ vulnus altiùs infigũt, & grauiùs lædũt, & incautos quidẽ, ita mẽdacia, & calumniæ ſcitè & arte fictæ incautos homines grauiter vulnerẽt. Raſi hanc adfert expoſitionem, quæ eſt etiam Chald. Paraphraſtis, *Quid dabit tibi*, &c. Quid tandem Deus Opt. Max. in te decernet, ô lingua doloſa? *Sagittas* &c. hoc eſt, ſagittas ſuas deſuper, fulgura ſcilicet, necnon carbones ſeu prunas iuniperorum in gehenna, ſeu inferis. Pro *iuniperorum* græcè eſt ἐρημικῶν i. *ſolitarijs* ſeu *ſolitudinis* aut deſerti, *carbonibus*, ſcilicet ex arboribus in deſertis creſcentibus, qui propter materiæ denſitatem vehementius adurunt, & ignem retinent diutiùs. Lat. expreſſit, non admodum commodè, *deſolatorijs*.

5 *Heu mihi, quia* (vel *quòd*) *exulo* ſeu *peregrinor* &c. Eos, apud quos exul agebat, ob ſæuitiam & crudelitatem Moſchos & Cedarenos appellat, quæ Gentes ſcilicet apud Iſraëlitas inhumanitatis nomine malè audirent: nuſquam enim Dauid (ſi tamen Da-
A uid autor eſt huius Pſalmi) legitur apud Moſchos & Cedarenos egiſſe. Moſchos voce מֶשֶׁךְ *Meſchech*, necnon Cedarenos voce קֵדָר *Kedar*, eſſe intelligendos perſpicuè probat ipſa vocum ſimilitudo: Moſchos videlicet, qui à Meſchech, vulgò Mo- Gen. 10. 2.
ſoch, filio Iapheth; (Aſiaticos interpretatur Chald.) Cedarenos, qui à Cedar Iſ- Gen. 25. 13.
maëlis filio nomen obtinuerunt. Ex Hebræis ſunt, teſte Kimhi, qui Cedarenos eoſdem dici Moſchos autumant, à מָשַׁךְ *maſchach*, quod eſt *trahere*, q. d. tractores arcus. Sed non placet hoc, quia alterum ma-
B gis eſt in promptu. Obſeruant Ezra & Kimhi Ioſephum Gorionis filium ſentire מֶשֶׁךְ *Meſchech*, *Tuſciam* ſignificare: quod haud ſe mihi probat. Ex Kimhi iſta vox exponenda eſſet *protractè, diu*, quaſi diceret, Hei mihi tandiu exulanti. Verùm nomen Cedar, quod mox ſubijcitur, & Cedarenos Arabiæ populos ſignificat, conuincere videtur altero illo nomine *Meſech*, Moſchos etiam intelligendos, feram ac ſæuam gentem & immanitate infamem. Græcum & Lat. qui verterunt, *incolatus meus prolongatus eſt*, non dubiũ eſt legiſſe מָשַׁךְ *maſchach*,
C pro מֶשֶׁךְ *meſchech*, & pro verbo intranſitiuo accepiſſe: necnon גֵּרוּתִי *gheruthi*, id eſt, *incolatus meus*, παροικία μου, pro גַּרְתִּי *gharti*, id eſt, *peregrinatus ſum*, ſeu, *peregrinor*. D. Hieron. certè eodem modo legit, qui vertit, *peregrinatio mea prolongata eſt*.

Habitaui cum tabernaculis Cedar, hoc eſt, cum Cedarenis, qui tabernacula incolunt, per metonymiam. Cæterùm quum eos ſic circumloquitur, plus ſignificat, quàm ſi
D ſimpliciter Cedarenos nominaret: eáque periphraſi notare vult Gentis aſperitatem ac truculentiam, quæ nullas adhuc certas ac fixas ſedes haberet, ſed ferarum inſtar incertis ſedibus vagaretur. Ne cui porrò fortè durum videatur hoc loquendi genus peregrinari ſeu exulare inter Moſchos, & habitare cum Cedarenis, pro, agere & verſari inter homines feros & barbaros, meminerit Gallicæ loquutionis *demeurer & auoir affaire auec des Turcs, & Arabes.*

6 *Multùm habitauit ſibi* &c. Senſus, Iam ni-
E mis diu verſor cum hominibus alienis à pace & concordia. *Sibi.* Redundat hæc particula: ſed tamen ſingularem habet emphaſim, vt aliàs.

7 *Ego pacificus* &c. Probat id quod dixit, *cum his qui oderunt pacem.* *Quum loquor* illis pacem, *ipſi ad bellum* feruntur, ac ſe comparant. *Pacificus*, ad verb. *pax*, abſtractum pro concreto, vt aliàs ſæpe. Prou. 20. 1. *Deriſor vinum*, (hoc eſt, *ebrioſus*, *vinolentus*) *tumultuoſa eſt ſicera.*

PSALMVS

PSALMVS

CXX. CXXI.

VERSIO

VETVS.



ANTICVM *graduum.*

Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

2 *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.*

3 *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.*

4 *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.*

5 *Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.*

6 *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.*

7 *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

8 *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum; ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

NOVA.



ANTICVM graduum.

[a] Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium [b] mihi. *a Leui.* *b heb. meum.*

2 Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.

3 Non dabit in commotionem pedem tuum: non dormitabit qui [c] custodit te. *c custos tuus.*

4 Ecce non dormitabit, neque dormiet [d] qui custodit Israël. *d custos*

5 Dominus [e] custodit te: Dominus vmbra tua super manum dexteram tuam. *e custos tuus:*

6 Per diem sol non percutiet te, neque luna per noctem.

7 Dominus custodiet te ab omni malo: custodiet animam tuam.

8 Dominus custodiet exitũ tuum, & introitum tuum, ex nunc & vsque in sæculum.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *TOTA huius Psalmi oratio militaris est. Itaque existimo hoc carmen à Dauide, aut aliquo Vate scriptum in castris. Eius autem hæc summa est; A solo Deo opem expectandam, qui pro suorum salute perpetuò excubet.*

1 *Graduum*. Obseruat Kimhi hîc solùm A
לַמַּעֲלוֹת *lammaaloth*, pro הַמַּעֲלוֹת *hammaaloth*, ל pro ה emphatico, sicut 2. Reg. 7. 2. *Et respondens dux super cuius manum* לַמֶּלֶךְ *lammelech*, pro הַמֶּלֶךְ *hammelech*, *Rex innitebatur*. Obseruatio sanè grammatica, sed haud negligenda. *Leuaui* vel *Leuo oculos meos in montes*, vndique circumspiciens an fortè alicunde auxilium affulgeat. Vel *in montibus*, scilicet constitutus: nam qui è longinquo auxilium expectat, solet in montes ascendere, & huc & illuc oculos circumferre, num aliquid auxilij sese offerat. Posteriore B
modo accipit Kimhi, & אֶל *el*, pro עַל *al*, id est, *super* vel *in* esse vult, vt Ezech. 18. 6. אֶל *el*, id est, *in montibus non comederit*. Et aliàs.

2 *Auxilium meum à Domino*, &c. Corrigit se veluti, quasi dicat, Quid mihi prodest huc & illuc anxium respectare, cùm à solo Deo petendum sit auxilium, *qui fecit cælum terram*, atque adeo, quicquid vult, potest efficere?

3 *Non dabit in commotionem* &c. Scilicet aut quemlibet è comitibus securum C
ac tutum esse iubet, Deo custode. Neque est, inquit, quòd timeas: nunquam enim te finet vacillare, siue per vrbis plateas, siue in muris incedas, neque vnquam vel tantillùm dormitabit Deus custos tuus, sed pro te vigil semper excubabit. *Non*. אַל *al*, pro לֹא *lo*, ex Ezra.

4 *Ecce non dormitabit* &c. Sensus, Non dormitabit, ac multò minùs dormiet. Argumentum à maiori ad minus, cui simile vide Ps. 1. 1. Contrarium reperitur sententiæ huius versus, Ps. 44. 24. *Exurge, quare obdormis* &c. Sed facilè istud cum hoc conciliabitur, si istud accipias dictum ex impatientia, vel secundùm externam speciem, & κατὰ δόξαν; hoc verò κατ' ἀλήθειαν.

Ecce. Habet emphasim hæc particula, nósque excitat, quasi coràm præsentem monstrans Deum.

5 *Dominus vmbra tua*, id est, protectio tua, *super* vel *iuxta manum* &c. Sensus, Dominus perpetuò tibi adest pugnanti, & dextrâ rem gerenti.

6 *Per diem sol* &c. Explicat illud, *vmbra tua*: proinde ac si diceret, Dominus tibi erit vmbra, ne te solis calor interdiu lædat, lunæ verò frigus noctu. Nam solis calor humorem exiccat, luna verò eundem auget, vnde nascitur frigus: calor autem & frigus morborum sunt caussæ. Kimhi. Hoc ostendit fuisse tunc Israëlitas in castris, vbi sub dio commorarentur.

7 *Dominus custodiet te ab omni malo*, ne quid ab hominibus & feris patiaris detrimenti: *custodiet animam tuam*, hoc est, te, vel vitam tuam.

8 *Dominus custodiet exitum tuum* ad bellum, *& introitum tuum*, hoc est, reditum in domum, confecto bello. Propriè in Sacris litteris *exitus & introitus* de expeditionibus dicitur, vnde quis in vrbem redit. Ex. gr. Deut. 28. 6. *Benedictus eris ingrediens, & egrediens*. Hoc modo accipit ad hunc versum Ezra. Potest tamen hîc *exitus & introitus* ad omnes vitæ actiones referri, quasi diceret, Denique faciet Dominus vt omnia tua negotia fœliciter cedant. Sic 2. Sam 3. 25. *& sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis*.



PSALMVS

CXXI. CXXII.

VERSIO

VETVS.



ANTICVM *graduum.*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

2 *Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis Ierusalem.*

3 *Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.*

4 *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.*

5 *Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.*

6 *Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: & abundantia diligentibus te.*

7 *Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.*

8 *Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.*

9 *Propter domum Domini Dei nostri, quæsiui bona tibi.*

NOVA.



ANTICVM graduum Dauidis.

Lætatus sum cum his qui dicunt mihi, (In) domum Domini [a] ibimus. a vel eamus.

2 Stantes fuerunt pedes nostri in portis tuis, Ierusalem.

3 Ierusalem (quæ) ædificata vt ciuitas, (quæ) coniuncta est sibi simul.

4 Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

5 Quia illic sederunt sedes ad iudicium, sedes domus Dauid.

6 [b] Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: (dicentes,) Prospere agant diligentes te. b Postulate pacem

7 Sit pax in antemurali tuo: prosperitas in palatijs tuis.

8 Propter fratres meos & proximos meos loquar nunc pacem de te.

9 Propter domum Domini Dei nostri quæram bonum tibi.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *AD hunc vsum à Dauide scriptum videtur hoc carmen, vt quoties ad solennia festa populus Israëliticus Hierosolyma conueniret, publicè decantaretur. In hoc igitur Psalmo inducitur populus sibi inter se congratulãs quòd Domini ædem adeat, & ex occasione laudes vrbis Hierosolymorum celebrãs, eique optans omnia prospera. Dauidem esse auctorem huius carminis conuincit titulus.*

1 *Dauidis.* Fieri potest, inquit Kimhi, vt cætera cantica graduum, quibus Dauidis nomen minimè est præfixum, alios auctores habuerint, quorum nomina sileantur: ea verò Dauidis sunt, quæ Dauidis nomen præferunt in Tit. A *Lætatus sum*, seu, *Lætor cum (in) his qui dicunt* &c. Inducitur vnus aliquis adhuc in itinere sibi ac viæ comitibus congratulans, quòd in ædem Domini proficiscantur.

2 *Stãtes fuerũt* &c. Sẽsus, Meminimus stetisse nos olim in portis Hierosolymæ, contemplantes mœniũ & portarũ pulchritudinem. Vel, Meminimus stetisse nos olim in portis Hierosolymæ, quòd non possemus ingredi præ nimia ingredientium & egredientium turba: ita populo ex omnibus partibus confluente vrbs abundabat. Vtrumque hunc sensum probat Ezra. Est autem in hoc versu subita apostrophe ad vrbem Hierosolymam. Hîc porrò vnus loquitur omnium nomine.

3 *Ierusalem (quæ) ædificata* &c. Subiicitur nunc narratiuncula, in qua ex occasione B celebratur vrbs Hierosolyma, quòd non iam instar vici domunculis hinc inde dispersis, sed connexis & cohærentibus ædificijs constet, iámque amplæ vrbis formam omnino habeat. *Vt ciuitas (quæ) coniuncta est sibi simul*, id est, quæ perpetuis ædibus tota sibi veluti est coniuncta, ac cohærens.

4 *Illuc enim ascenderunt* &c. Triplex adfertur ratio superioris versiculi, cur nimirum tam ampla facta sit vrbs Hierosolyma: prima in hoc versu, quòd ex Dei mandato, C quod legitur Exo. 23. 14. solerent omnes tribus Hierosolyma conuenire ter singulis quibusq; annis ad agendos dies festos & solennes: aliæ duæ in subsequente vers. *Testimonium Israeli*, hoc est, quæ fuit lex, seu quod fuit præceptum Israëlitis datum, scilicet vt illuc ascenderent, & conuenirent *ad confitendum nomini* seu *ad celebrãdum nomen Domini*. *Testimonium*, hoc est, præceptum seu mandatum. De hac voce vide ad vers. 8. Psal. 19. necnon in Argum. Ps. 119.

A 5 *Quia illic sederunt*, pro, collocatæ sunt, seu sedem habent, *sedes* seu *solia ad iudicium*, Græc. εἰς κρίσιν, hoc est, tribunalia ad ius cuique reddendum: necnon *sedes* seu *solia domus Dauid*, hoc est, regia sedes Dauidicæ familiæ. Duas igitur rationes tertij versus hic versus complectitur: vnam, quòd Hierosolymis esset Senatus septuaginta duorum, seu Synedrium maius, cuius erat scilicet de maioribus & difficilioribus caussis cognoscere: alteram, quòd ibidem esset regia sedes stirpis Dauidicæ.

6 *Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem*: ad verb. *Postulate*, seu, *Optate pacem Ierusalem*, quasi diceretur, Agite, salutate Hierosolymam: ἀσπάσασθε τὴν ἱερουσαλὴμ, vt quidam vertit: vel potiùs, Agite, precamini pro salute ac prosperitate vrbis Hierosolymæ: dicentes quisque, *Prosperè agant diligentes te, ô Ierusalem*. *Ierusalem*. In Fonte est gignendi casus: in Græco τὴν ἱερουσαλὴμ.

7 *Antemurali*. Obseruat Kimhi חֵיל *chayl*, fossam esse ambientem murum: אַרְמְנוֹת *armenoth*, verò arces in media vrbe. Ezra ait *chayl*, illud esse quod murum extrinsecus ambit, *armenoth*, quod intrinsecus.

8 *Propter fratres meos* &c. Sic cohæret, dicentes quisque, *Propter fratres meos* &c. id est, Tuorum ciuium caussa, quos ego in fratrum & proximorum loco habeo, precor nunc ac precabor tibi deinceps omnia fausta & prospera.

9 *Propter domum Domini Dei nostri*, quæ videlicet apud te sedem obtinet, &c. En alia caussa, quamobrem bene precari quisque teneatur vrbi Hierosolymæ, quòd in ea vrbe sedem habeat templum Domini.



PSALMVS

CXXII. CXXIII.

VERSIO

VETVS.



ANTICVM graduum.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

2 *Ecce sicut oculi seruorum, in manibus dominorum suorum:*

3 *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

4 *Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione:*

5 *Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.*

NOVA.



ANTICVM graduum.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

2 Ecce sicut oculi seruorum ad manum dominorum suorum; sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

3 Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multùm [a] repleti sumus despectione.

4 Multùm [b] repleta est anima nostra [c] opprobrio abundantium, despectione superborum.

[a] *saturati* [b] *saturata* [c] *subsannatione*

COMMENTARIVS.

Argumentum. EXISTIMO *hoc carmen à pio aliquo Vate conscriptum, quum populus apud Babylonios exularet, (agnosco enim hic exulis voces) vel fortè quum Antiochi tyrannide premeretur, ac tanquam communem precandi formulam præscriptum, quod dico, propterea quòd, excepto primo versu, multis tribuatur sermo.*

1 *Ad te leuaui* seu *leuo*, &c. Sensus, Quoniam omnia mihi in terris sunt infesta, ad te vnum confugio, te vnum intueor, qui cælis insides, indéque, quasi è sublimi, omnia quæ in terris geruntur, vides ac moderaris. Veniat nobis in mentem huius versus, quoties omnia solatia deficient, nihilque ampliùs spei erit reliquum in terris: tunc cogitemus habere nos in cælis, qui pater sit pupillorum & miserorum.

2 *Ecce sicut oculi seruorum* &c. Sensus, Quemadmodum serui, quum ab heris vapulant, ad quem respiciant, habent neminem, nisi eosdem ipsos à quibus vapulant, si quo illos pacto ad misericordiam commouere possint, & exorare, culpam deprecando, vt à se abstineant manum: ita nos in hac captiuitate, ad quem conuertamus oculos prorsus habemus neminem, nisi Deum nostræ captiuitatis auctorem, quem suppliciter precamur, vt peccatorum, quæ tot mala in capita nostra traxerunt, oblitus tandem nostræ calamitatis misereatur, nósque in libertatem restituat. Hoc sensu accipere parentem suum Ioseph Kimhi author est filius. Qua de captiuitate intelligat, nihil ad nos. Alij huius versus similitudinem enarrant ad

iſtum ferè modum: Sicuti ſerui & ancillæ à potentioribus oppreſſi & exagitati, ad opem ſuorum dominorum, ac dominarum reſpiciunt & confugiunt: ita nunc nos haud ſecus ad Deum oculos conuertimus, nec priùs deſiſtemus, quàm noſtri miſereatur. In hac poſteriore expoſitione τὸ *ad manum*, id eſt, ad opem: in priore verò τὸ *ad manum*, hanc videtur habere vim, quaſi diceretur, ad manum illam quæ cædit ac verberat. Non me fugit laudatum Ioſeph Kimhi exiſtimare *ad manum dominorum ſuorum*, necnon *dominæ ſuæ*, nihil aliud valere, quàm ad dominos ſuos, ſeu, ad dominam ſuam. Porrò prior illa ſimilitudinis enarratio magis mihi arridet: ad eámque meliùs quadrat illud *donec miſereatur noſtri*, quàm ad poſteriorem, iuxta quam potiùs dicendum fuiſſet, donec ferat nobis opem: nam heri, paulò qui manſuetiores ſunt, ad primum ſeruorum clamorem, ſi fortè quis illos pulſet, ſolent ſponte accurrere, ne dicam aduolare: nec opus habent ſerui ad miſericordiam eos commouere.

3 *Miſerere noſtri Domine*, &c. Spem ſuam vbi expoſuit, propoſitionem ſubiicit, quæ eſt petitio auxilij, ac ſtatim rationem propoſitionis in poſteriore membro verſus.

4 *Multùm repleta* (prop *ſaturata*) *eſt* &c. Amplificatur & explicatur ratio propoſi-

A tionis. *Anima noſtra*. Emphaticè. *Opprobrio*, ſeu, *ſubſannatione abundantium*, ſeu, *tranquillorũ*. In Fonte הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים *hallaagh haſchſchaanannim*; vbi iudicant Ezra & Kimhi deſiderari alterum לַעַג *laagh*, abſque ה: quia ſcilicet nomen cum ה emphatico non ſolet conſtrui cum nomine gen. caſus. Ad mentem igitur Kimhi vertendum eſſet, *ſubſannatione*, (*ſubſannatione, inquam,*) *abundantium*, ſeu, *tranquillorum*: vox enim Hebræa ſignificat propriè

B *tranquillos*, & inde per metonymiam diuites & rebus omnibus abundantes, quòd ij plerumque tranquillè hãc vitam agant: aut certè nihil illis ad tranquillitatem deſit, niſi animus, qui tranquillitate frui ſciat: nam fortunæ bona, vt opes & cætera eiuſmodi perinde ſunt vt illius animus, qui ea poſſi- Terent. det: qui vti ſcit, ei bona; illi qui non vtitur rectè, mala. Sed, vt redeam ad vocem *tranquillorum*, ea Amos 6. 1. à Kimhi per

C diuites exponitur, à Latino verò vertitur *opulenti*. Hîc à Græco & Latino *abundantibus* redditur. Per *abundantes*, autem ſeu *tranquillos* notare vult auctor Pſalmi hoſtes, homines, vt plerumque ſunt impij, omnibus rebus affluentes: quos & *ſuperbos* appellat: nec mirum: nam ferè opum & talium rerum copia faſtum & ſuperbiam gignit.



PSALMVS

CXXIII. CXXIV.

VERSIO

VETVS.


CANTICVM *graduum.*

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël: nisi quia Dominus erat in nobis,

2 *Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiissent nos:*

3 *Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

4 *Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

5 *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

6 *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

7 *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.*

NOVA.


CANTICVM graduum Dauid.

Nisi quòd Dominus erat nobis, dicat nunc Israël:

2 Nisi quòd Dominus erat nobis, cùm exurgerent homines in nos:

3 Tunc viuos deglutiissent nos, quum irasceretur furor eorum in nos:

4 Tunc aqua absorbuisset nos: torrens pertransisset super animam nostram:

5 Tunc pertransisset super animam nostram aqua superba.

6 Benedictus Dominus, qui non dedit nos prædam dentibus eorum.

7 Anima nostra sicut [a] passer erepta est de laqueo aucupum: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

8 Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

[a] auis.

. COMMENTARIVS.

Argumentum.

TITVLVS *ostendit hunc Psalmum esse Dauidis. Ab eo existimarim compositum post deuictos Philistæos, 2. Sam. 5. & 1. Paral. 14. Vel post superatos ac cæsos Ammonitas, corúmque socios, 2. Sam. 10. & 11 & 1. Paral. 19. & 20. Est hoc carmen gratulatorium, in quo Israëlitas hortatur Dauid, se solius Dei ope seruatos agnoscant, vnique Deo acceptam victoriam referant.*

1 *Nisi quòd Dominus* &c. Imperfecta est huius versiculi & sequentis oratio, & pendet ex ijs quæ sequuntur.

2 *Nisi quòd Dominus* &c. Repetitione significat non semel adfuisse Deum. *Homines.* In Fonte אָדָם *adham*, quod in num. multitudinis esse accipiendum admonet Ezra. Addo per contemptum sic hostes vocare, quasi diceret, homines nihili, & nihil aliud quàm terra. Vide ad vers. 5. Ps. 8.

3 *Tunc viuos deglutiissent* &c. Sensus, Tanta tunc erat eorum rabies, vt nisi Deus adfuisset, nos quasi feræ bestiæ vno impetu viuos essent absorpturi ac deuoraturi. Optimè hoc quadrat in Philistæos, & Ammonitas, quorum non parum in Israëlitas fuit inflammata rabies. In verbo *deglutiendi* est metaphora, qua inhumanitas hostium, &

feritas significanter exprimitur.

4 *Tunc aqua absorbuisset* &c. Sensus, Tunc nos hostes aquæ exundantis instar abripuissent, atque euertissent, instarque rapidissimi torrentis prorsus obruissent. Non est nouum *aquæ* & *torrentis* nomine hostilem exercitum appellari. *Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans*, id est, exercitus maximus ascensurus est è Chaldæa, Ierem. 47. 2. Omitto alia exempla. *Super animam nostram*, hoc est, super nos. Emphasim habet præpositio *super*.

5 *Tunc pertransisset* &c. Repetitur eadem sententia. *Aquam superbam*, hoc est, tumidam, & elatam, dicit pro superbo hostium exercitu.

6 *Benedictus Dominus* &c. Refer hoc semper ad *dicat nunc Israël. In prædam* &c. Perstat in metaphora, qua vsus est vers. 3.

A pingitque hostes quasi feroces belluas, & fame exasperatas, magnaque rabie in prædam irruentes.

7 *Anima nostra sicut passer* seu *auicula* &c. Pingit nunc alia similitudine hostium dolos & technas, dum ait *de laqueo aucupum*. Dum verò ait *sicut passer*, apertè significat eos nulla sua vi aut industria insidias hostium vitasse, sicuti passer aut auicula laqueis aucupis innexa & irretita nulla ratione

B se potest inde expedire, nisi si fortè rumpitur laqueus: quò spectat quod sequitur, *laqueus contritus est*, &c.

8 *Adiutorium nostrum* &c. Non temerè & casu ruptum esse illum laqueum, quo implicati tenebantur, significat, sed Dei virtute, qui cælum & terram condidit, adeóque omnia & suprema & infima habet in potestate.

PSALMVS

CXXV. | CXXIV.

VERSIO

NOVA.


CANTICVM graduum. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, (qui) non commouebitur, (&) in æternum permanebit.

2 Ierusalem, montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui: ex nunc & vsque in sæculum.

3 Quia non requiescet virga improbitatis super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

4 Benefac, Domine, bonis, & rectis [a] corde.

5 Declinantes autem (in) [b] obliquationes suas adducat Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

a heb. in cordibus suis.

b tortuositates

VETVS.


CANTICVM graduum. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

2 *Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

3 *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.*

4 *Benefac Domine bonis, & rectis corde.*

5 *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.*

COMMENTARIVS.

Argumentum.

HABET *hic Psalmus promissiones dulcissimas de perpetuitate Ecclesiæ, déque assidua Dei præsentia in populo suo, & continua piorum defensione.*

1 *Qui confidunt in Domino, (sunt) sicut mons* &c. Propositio, cuius sensus est, Sicut mons Sion immotus semper stabit, sic qui fiduciam collocant in Deo.

2 *Ierusalem, montes* &c.* Sensus, Quemadmodum vrbs Hierosolyma vndique cingitur montibus, ita Deus cingit, æternúmque cinget Ecclesiam. Vrbem igitur Hierosolymam montibus quasi muris & propugnaculis cinctam quum non facilè ab hostibus adiri posse cogitas, simul cogita quibus præsidijs Deus Ecclesiam, cuius illa typus fuit, in hac vita perpetuò muniat.

Ierusalem, montes in circuitu eius, pro, *Montes (sunt) in circuitu Ierusalem.* Est enim antecedens simul cum suo relatiuo contra consuetudinem Latini sermonis.

3 *Quia non requiescet* &c. Sensus, Etsi enim interdum Deus aliquandiu Ecclesiam finit tyrannidi subiacere, id quod aliquis obijcere posset, nunquam tamen patitur opprimi. Ait enim *non requiescet*, diu scilicet. Atque hoc nomine bono ac benigno Deo habenda est gratia, qui concutit nos, non deijcit: ostendit vulnus, & non imprimit. Vtile, vtile admoneri interdum à summo illo principe, & imperij illius, & fluxæ nostræ conditionis. *Requiescet.* Græc. & Lat. *relinquet*, ex יָנִיחַ *ianniach*, pro יָנוּחַ *ianuach.* *Virga* seu *sceptrum improbitatis* pro tyrannide. *Sortem iustorum*, hoc est, Ecclesiam. *Vt non extendant* &c. hoc est, ne tandem pij ac iusti homines fracti malis, vel etiam improborum dominorum exemplo deteriores facti deficiant à Deo, & ad scelera impellantur. Hæc scilicet ratio est, cur non sinat Deus suos à tyrannis diu vexari, aut regi. Huius loci est illud Deut. 20. 18. *Ne fortè doceant vos facere secundùm cunctas abominationes suas*, &c.

4 *Benefac, Domine*, &c. Altera pars Psalmi, in qua iustis bene precatur, impijs imprecatur. *Rectis corde.* Dicit *corde*, quòd rectitudo sit in corde, eáque sit fundamentum; sermo autem & opus veluti ædificium. Ezra.

5 *Declinantes autem* &c. Mutat subitò secundam personam in tertiam, id quod in lingua sancta elegantiam habet. Qui autem, inquit, cùm sint intra Ecclesiam, ac veram fidem profiteantur, à recta via in prauam deflectunt, ad iustas pœnas haud secus abripiat Deus, quàm profanos & sceleratissimos quosque consueuit: verus autem Israëlita solida certáque fruatur tranquillitate. *Obliquationes* seu *tortuositates.* Lat. *obligationes*; Græc. στραγγαλιάς. Verùm Sym. vertit σκολιώσεις; Theo. διεστραμμένα; D. Hieron. *prauitates.*



PSALMVS

CXXVI. CXXV.

VERSIO

NOVA.



CANTICVM graduum. Quum reduxit Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut ſomniantes.

2 Tunc repletum eſt riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione: tunc dixerunt inter Gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis.

3 Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

4 Reduc, Domine, captiuitatem noſtram, ſicut torrentes in Auſtrum.

5 Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

6 Eundo ibit & flendo, portans [a] pretium ſeminis: veniendo veniet cum exultatione, portans manipulos ſuos.

a vel caniſtrum

VETVS.



CANTICVM *graduum. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.*

2 *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.*

3 *Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.*

4 *Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.*

5 *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro.*

6 *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.*

7 *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.*

8 *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.*

COMMMENTARIVS.

Argumentum.

HVNC Pſalmum oratio indicat à Dauide non eſſe compoſitum, ſed ab alio quopiam, Iudaico populo è Babylonia reduce, & in patriam reſtituto. Duas habet partes hoc carmen. In priore parte inducitur populus ſibi gratulans de reditu in patriam. In poſteriore, qui iam patria fruebantur, Deum orant, vt cæteros captiuos, qui ſcilicet Babylone remanſerant, aut alibi terrarum fortè extarent, velit reducere, iam ſatis malorum expertos.

1 *Quum reduxit* &c. Senſus planus eſt, Poſtquam nos in patriam è Babylone Deus reduxit, profectò nobis videbamur ſomniare: tantum fuit, & tam inopinatum bonum. Kimhi obſeruat patrem ſuum interpretari ſic hunc verſum: Inſtar auolantis ſomnij erit in oculis noſtris anguſtia captiuitatis, præ multò gaudio, quod nobis A erit, quum reduxerit nos in patriam. De futura libertate, quam ſperant, nimirum accipit. Iuxta hunc poſſumus nos exponere, Nihil aliud quàm ſomnium fuerunt exilij mala, poſtquam nos Deus in patriam reſtituit, túncque videbamur nobis tantùm ſomniaſſe illa mala. *Sicut ſomniátes.* Chaldæus verbum חלם *chalam*,

in Chaldaica significatione accepit, interpretatúsque est, *sicut ægroti qui conualuerunt*. D. Hieron. *quasi somniantes*.

2 *Tunc repletum est* &c. Plana est huius versus sententia, nec indiget declaratione. Solùm obserua particulam אָז *az*, id est, *tunc*, hîc, vt aliàs communiter, conuertere verbum fut. temp. in præt. Exemplum est Exo. 15. 1.

3 *Magnificauit Dominus* &c. Perinde ac si diceret, Ac certè ita est, vt dicunt, agnoscimúsque mirificum planè istud esse Dei erga nos beneficium: atque ideo meritò lætati sumus & triumphauimus.

4 *Reduc, Domine, captiuitatem nostram*, &c. Gratulationem sequitur petitio. Non omnes Hebræi simul in patriam ex Babylone redierе, sed alij, regnante Cyro, alij Dario, alij Xerxe Darij filio. Qui igitur primi redierant, petunt reliquos quoque reduci, & sic cœptum beneficium perfici ac compleri. Igitur sensus huius versus est, *Reduc captiuitatem nostram*, &c. id est, Fac vt cæteri nostrates captiui redeant, hánceque solitariam ac desertam regionem repleant, quod perinde erit ac si in Australem plagam radijs solis infestam, ideóque arentem torrentes induceres. Hæc mihi videtur esse vis comparationis, qua vult exprimere summam solitudinem. Græci Interpretes hunc versum sic exponunt: Reduc nos in tanta multitudine, vt imitemur torrentes abundantes flante Austro: is enim ventus & pluuijs gignendis, & niue liquefacienda torrentes plurimùm auget. Scilicet Græcum codicem sequuntur, vbi legitur ἐν τῷ νότῳ. Verùm vox Hebræa נֶגֶב *negheu*, non significat ventum Australem, sed *plagam Australem*, vt Iud. 1. 9. aut *terram siccam*, seu *arentem*, vt Iud. 1. 15. & hoc loco fortasse.

5 & 6 *Qui seminant in lacrymis*, &c. In hoc & sequente versu generalis sententia est, & prouerbialis quidem, qua significatur tristibus læta solere succedere: ideóque tempus esse, vt miseri exules, postquam tot mala sunt experti, libertati restituantur. Metaphora autem est in his versibus ducta ab agricola, qui carum quidem semen tristis in terram spargit: at idem tempore messis it reditque lætus atque onustus manipulis. Sed diligentiùs examinentur singulæ phrases & voces vers. sexti. *Eundo ibit & flendo*, id est, Agricola interdum it, reditque tristis per aruum, *portans pretium seminis*, id est, semen magno emptum pretio portans ac spargens in terram dubio euentu: quanquam Ezra מֶשֶׁךְ *meschech*, quod ex Kimhi vertimus *pretium*, pro vase, quo defertur semen, accipit: & Chald. *traham sementis* interpretatur: eodem sensu. *Veniendo veniet* &c. id est, idem messis tempore it reditq; domum lætus, *portans manipulos suos*, vel ex Ezra, *manipulos eius* seminis. In his versibus futura per præsens sunt exponenda, vt aliàs iam sæpe fieri oportere annotauimus in generalibus sententijs.



PSALMVS

CXXVII. CXXVI.

VERSIO

NOVA.



ANTICVM graduum [a] Salomonis.

a vel Salomonis. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt [a] qui ædificant

a ad verb. ædificatores eius in ea: eam: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat [b] qui custo-

b custos. dit eam.

c Frustra d mane 2 [c] Vanum (est) vobis [d] ante lucem surgentibus, tardantibus sedere, manducantibus panem dolorum: sic dabit dilecto suo somnum.

3 Ecce hæreditas Domini, filij: merces, fructus ventris.

e fortis, 4 Sicut sagittæ in manu [e] potentis, ita filij iuuentutis.

5 Beatus vir qui impleuit pharetram suam ex ipsis: non confundentur, quum loquentur cum inimicis in porta.

VETVS.



ANTICVM graduum Salomonis.

Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

2 *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

3 *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.*

4 *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.*

5 *Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.*

6 *Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. VOX לשלמה lischlomo, *quæ est in Tit. potest exponi vel* Salomonis, *vt Psalmus sit Salomonis; vel* Salomoni, *vt sit Salomoni inscriptus, à Dauide scilicet. Hic Psalmus docet nihil esse sine Deo suscipiendum, aut designandum, alioquin quicquid agas non successurum.*

1 *Nisi Dominus* &c. Propositio Psalmi est, Omnes hominum labores esse irritos, nisi diuinitus adiuuentur. Hanc propositionem per distributionem explicat, ac primùm ait, frustra artifices in extruendis ædificijs laborare, nisi Deus ipse ædificet, ac frustra custodes vrbium excubare, nisi & Deus excubet.

2 *Vanum* seu *Frustra* (*est*) *vobis* &c. Secunda distributionis pars, quâ per subitam apostrophen opifices & mercatores A auaros compellans, ostendit frustra illos manè expergisci ad opus, & mercaturam, tardè & in multam noctem sedere in opere & tabernis, adeóque panem edere multis curis dilutum, nisi Deus laboribus faueat. *Sic dabit dilecto suo somnum.* Ita connecte, atque vt vos frustra fatigamini, vix vnquam à laboribus & curis quiescentes, sic Deus ijs, quos diligit, liberam ac tranquillam mentem, atque adeo somnum concedit, non otiosis & ignauis illis quidem,

dem, sed sic laborantibus, vt se inanibus curis haud excrucient, sed euentum Deo committant, & peracto labore suauiter dormiant. Ad hunc versum debet referri illud Eccl. 5. 11. *Dulcis (est) somnus operantis, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.*

3 *Ecce hæreditas Domini*, &c. Tertia & postrema pars distributionis, qua significat liberos homini quasi hæreditatem & præmium diuinitus dari. *Ecce* quum ait, perinde est ac si diceret, Videte est illud. Quum ait *hæreditas*, significare vult non vi solius naturæ procreari liberos, sed à Deo præsertim contingere, non secus atque hæreditas liberis à parentibus relinquitur absque vllo illorum labore. *Merces, fructus ventris.* Eadem sententia alijs verbis repetitur. Nam per *fructum ventris* filios intellige, vt loco Gen. mox citando, & Deut. 28. 4. *Merces* quum ait, palàm est eum intelligere de filijs sapientibus & pijs: alioquin insipientes filij præmij & beneficij loco haud sunt habendi. Vnde Chald. sic interpretatus est, *Ecce hæreditas Domini, filij recti: merces operum bonorum, filij ventris.* Cum hoc porrò versu conferendum illud quod Iacob Racheli liberos à se postulanti iratus respondit, Gen. 30. 2. *Nunquid pro Deo ego (sum,) qui prohibuit à te fructum ventris?* significare volens Dei esse vterum aperire & claudere. Huc quoque pertinet quod legitur de Isaac, *Deprecatúsque est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Gen. 25. 21.

4 *Sicut sagittæ* &c. Quoniam dixerat in præcedente versu liberos hæreditatis & præmij loco à Deo esse, nunc cui vsui sint liberi docet. Filij, inquit, homini adhuc iuueni nati, magno illi vsui sunt, & perinde atque sagittæ in manu viri fortis. Comparatio in hoc est, quòd vt vir strenuus, ac bo- A nus iaculator contortis sagittis à se hostes depellit, ita parentibus grandiorum ac prouectioris ætatis liberorum opera vtilis sit ad propulsanda mala atque incommoda. Dicit *filij iuuentutis* seu *adolescentiæ*, hoc est, filij qui homini adhuc iuueni nascuntur, quòd qui filij homini iam seni nascuntur, per ætatem neque consilio, neque opera vnquam vtiles esse possint. Græcus & Lat. acceperunt נְעֻרִים *neurim* in Paul Kal, à נָעַר *naar*, quod est *excussit*, vertêruntque B *excussorum*. Verùm Hebræi omnes, quos vidi, necnon B. Hieron. accipiunt pro nomine substantiuo, & *iuuentutis* seu *adolescentiæ* exponunt. Sic quoque Symm. & Theod. teste D. Hieron. ep. 126. ad Marcellam. Cæterùm vt hic dicitur *filij iuuentutis*, sic Gen. 37. 3. *filius senectutis*, de Ioseph videlicet, quem Iacob *in senectute genuisset*, quemadmodum ibi exponit Latinus. Ioel. 1. 8. *maritus iuuentutis* appellatur, cui quæ iuuenis nupsit. Ex hoc versu C discant filij parentibus semper esse ad manum, sicut sagittæ iaculatori sunt ad manum, cósque instar sagittarum debere protegere, ac defendere. Huc & pertinet sequens versus.

5 *Beatus vir qui* &c. Sicuti in præcedente versu liberos cum sagittis comparauit, ita nunc domum *pharetram* appellat. Felix, inquit, cui domus abundat liberis. Subiicitur ratio hæc, *non confundêtur* seu *erubescent* pater ille ac liberi, *quum loquentur cũ inimicis* D &c. hoc est, quũ erit illis de honore aut capite disceptandum in foro seu iudicio, seu, quum in ius vocabuntur: patris enim caussam strenuè agent liberi. Per *portam* non dubium habeo quin intelligat forum seu iudicium: iudicia enim in portis exercebantur. Vnde Chaldæus exposuit *in porta domus iudicij*. Sed de hac re non semel dictum. Ezra tamen *in porta* interpretatur in oculis omnium: quod mihi parum arridet.

PSALMVS

CXXVIII.	CXXVII.
VERSIO	
NOVA.	VETVS.
 ANTICVM graduum. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.	 *ANTICVM graduum. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.*
2 Laborem manuum tuarum certè manducabis: beatus eris, & bene tibi (erit.)	2 *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.*
3 Vxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ: filij tui sicut [a] nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.	3 *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.* 4 *Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.*
4 Ecce certè sic benedicetur homo qui timet Dominum.	5 *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*
5 Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.	6 *Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.*
6 Et videas filios [b] filiorum tuorum, pacem super Israël.	7 *Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël.*

[a] plantulæ

[b] ad verb. filij tui:

COMMENTARIVS.

Argumentum. *DOCET hic Psalmus in summa prosperitate vitam acturum, quicumque Deum veretur & colit: ipsum, si necesse habeat manibus victum comparare, frustra laboraturum nunquam, imò beatè suauitérque victurum; eíque abundantem liberis fore familiam. Psalmus concluditur voto, vt vir pius à Deo fortunetur, fruatúrque perpetua pace, & longam liberorum ac nepotum seriem conspiciat*

1 *Beati omnes* &c. Propositio. Per eos *qui timent Dominum* intelligunt Ezra & Kimhi illos qui sibi cauent à præceptis negatiuis; per eos verò *qui ambulant in vijs eius*, qui obediunt præceptis affirmatiuis.

2 *Laborem manuum tuarum* &c. Nunc propositionem distributione explicat, cõpellans per apostrophen quisquis Deum veretur ac colit. Ac primùm, Scito, inquit, partem hanc tuæ fœlicitatis, ô quisquis sic te geris, quòd nunquam inanis futurus est tuus labor, sed cum silentio operans, tuum panem sis manducaturus, beatéq; ac suauiter semper victurus. Discamus hinc operâ victũ quæritandũ, si necesse sit, neque gratis panẽ mãducandum ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione nocte diéque nobis operandum, ne quem grauemus. Teneamus illud Apostoli, 2. Thessal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* (2. Thessal. 3.)

3 *Vxor tua* &c. Secunda pars distributio- A
nis, qua viro pio fœcunda vxor promittitur.

Vxor tua sicut vitis &c. Vxorem idcirco conferri cum vite vult Kimhi, quòd vt vitis sola omnium arborum intra domum plantari potest, ita tamē vt illius rami foras mittantur, quò calore solis gaudeant: ita vxor domi delitescere, séque continere debeat, (idcirco hîc dicitur *in lateribus domus tuæ*) nec vnquam in publicum prodire, sed liberos foras ad obeunda domestica negotia B
mittere, non secus ac vitis domi satæ rami foras mittuntur. Simplicius est dicere, conferri vxorem cum vite propter fœcunditatem, quæ maximè in vite commendatur.

Filÿ tui sicut &c. Kimhi obseruat, quum filij plantulis olearum comparantur, significari, neminem illorum fore spurium: siquidem olea nihil extraneum admittat, nec insitionem patiatur. Vel, illos perpetuò florere, quemadmodum olea nunquam non floret.

4 *Ecce certè sic benedicetur* &c. Breue epiphonema, quo abrumpitur instituta apostrophe.

5 *Benedicat tibi* &c. Altera pars Psalmi, in qua bene precatur viro pio, eúmq; optat sic à Deo benedici, &c. *Et videas bona* &c. Ad verb. *& vide in bono* &c. hoc est, ac detur tibi intueri florentem statum vrbis Hierosolymæ: fruere, quoad viues, pace ac prosperitate Hierosolymorum. Verbum רָאָה *raa*, *videndi* cum ב constructum idem esse, quod frui, dictum est alio loco diligentiùs.

6 *Et videas filios* &c. Precatur vt nepotes videat, adeóque diu viuat vir pius. *Pacem super Israel* sup. *& videas* ex Ezra. Alij tamen vertunt *pax super Israël:* quo modo clauditur Psal. 125.

PSALMVS

CXXIIX. | CXXIX.

VERSIO

VETVS.



ANTICVM *graduum.* *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël.*

2 *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.*

3 *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.*

4 *Dominus iustus concidit ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.*

5 *Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur, exaruit.*

6 *De quo non impleuit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit:*

7 *Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.*

NOVA.



ANTICVM graduum.

[a] Sæpe oppugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël. a Multùm

2 [b] Sæpe oppugnauerunt me à iuuentute mea: etiam non potuerunt mihi. b Multùm

3 Supra dorsum meum arauerunt aratores, prolongauerunt sulcum suum.

4 Dominus iustus concidit funes [c] peccatorum. c improborum.

5 [d] Confundentur, & conuertentur retrorsum omnes qui oderunt Sion. d Pudefient

6 Erunt sicut fœnum tectorum, quod priusquam egrediatur, exaruit:

7 De quo non impleuit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit:

8 Et non dixerunt prætereuntes, Benedictio Domini super vos, benedicimus vobis in nomine Domini.

COMMENTARIVS.

Argumentum.

HOC carmen editum est in graui aliqua Israëlitici populi calamitate, siue illa sit captiuitas Babylonica, siue alia calamitas. Duabus constat partibus. In prima iubentur Israëlitæ redire in memoriam ac publicè profiteri, ex quot & quantis periculis Dei beneficio olim emerserint: in secunda iubentur bene sperare, hostes nimirum ignominiæ plenos irritis conatibus terga versuros, instárque herbæ in tectis enatæ in nihilum statim abituros.

1 *Sæpe (Multùm) oppugnauerunt (afflixerunt) me* &c. In 4. primis versibus iubet Israëliticũ populũ memoria repetere, imò palàm profiteri, quot & quanta mala vel à primis temporibus perpessus sit; atque è regione admirandas liberationes: ne scilicet in præsenti periculo deficeret, sed bene speraret. *Oppugnauerunt me* olim. *Oppugnauerunt* impersonaliter vsurpatur. *A iuuentute mea*, hoc est, vel à primis meis temporibus, quibus eram in Ægypto. Per metaphorã superiora & antiquiora tẽpora iuuentus appellantur. Exemplum habes Os. 2. 15. *& canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta diem ascensionis suæ de terra Ægypti.*

Dicat &c. hæc & quæ sequuntur vsque ad finem Psalmi.

2 *Sæpe (Multùm) oppugnauerunt* &c. Repetitione amplificat pericula. *Etiam non potuerunt mihi.* Sensus, nec tamen vnquam mihi præualuerunt. Chald. exposuit, *verùm non potuerunt malefacere mihi.*

3 *Supra dorsum meum* &c. Hostes suos Israëlitæ metaphoricẽs appellant *aratores*, aiúntque *supra dorsum suum arasse*, hoc est, suum dorsum verberibus, quasi solum aratro, proscidisse, hoc est, multa mala & plagas sibi inflixisse. Quum addunt *prolongauerunt sulcos suos*, significare volunt longa & diuturna fuisse sua mala. Haud absimilis est figura ei quæ est in hoc versu, Es. 51. 23. *qui dixerunt animæ tuæ, Incuruare, (Incurua te,) vt transeamus: & posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.* Græc. & Lat. aliter verterunt hunc versum: D. Hieron. ferme, vt nos, *Supra ceruicem meam arabant arantes: prolongauerunt sulcum suum.*

4 *Dominus iustus* &c. Sensus, Sed semper Deus pro sua iustitia lora ac funes, quibus nos miserè constrictos scelerati illi tenuerunt, vel, vt perseueret metaphora præcedentis versus, quibus aratrum in dorso nostro traxerunt, concidit, hoc est, omnia illorum consilia, omnes machinas, & conatus elusit atque euertit.

A 5 *Confundentur (Pudefient) &* &c. Incipit altera pars Psalmi, in qua, exemplo scilicet superiorum liberationũ, iubentur Israëlitæ bene sperare, nec deficere in præsenti periculo. *Confundentur & conuertentur retrorsum* &c. perinde quasi diceretur, Nunc quoque, speramus, aduersarij nostri Sionis hostes erubescent irritis conatibus, ac terga vertent.

6 *Erunt sicut fœnum* &c. Hac similitudine hostium potentiam extenuat, eósque de medio tollendos significat, antequam quicquam perfecerint, non secus atque herbæ, B quæ nascuntur in tectis, priusquam in aliquam altitudinem assurgant, ardore solis exarescunt. *Quod priusquam egrediatur*, &c. Hyperbolicè hoc dici obseruat Kimhi. Chald. interpretatus est, *quod antequam florescat, venit ventus Eurus, euellit ipsum, & arescit.* Græc. & Lat. verterunt *euellatur*: & ab his faciunt Rasi & Ezra. Alij vertunt, *quod priusquàm extrahat* quis falcem sup. hoc est, quod priusquàm maturum sit ad messem, &c. Eódem semper redit sententia.

7 *De quo non impleuit* &c. Periphrasis, C pro, Quod nemo metit, ac demessum in manipulos colligit. Significare vult autem, vt nemo est qui fœnum illud in tectis domorum enatum metit, sic qui hostes curet, ac floccifaciat, fore neminem.

8 *Et non dixerunt* &c. In hoc versu respicit ad consuetudinem viatorum, qui messoribus, quos offendunt, gratulari ac bene precari solent: quúmque defuisse ait viatores, qui fœni in tectis enati messoribus be- D nedicerent, significare vult nullos esse eiusmodi fœni messores; ac per hoc, hostium consilia non successura, sicut fœnum illud nunquam metitur, quod in tectis crescit.

Benedictio Domini, &c. Verba per Mimesim referuntur, quibus qui iter faciunt, messoribus solent bene precari. Sic Booz legimus è Beth-lehem venientem messores salutasse his verbis, *Dominus vobiscum*, Ruth 2. 4.

PSALMVS

CXXIX. CXXX.

VERSIO

Vetus.

Canticvm *graduum.* *De profundis clamaui ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.*

2 *Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.*

3 *Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?*

4 *Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.*

5 *Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.*

6 *A cuſtodia matutina vſque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.*

7 *Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.*

8 *Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius.*

Nova.

Canticvm graduum. De profundis clamaui ad te Domine.

2 Domine audi vocem meam : fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

3 Si iniquitates obſeruaueris, Domine; Domine, quis [a] ſuſtinebit? *a ſtabit?*

4 Profectò apud te venia (eſt,) vt timearis.

5 Expectaui Dominum; expectauit anima mea : & in verbo eius ſperaui.

6 Anima mea ad Dominum, magis quàm cuſtodes ad mane, cuſtodes (inquam) ad mane.

7 Spera Iſraël in Domino : quia apud Dominum miſericordia, & [b] copioſa apud eum redemptio. *b multa*

8 Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.

COMMENTARIVS.

Argumentum.

Dubio procul hic Pſalmus debet exponi de homine confugiente ad Dei miſericordiam, ac petente ſibi remitti peccata : ac fortaſſe de Dauide, poſtquam peccaſſet cum Bethſabee. Idcirco olim inter Pœnitentiales fuit, id eſt, inter eos qui canebantur, quum publicè pœnitentes Eccleſiæ reconciliabantur. Duas habet partes hic Pſalmus. In priore Deum rogat, quiſquis autor eſt huius Pſalmi, vt delictorum gratiam faciat, ſimúlque ſpem quam in illo habet, exponit : in poſteriore parte omnes Iſraëlitas hortatur, vt in Deo certam ſpem collocent, cuius infinita eſt miſericordia, & ſalus; quique adeo illis, ſi reſipiſcant, omnia peccata condonabit. Porrò Eccleſiæ conſuetudine receptum, vt pro piè defunctis recitetur hic Pſalmus, quoniam in eo crebra fit diuinæ miſericordiæ mentio, qua ij multùm indigent, ſi adhuc fortè in pœnis Purgatorij detineantur.

1 *De profundis* &c. *De profundis*, hoc A eſt, ex altiſſimo dolorum gurgite, in quem me peccata præcipitem dederunt. Sunt qui è Græcis ſcholijs exponant, è profundo & imo corde.

2 *Domine audi vocem* &c. Hic verſus non eget declaratione.

3 *Si iniquitates* &c. Senſus, Actum eſt de me prorſus, ſi tu velis habere rationem meorum delictorum, & mecum ſummo iure agere. Verte, ſi vis, *ſeruaueris* ſup. mihi, hoc eſt, ſi recordari volueris peccatorum, quæ antè admiſi.

4 *Profectò apud te* &c. Sensus, Tui solius est parcere, non ipsorum Angelorum: quæ res imprimis homines ad tui cultum & timorem adducit. Timorem hîc intellige non seruilem aliquem metum, sed cultum ac reuerentiam. *Vt timearis*. Chald. qui pro תִּוָּרֵא *tiuuare*, legit תֵּרָאֶה *terae*, à רָאָה *raa*, quod est *vidit*, interpretatus est, *vt videaris*. Græc. & Lat. non conueniunt: ille enim vertit ἕνεκα τοῦ ὀνόματός σου; hic *propter legem tuam*; quia legit תּוֹרָה *tora*, pro תִּוָּרֵא *tiuuare*. In quibusdam tamen Græcis codicibus legitur ἕνεκα νόμου σου. Diuersam versuum distinctionem nihil moror.

5 *Expectauit anima mea*, hoc est, ex animo expectaui. *In verbo eius*, quo peccatorum veniam resipiscentibus pollicitus est.

6 *Anima mea ad Dominum* expectat seu intenta est, *magis quàm custodes* murorum *ad mane*, quãdo illis somnum capere liceat. *Custodes (inquam) ad mane*. Repetitione ingens desiderium exprimit.

7 *Spera Israël* &c. Postquam Psalmi autor suam in Deo fiduciam exposuit, Israëlitas omnes suo exemplo hortatur, vt certam spem ac fiduciam in Deo collocent, cuius immensa sit misericordia, quique adeo illos ab omnibus delictis, si veniam petant, sit liberaturus. *Redemptio*. De qua intelligat, mox exponet.

8 *Et ipse redimet* &c. Aptum loco verbum: nam quisquis peccati reus est, dura Dæmonis tyrannide ac seruitute tenetur.

PSALMVS

CXXXI. CXXX.

VERSIO

NOVA.



Canticvm graduum Dauid.

Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, a supra neque in mirabilibus [a] super me.

2 Si non posui, & silere feci animam meam, sicut ablactatus super matre sua: sicut ablactatus, super me anima mea.

3 Spera Israël in Domino, ex nunc & vsque in sæculum.

VETVS.



Canticvm graduum Dauid.

Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.

2 *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.*

3 *Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam:*

4 *Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.*

5 *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *DAVID à proceribus regni Saulis accusatus, quòd regiam potestatem affectaret, & magna moliretur, suam caussam agit apud Deum, eúmque testem aduocat aduersùs illorum calumnias, se nihil vnquam tentasse, quod vires & vita sua statum superaret, imò quietum, ac nullius rei sollicitum semper vixisse, instar infantuli à lacte depulsi. In postremo versu omnes hortatur suo exemplo, vt in Deo omnem spem collocent, ab eóque vno pendeant.*

1 *Domine, non est exaltatum* &c. Pars propositionis, in qua Dauid exponit Deo se neque animum, neque oculos ad res magnas intendisse, neque res arduas & supra vires positas sequutum esse.

2 *Si non posui*, &c. *Si non.* Hæ particulæ locum habent pro consuetudine linguæ Hebraïcæ in iuramentis, & per eclipsin imprecationis hoc aut simile aliquid significant, Ita atque ita mihi eueniat, si non ita feci, facio, aut facturus sum: quo modo Ruth 1. 17. *hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit.* Sensus igitur huius versus est, Dispeream, aut malè mihi à Deo contingat, (supprimitur enim, vt dictum est, de industria imprecatio) *si non posui animam meam, & silere feci animam meam*, hoc est, nisi animum meum iussi quiescere, nullam sui curam agentem, *sicut ablactatus* sup. ponit & sistere facit animam suam *super matre sua*, hoc est, non secus atque infans à lacte depulsus, totus à cura matris pendet, de nulla re prorsus sollicitus. *Sicut ablactatus super me* vel *apud me, anima mea.* Idem repetit, quasi diceret, animus meus apud me quiescit, nihil sollicitus, non secus atque infans à lacte depulsus. Nota. Quod ait *super me*, non respondet ad *super matre sua*: alioquin non quadraret comparatio: sed *super me* ait emphaticè, quasi diceret, intra me: vultque significare in hoc versu se nullius rei esse sollicitum, infantis instar, quem mater lacte alere desijt: tantùm abesse, vt magna moliatur: sed vt ille à matris cura pendet, sic omnem euentum Deo se committere, ab eoque totum pendere. *Silere feci.* Græc. & Lat. *exaltaui*, ex רוֹמַמְתִּי *romamti*, pro דוֹמַמְתִּי *dhomanti.* Mitto Græc. & Lat. in posteriore membro pro גָּמֻל *gamul*, quod est *ablactatus*, legisse גְּמֻל *gemul*, quod significat *retributionem*; necnon עָלֵי *ale, super*, pro עָלַי *alai, super me.* Facit à Græco & Lat. qui verterunt *ita retributio in anima mea*, Symm. qui vertit ὥσπερ ἀπογαλακτιζόμενον τῇ ψυχῇ μου.

3 *Spera Israël* &c. Suo iam exemplo omnes Israëlitas hortatur, vt in Deo omnem spem ponant ac quiescant.

PSALMVS

CXXXI. CXXXII.

VERSIO

VETVS.


CANTICVM *graduum. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius:*

2 *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob:*

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei:*

4 *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem,*

5 *Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

6 *Ecce audiuimus eam in Ephratha: inuenimus eam in campis syluæ.*

7 *Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius:*

NOVA.


CANTICVM graduum. Memeto, Domine, Dauid, (&) omnis afflictionis eius:

2 Qui iurauit Domino, vouit potenti Iacob:

3 Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero [a] in lectum strati mei; *a super*

4 Si dedero somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem:

5 Donec inueniam locum Domino, tabernacula potenti Iacob.

6 Ecce audiuimus illud in Ephratha: inuenimus illud in campis syluæ.

7 Introibimus in tabernacula eius, adorabimus scabellum pedum eius,

8 Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & arca fortitudinis tuæ.

9 Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent.

10 Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui.

11 Iurauit Dominus Dauid veritatem, non recedet ab ea, De fructu ventris tui ponam ſuper [b] ſedem tuam.

b ſolium tuum.

12 Si cuſtodierint filij tui [c] teſtamentum meum, & teſtimonia mea quæ docebo eos, etiam filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper [d] ſedem tuam.

c pactum

d ſolium tuum.

13 Certè elegit Dominus Sion: expetiuit in habitationem ſibi, (dicens:)

14 Hæc requies mea in ſeculum: hic habitabo, quoniam elegi eam.

15 Victum eius benedicendo benedicam: pauperes eius ſaturabo pane.

16 Et ſacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultando exultabunt.

17 Illic germinare faciam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo.

18 Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit diadema eius.

8 Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

9 Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent.

10 Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui.

11 Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eam: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

12 Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos:

13 Et filij eorum vſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.

14 Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

15 Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.

16 Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.

17 Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt.

18 Illuc producam cornu Dauid: *paraui lucernam Chriſto meo.*

19 Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

COMMENTARIVS.

Argumentum.

K*IMHI putat hunc Pſalmum à Dauide editum, quando iuſſus à Gad Propheta altare Domino erexit in area Areunæ Iebuſæi, atque in eo altari* obtulit holocauſta & pacifica: & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo ſuper altare holocauſti. Dixitque Dauid, Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſraël. 1. *Paral.* 21. 26. *necnon* 22. 1. *Nimirum ad illum vſque diem Dauid locum, in quo extruendum eſſet Templum, ignorauerat. Confirmat hoc locus* 2. *Paral.* 3. 1. Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalem, in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Dauidi patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebuſæi. *Ego exiſtimo tum quidem à Dauide editum hoc carmen, ſed vt tum decantaretur, cùm in Templum in loco ipſi reuelato extructum Arca Domini inferretur. Perſuaſit hoc ſeries Pſalmi, ac præſertim verſ.* 7. 8. 9. & 10. *Sedenim apertè noſtram ſententiam iuuat, quòd Salomon, illata in Templum à ſe extructum Arcâ, huius Pſalmi verſus* 8. 9. 10. *paucis immutatis vſurpauit,* 2. *Paral.* 6. *in fine. Vide quæ ad verſum* 10. *notauimus.*

1 *Memento Domine* &c. Inducitur in primis versibus vniuersus populus Deum obtestans, vt declaret se memorem esse Dauidis, omniúmque eius laborum, qui voto se obstrinxerat, nisi areâ ædificando Templo repertâ, limen domus intraturum ac quieturum nunquam. Tribuitur hoc laudis Dauidi solùm, quòd de quærenda Templi sede fuerit sollicitus. Non enim Dauidi per Deum licuit Templum extruere, vt constat ex 2. Sam. 7. 13. & 1. Paral. 17. 12. *Afflictionis*. Græc. & Lat. *mansuetudinis*, qui legerunt עַנְוֹתוֹ *anuatho*, pro עֻנּוֹתוֹ *vnnotho*, quæ vox, meâ quidem sententiâ, est infin. Pual, & significat ad verbum *affligi eius*.

2 *Qui iurauit* &c. His quatuor versibus declaratur Dauidis pietas & religio, qui iurasset ac vouisset se Templi locum, quem scilicet Deus destinarat Deut. 12. 5. quæsiturum donec reperisset. *Vouit*. Iurauit scilicet adhibito voto, quod duobus sequentibus versiculis refertur. *Potenti* seu *forti Iacob*, hoc est, ei quem Iacob *fortem suum* appellabat, ex. gr. Gen. 49. 24. quippe qui illi nunquam defuit laboranti, cúmque à Labane & Esau defendit: & cuius ope Angelo superior extitit, quâ quidem re nihil ab hominibus sibi esse timendũ monebatur, Gen. 32. 28 Sic ferè ad hoc Kimhi, qui præterea addit, Meminit ipsius *Iacob*, quòd illi scilicet domus Sanctuarij, seu Templi locus secundùm quietem visus esset, quando nimirum ostensa illi est scala illa, de quâ pauens ac territus dixit Gen. 28. 17. *Quàm terribilis est locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*. Id quod quidem de Sanctuario dixisse, nõn de Bethel, vbi iacebat, intelligendus est. At quoniam illic contigerat tam grauis momenti somnium, erexit ibi statuam seu titulum, & [Gen. 35. 7. Gen. 28. 22.] postquam reuerteretur ex Haran, altare, ac dixit, *Erit domus Dei*, hoc est, domus orationis seu precationis ad Deum, quandoquidem vidi hoc ipso in loco (hoc non concederem, sed nihil attinet nunc de ista re disputare) ædificatum iri Templum. Multa alia adfert Kimhi ex Rabbinis quæ omitto. Tantùm hoc ex illo præterea visum est annotare, quod ex veteribus Rabbinis obseruat: Non, inquit R. Abahu, dicitur, *vouit forti Abraham* aut *forti Isaac*, sed *forti Iacob*, quòd Iacob primus omnium vouerit, quemadmodum dicitur Gen. 28 20. *Vouítque Iacob votum, dicendo*. Quid *dicendo?* dicendo omnibus, seu docendo omnes vouendum esse in calamitatibus. Nihil moror, num bene acceperit illud *dicendo*, nécne: sed tamen hinc euidenter constat, quæ fuerit veterum Hebræorum (est enim iste antiquissimus [illegible]de votis nuncupandis sententia contra nouam hæreticorum opinionem, qui ferè vota improbant.

3 *Si introiero* &c. Per Mimesim refertur votum, de quo in præcedente versu. Porrò sic Dauid ad Prophetã Nathan, 2. Sam. 7. 3. *Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium*. Quibus ex verbis quantum fuerit Dauidi extruendi Templi desiderium haud obscurè intelligitur. Quod autem dicit *si introiero, si ascendero*, Kimhi hyperbolicũs vult accipi, quasi diceret, sibi haud gratam vnquam futuram mansionem in domo, ac dormitationem in lecto, donec inuenerit locum Domino. Sic ferè ille. Sequens etiam versiculus eodem modo est accipiendus. *Si*. Particula iurantis. *Lectum strati mei*, hoc est, lectum in quo est stratum meum: lectum elegantibus stratum tapetibus, quales Regem decent. Kimhi.

4 *Si dedero somnum* &c. Sensus, Tantùm abest, vt ego sim dormiturus, vt ne oculis quidem nictaturus sim.

5 *Donec inueniam locum Domino*. Chald interpretatur, *Donec inueniam locum ad ædificandum domum Sanctuarij Domini*. *Tabernacula*. Vsus est numero multitudinis ad plures Templi partes indicandas. Nam in Templo, inquit Kimhi, domus erant tres.

6 *Ecce audiuimus* &c. Referuntur & hic per Mimesim verba, quibus sibi Dauid de reperto, quẽ quæsierat, loco gratulatus fuerat. *Ecce*, inquiebat, *audiuimus illud in Ephratha* vrbe nostra, scilicet fore locum electum seu peculiarẽ Templo seu domui Sanctuarij in perpetuum: neque esse Silo, Nobe, & Gabaon. Solummodò, inquam, olim ex maioribus natu audiuimus in vrbe nostra adhuc alium reuelandum locum electum: atque ecce nunc tandem *inuenimus illud*, illud scilicet, de quo acceperamus, *in campis syluæ*, hoc est, in area Ornan Iebusæi, syluoso loco. Per *Ephratha*, Bethlehem intellige Dauidis patriam. Quòd *Ephratha* significet Beth-lehem, mihi verò nihil est dubium. Vis testem. En tibi Gen. 35. 19 *in via quæ ducit Ephratham, hæc est Bethlehem*. Et Gen. 48. 7. *& sepeliui eam iuxta viam Ephrathæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem*. Atque vtrumque nomen coniungitur Mich. 5. 1. *Et tu Bethlehem Ephratha*. *Ephratha* fertilem & fructificantem, (nam פָּרָה *para*, significat *fructificare*) *Bethlehem* autem domum panis sonat, quasi dicas frumento & pane abundantem. *Illud*. Sic vertimus, quia in Fonte pronomen est fœm. gen. quod quò

teferas, nescias, [illegible] pro neutro genere A vsurpatum dicas, ex cõsuetudine Hebraici sermonis, de qua aliàs non semel. *Audiuimus* aiebat in num. multitudinis, quòd non ipse solùm, sed & omnes illud sæpe audissent. Ait item *inuenimus*, quòd iste locus, vti equidem existimo, palàm Dauidi signo aliquo fuisset reuelatus, tum nimirum, quum *exaudiuit eum* Dominus *in igne de cælo* &c. 1. Paral. 21. 26. Apparet ita esse. Atque hæc mea sententia circa hunc versum, quam ex Kimhi ferme accepi. Alij alias atque alias huius versus, vt est difficillimus, adferunt interpretationes, quas B nec probo, nec improbo. Suum cuique pulchrum videtur.

7 *Introibimus* &c. Hæc iam ex persona populi dici videntur Arcam Domini comitantis ac deducentis in templum. *Eius* Domini. *Adorabimus scabellum*, seu, *incuruabimus nos scabello* &c. Templum optimè scabellum pedum Domini nominat respectu cælestis solij, cui Deus veluti insidet. Vide simile Ps. 99. 5.

C

8 *Surge, Domine*, &c. Fuit id moris Moysi, sicuti legere est Num. 10. 35. vt quoties Arca leuaretur in alium locum transportanda, clamaret, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*, &c. quum autem quietura deponeretur, *Reuertere Domine* (*ad*) *myriadas millium Israël.* Similiter Dauid iam tum sibi animo proponens illud tempus, quum ex arce Sion Arca in templum à Salomone extruendum inferretur, hæc dicebat, *Surge, Domine, in requiem tuam*, &c. quasi diceret, Surge & proficiscere nunc demum ad D fixam & stabilem sedem, quam tibi ipse delegisti. Hactenus sub pellibus, & quidem alio atque alio migrando, egisti: nunc tandem in locum quietis proficiscere. Cæterùm non est hoc ita intelligendum, quasi Deus ex loco in locum migrare, & mutare sedes possit, sed quia Arca; cui ille se quasi peculiari in terris domicilio alligarat, vt in qua & ex qua insignia & illustria imprimis suæ præsentię ac potentiæ documenta edebat. Idcirco mox se explicans addit, *tu, & Arca fortitudinis tuæ.* Hunc porrò & duos seq. versus Salomon solemni illi precationi, E quam in dedicatione Templi, post illatam illuc scilicet Arcam, Deo adhibuit, totidem ferè verbis inseruit, vt videre est in extremo capite sexto 2. Paral. hinc dubio procul mutuatus. Quæ profectò res sententiam nostram de argumento omnino confirmat.

9 *Sacerdotes tui induantur iustitiã*, hoc est, iustitiam deinceps perpetuò colant, & quasi vestem induant, ita vt illa omnium oculis pateat, sicuti vestis, qua quis tegitur. Hanc vim videtur obtinere *induendi* vocabulum. Nisi potiùs hũc vis esse sensũ, iustitia, quasi veste, totos se induãt. Simile legere est Esa. 61. 10. *indumento* (*pallio*) *iustitiæ circundedit* (*inuoluit*) *me.* Vide ad versum 16. *Sancti tui*, id est, quotquot piè & sanctè tuum numen venerantur.

10 *Propter Dauid seruum* &c. Sensus, Dauidis serui tui caussâ ne auersare Salomonem regem tui populi, tuóque nutu regnantem, neque vnquam reiice eius preces. Sic accepit Chald. qui hunc versum sic interpretatus est, *Propter iustitiam* (*innocentiam*) *Dauidis serui tui, dum intrat Arca per medium portarum, ne auertas faciem Salomonis christi tui.* Eodem modo & Rasi exponit, ne auertas faciem christi tui Salomonis Arcam illuc (in locum scilicet extruendo Templo à Dauide repertum) inferentis. Sed & Salomon ipse optimus omnium paternæ mentis interpres ita explicat, qui precationem illam, vt iam notatum, quam Deo adhibuit, illatâ in Templum Arcâ, claudit ad istum modum, *Domine Deus, ne auertas faciem christi tui: memento, misericordiarum Dauid serui tui*, quasi diceret, Ne patiar ego, cui regnum commisisti, repulsam à te: ac memor esto illius benignitatis, qua patrem Dauidem semper prosequutus es.

11 *Iurauit Dominus* &c. Bene sperat populus de statu regni ob promissa à Deo cũ Dauide inita. *Iurauit Dominus Dauidi veritatem*, id est, verè & ex animo, quum illi per Nathan Prophetam dixit, 2. Sam. 7. 12. *Quum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo.* Nam hoc significant hæc verba, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, prop. *solium tuum.*

Non recedet vnquam *ab ea* veritate, sicuti loco mox citato dictũ est, versu 16. *Et firma erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam: thronus tuus erit firmus iugiter.*

12 Si *custodierint* &c. Nota conditionem. Similis conditio adhibita prioris Paral. 28. 7. *Et firmabo regnum eius* Salomonis *vsque in sæculum, si perseuerauerit facere* (ad verb. *si fortiter egerit faciendo*) *præcepta mea* &c. *Quæ docebo* ac monebo *eos* semper opera Prophetarum, ne Legis obliuiscantur. Sic ad hoc Kimhi.

13 *Certè elegit* &c. Sibi nunc gratulatur populus, quòd in Sione fixum Deus domicilium statuerit, constituto inibi Templo, & in eo Arca. Quum ait Sionem elegisse Dominum in sedem, noli hoc præcisè intelligere de monte aut arce Sion, in quam à Dauide Arca fuerat illata, sed de tumulo

Sioni monti adhærente, qui peculiari nomine mons Moria appellabatur, in quo Dei iussu extructum fuerat Templum, in quod templum peculiare illud Dei in terris domicilium Arca è Sionis arce tunc transferebatur. Igitur mons Moria appellatione Sionis continetur: atque idcirco hic & alibi sæpe Sionem Deus elegisse dicitur, vbi habitaret: ex. gr. Ps. 78. 68. *elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* Versu seq. *Et ædificauit excelsa Sanctuarium suum,* in Sione monte scilicet; cuius appellatione dubio procul ibi mons Moria continetur: alioquin falsum esset in monte Sion præcise ædificatum Sanctuarium seu Templum. Scire ergo oportet Sion totum montem fuisse, sed partes eius montis, quæ in diuersas regiones vergebant, alia quoque nomina sortitas fuisse. *Certè.* Particulam כי ci, habita contextus ratione, interpretati sumus *certe*, quam significationem alibi obtinet, non *quoniam*, quæ significatio loco conuenire non videtur. Non est enim in hoc versu ratio præcedentium, vt liquet.

15 *Victum eius* Sionis (nam in Fonte pronomen est fæm. gen.) *benedicendo* &c. Sensus, Ex mea habitatione sequetur, vt omnium bonorum copia illa ciuitas affluat. Lat. pro *Victum* legit *Viduam*, ex χήραν pro θήραν, vt apparet: etsi error nasci in Latino potuit, dum aliquis, inconsulta Hebraica veritate, nec inspecto codice Græco, quòd statim sequeretur *pauperes*, putauit *victum* esse mendum, ideóque nihil hæsitans *viduam* reposuit.

16 *Et sacerdotes eius* Sionis &c. Sensus, Tam palam Sionijs sacerdotibus opem & salutem adferam, vt ea veluti induti videri possint. Significare vult apertam & manifestam salutem, quæ omnibus pateat. Vel potius, Sacerdotes Sionis salute, quasi veste, totos circundabo, nec illos vnquam deseram. Priore tamen modo accipiunt Ezra & Kimhi. Simile est porrò 2. Paralip. 6. 41. *Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem.* Esa. 61. 10. *induit me vestimentis salutis.* Vide & ad vers. 9.

17 *Illic germinare faciam cornu*, hoc est, A robur ac vires ipsi *Dauid*, eiúsque posteris & successoribus. Simile est Ezech. 29. 21. *In die illo germinare faciam cornu domui Israel.* Sed hæc & similia loca de Christo præsertim esse accipienda, etiam Hebræi, quorum est ipse Kimhi, agnoscunt: de Christo, inquam, qui est *germen iustitiæ*, quod germinare fecit Deus ipsi Dauidi, iuxta illud Ierem. 23. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauidi germen iustum*, &c. & 33. 15. *In diebus illis & tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ:* &c. de Christo, B qui est *germen Domini*, Esa. 4. 2. cuius nomen *germen*, Zach. 6. 12. de Christo, qui est *cornu salutis*, iuxta illud Zachariæ, Lucæ 1. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* *Illic* in Sione. Nam *in monte Sion erit saluatio, & erit sanctitas*, Abd. 1. 17. & ibidem, versu vlt. *Et ascendent saluatores in montem Sion.* *Paraui* (repetè *illic*) *lucernam Christo meo*, hoc est, statui facturum me, vt Dauidis, quem ipse regem vnxi, splendor apud Sionem maneat in posteris: quo sensu 1. Reg. 11. 36. *Filio autem eius dabo tribum vnam, vt re-* C *maneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem, ciuitate quam elegi mihi, vt esset nomen meum ibi.* Sic 2. Sam. 21. 17. *Non egredieris vltra nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam*, hoc est, splendorem, *Israel.* Sunt alia similia in Sacris litteris.

18 *Inimicos eius* Dauidis, & illius successorum, *induam confusione*, seu *pudore*, hoc est, palam probro afficiam: vel potius ignominia complebo, atque obruam. Vide D ad vers. 9. & 16. *Induam confusione* τῷ *induam* versus 16. *induam salute.* *Super ipsum* Dauidem, eiúsque posteros. Non dubium enim quin hæc non modò ad Dauidem, sed etiam ad eius in regno successores pertineant. *Efflorebit.* Metaphora, pro, nunquam marcescet. *Diadema eius.* Græc. & Lat. qui verterunt *sanctificatio mea*, pro נִזְרוֹ *nizro*, legerunt נִזְרִי *nizri*, & significationem desumpserunt à נָזַר *nazar*, quod est separare se ab alijs religione aut voto, sicque se quodammodo sanctificare.

PSALMVS

CXXXIII. CXXXII.

VERSIO

Nova.

CANTICVM graduum, Dauid.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum, [a] habitare fratres etiam [b] in vnum.

a sedere

b vnà.

2 Sicut [c] vnguentum optimum [d] in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimentorum eius.

c oleum

d ſuper caput,

3 Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, (&) vitam vſque in ſeculum.

Vetus.

CANTICVM graduum Dauid.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum:

2 *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron:*

3 *Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.*

4 *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.*

COMMENTARIVS.

Argumentum.

EZRA *hunc Pſalmum de ſocietate & collegio Sacerdotum exponit, atque mentionem facere Dauidem Aaronis, quòd is fuerit ſummus Sacerdos, caput ſeu primus vnctorum. Ioſeph* Kimhi *de Iſraelitis, qui omnes ſunt fratres, accipit. Dauid* Kimhi *ait ſibi videri de Rege Meſſia, & Summo Sacerdote, qui illius temporibus erit, eſſe explicandum. Duo enim illi, inquit, ſupremi ſunt inter Iſraelitas, eorúmq; ſunt domini: Rex namq; ſolio iudicij & regni inſidet, vt præcipiat quæ & quibus viſum fuerit: Sacerdos Legem docet & præcepta. Fratres, inquit, vocat, quòd vterque ſit in dignitate, neque vnus alteri debeat inuidere. Atque huc pertinere ait quod Zach. 4. 11. dicitur de duabus oliuis, quas* Zacharias *è Babylonica captiuitate reuerſus ad dexteram & ſiniſtram vidit candelabri, per quas Zorobabel dux, & Ieſus ſeu Ioſua ſummus* Sacerdos *ſignificantur, qui ibidem, verſu* 14. duo filij olei, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ, *dicti ſunt, quòd vterque oleo vnctionis vnctus eſſet, hic ad Sacerdotium, ille ad regnum. Hæc viſum eſt ex illo obſeruare. Omitto alia quæ habet. Neque verò profectò alienum fuerit hunc Pſalmum de Rege & ſummo* Sa*cerdote inter ſe conſentientibus explicare, qui cùm ſederent & dominarentur, vterque in ſolio ſuo, eſſentque tanquam fratres in dignitate, animis etiam & voluntate conſpirarent, ita vt* conſilium pacis inter illos duos *eſſet, quemadmodum dicitur Zach. 6. 13. de Zorobabele duce, & Ieſu ſeu Ioſua Summo Sacerdote: quanquam ille locus præſertim intelligendus eſt de Chriſto, qui idem futurus erat & Rex & Pontifex. Alij tamen putant, nec abs re, à Dauide tunc editum hoc carmen, quum poſt ciuilia octo ferme annorum bella omnes Tribus ad eum vngendum regem conueniſſent, 2.* Sam. 5. & 1. *Paral. 11. nempe vt illos ad deponenda omnia odia, & mutuis officijs colendã amicitiam hortaretur. Dici poteſt hoc & ſequens carmen à Dauide ad hunc vſum conſcriptum, vt quoties ad ſolennia feſta populus Iſraeliticus Hieroſolymam in Templum conueniret, decantarentur. Incertum eſt igitur ex qua occaſione ſcriptus ſit hic Pſalmus: certum in eo concordiam commendari.*

1 *Ecce*

1 *Ecce quàm bonum*, &c. Propositio, encomium scilicet concordiæ, quod postea exornatur & amplificatur duabus similitudinibus. *Ecce*. Hoc aduerbio rem ipsam oculis subijcit, ipsámque occasionem commendandæ concordiæ denotat. *Habitare* seu *sedere etiam in vnum* seu *vnà*. Intellige hoc de coniunctione animorum magis, quàm de coniunctione locorum. Nam absque illa melius esset non esse, aut habitare simul. *Etiam* habet emphasim, perinde ac si diceret, Bonum est, ac multò iucundum non modò esse fratres, aut paris dignitatis, sed etiam simul viuere coniunctissimis animis, & in summa concordia.

2 *Sicut vnguentum* &c. Tam, inquit, bonum & iucundum habitare ac conuenire simul fratres, quàm bona & iucunda fuit Aaronis Sacerdotis vnctio, quo die factus est summus Sacerdos. Meminit autem vnctionis Sacerdotis, non autem regis Dauidis, duabus de causis potissimùm. Prima, quòd vnctio Aaronis fuerit prior: secunda, quòd publica fuerit & in oculis omnium Israelitarum Aaronis vnctio, Dauidis verò, clàm facta fuerit, & præsentibus tantùm Iesse, eiúsq; filijs, & senioribus vrbis Bethlehem. *In capite*, seu *super caput*, &c. hoc est, in caput Aaronis infusum, quod inde in barbam hac illac, & in supremã sacræ vestis oram defluebat. Primùm enim Moses Aaronem induit sacris vestibus, ac deinde infudit oleum in caput, ipsúmque vnxit inter oculorum supercilia instar caph græci, vt vult Kimhi, vel instar chi, vt volunt Rambam & non nemo in Talmud. Oleum autem capiti affusum defluxit in barbam, indéque in extremam eam vestimentorum partem, quæ barbam attingeret. Nam per *oram* (*os* ad verbum) *vestimentorum* intelligeeum Rasi, Kimhi, & alijs Hebræorum supremam illam vestium partem, quæ collum cingeret, cuique barba incumberet. Non enim probabile est tantam affusam olei copiam, vt ad extremum vestium limbum pertingere potuerit. Neque hoc fortè fat decorum fuisset. Accedit quòd Rambam alicubi auctor est ad vnctionem, Regis saltem, parcè affundendum esse oleum. Quod ait *in barbam*, *barbam*, aliud nihil est quàm passim in barbam, in hanc & illam barbæ partem. Repetitio enim eiusdem nominis distributionem designat: ex. gr. 2. Reg. 17. 29. *Gens, Gens*, id est, *vnaquaque gens*, quo modo exponit Lat. Innumera sunt huius rei exempla. Talmudici illud explicant de duabus tantùm guttis speciem margaritarum de barba suspensarum exhibentibus. De vnctione Aaronis legendum Leuit. cap. 8.

3 *Sicut ros Hermon, qui descendit* &c. Sic loquutum putat Rasi quòd mons Hermon altior fuerit Sionis monte. Ezra & Kimhi existimant repetendum bis, *sicut ros*, ad istum modum, *Sicut ros Hermon*, (*& sicut ros*) *qui descendit* &c. Mons Hermon, & mons Sion dissiti sunt: ille vltra Iordanem est, hic cis Iordanem, adeo vt ros Hermon defluere haud potuerit in Sionis montem: nisi fortè quis dicat rorem è vaporibus Hermonis genitum latè spargi in montana Iudææ, quæ synecdochicῶς per *montem Sion*, seu, vt est in Fonte, *montes Sion* in num. multitudinis propter varios eius montis colliculos, significantur. R. Moses, Quid, inquit, est monti Hermon cum monte Sion? Exponit igitur, Sicut ros, quem oporteret descendere in montes Sion. Sed hæc expositio prorsus est coacta. Concordiam porrò cum rore comparat, qui montes alioquin licciores humectat, ac fœcundat, quò illã vel minimæ res crescant, atque augeantur, sic ut econtrà discordiã maximæ dilabuntur, quemadmodum dixit aliquis. Dauid Kimhi constans est in Argumento, vúltque comparationem ab oleo desumptam respicere summum Sacerdotem: hanc verò, quæ à rore petitur, Regem; húcque refert illud Prou. 19. 12. *Sicut fremitus* (*rugitus*) *leonis, ita & Regis ira: & sicut ros super herbam, ita & beneuolentia eius*. *Quoniam illic*, nimirum in fratrum, quicumque tandem ij sint, concordia, *mandauit*, hoc est, voluit esse, *Dominus benedictionem*, id est, omne genus bonorum, omnimodam fœlicitatem, (*&*) *vitam vsque in seculum*, hoc est, vitam bene longam & diuturnam: itidem vt à rore fertilitas est eorum bonorum, quæ diuturnam vitam præstant. In posteriore hoc membro ratio est propositionis, vel potius secundæ comparationis.

PSALMVS

CXXXIV. CXXXIII.

VERSIO

NOVA.



CANTICVM graduum.

Ecce, benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini in noctibus.
2 Extollite manus vestras (in) Sancto, & benedicite Dominum.
3 Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

VETVS.



CANTICVM graduum.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini:
2 *Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.*
3 *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.*
4 *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *CREDIDERIM moris fuisse Leuitis, vt in adeundis Templi excubijs hunc Psalmum canerent, & forsan quidem in vno graduum, de quibus in Arg. Ps. 120. qui Gradualium est primus. Est autem hoc carmen, vt ipse quidem sentio, dramaticum. Nam in duobus primis versibus Leuitarum, qui excubias Templi adirent, antiquior, aut dignior cæteros socios suos hortari videtur, vt dum excubias agunt, laudes Dei celebrent, atque orent, neque se defungi officio putent, si in Templo peruigiles stent: in postremo autem versu cæteri respondere, eique fausta omnia à Deo precari, qui se officij admoneat.*

1 *Ecce, benedicite* &c. Verba hæc sunt alicuius ex Leuitis, qui cæteros socios hortetur, vt dictum est in Arg. *Ecce.* Valet ad excitãdum. *Omnes serui Domini*, hoc est, quicunque præ cæteris diuino cultui estis addicti & consecrati. Sic restringo propter sequens membrum, *qui statis in domo* &c. vbi intelligendi videntur Leuitæ, quorum munus erat in Templo etiam noctu, per vices scilicet, excubare. Illud Græci & Lat. *in atrijs domus Dei nostri*, accersitum est ex versu 2. sequentis Psalmi, ad complendum versum: nam nescio quomodò aliter distinguunt versus.

2 *Extollite* (*Attollite*) *manus vestras* ad Deum scilicet, id est, Orate. *In Sancto*, id est, in Sanctuario seu Templo.

3 *Benedicat te* &c. Hoc est, vti annotatum in Argumento, reliquorum Leuitarum duci suo succinentium, & bene pre- A cantium votum. Qui censent eiusdem esse hunc versum, cuius præcedentes, coguntur dicere, *tibi*, esse singulare pro plurali, *vobis*, quod satis est violentum. Ac sic tamen Kimhi. *Ex Sion* suæ gloriæ domicilio, & vnde manat omnis benedictio.

Qui fecit cælum & terram, ideóque nihil non potest tibi facere, nihil non potest boni in te conferre. Hoc sic enarrare ex Kimhi potes, *qui fecit cælos*, qui dant benedi- B ctionem mundo, ac fecit terram, quæ dat prouentum suum in benedictionem, prout ille vult ac iubet. Ad hanc sententiam commodè referri potest illud Oseæ 2. 21. & 22. *exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram: Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezraël*, hoc est, respondebunt votis fidelium, qui *Iezraël*, hoc est, *semen Dei* sunt. Notanda profectò in istis vers. gradatio.

PSALMVS

CXXXIV. CXXXV.

VERSIO

VETVS.



LLELVIA.

Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum.

2 *Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.*

3 *Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini eius, quoniam suaue.*

4 *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israël in possessionem sibi.*

5 *Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus dijs.*

6 *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.*

7 *Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluuiam fecit.*

8 *Qui producit ventos de thesauris suis: qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus.*

9 *Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes seruos eius.*

10 *Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes.*

11 *Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.*

NOVA.



LLELVIA.

Laudate nomen Domini, laudate serui Domini.

2 Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.

3 Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini eius, quoniam [a] suaue (est.) a iucundum

4 Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israël in [b] possessionem sibi. b peculium

5 Quia ego cognoui quòd magnus (est) Dominus, & Dominus noster præ omnibus dijs.

6 Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra, in maribus, & omnibus abyssis.

7 Attollit nubes ab extremo terræ; fulgura in pluuiam facit: educit ventum de thesauris suis.

8 Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine vsque ad pecus.

9 Emisit signa & prodigia in medium tui, Ægypte, in Pharaonem, & in omnes seruos eius.

10 Qui percussit Gentes multas, & occidit reges potentes:

11 Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israëli populo suo.

13 Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoria tua in generationem & generationem.

14 Quia iudicabit Dominus populum suum, & super seruis suis pœnitentia ducetur.

15 Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

c ad verb. Os eis, d oculi eis, 16 [c] Os habent, & non loquuntur: [d] oculos habent, & non vident.

e Aures eis, 17 [e] Aures habent, & non audiunt: etiam non est spiritus in ore ipsorum.

18 Similes illis fiant qui faciunt ea, (&) omnes qui confidunt in eis.

19 Domus Israël benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.

20 Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Domino.

21 Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem. Alleluia.

12 *Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israël populo suo.*

13 *Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generatione & generationem.*

14 *Quia iudicabit Dominus populum suum: & in seruis suis deprecabitur.*

15 *Simulacra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.*

16 *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.*

17 *Aures habent, & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

18 *Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis.*

19 *Domus Israël benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.*

20 *Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.*

21 *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem. Alleluia.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *IN hoc Psalmo, sicut in superiore, omnes ac præcipuè Sacerdotes, & Leuitæ ad Dei laudes publicè celebrandas inuitantur, commemoratis aliquot ipsius Dei operibus, quæ digna sunt consideratione & prædicatione assidua.*

1 *Laudate nomen Domini*, &c. In duobus A primis versibus est propositio, exhortatio videlicet ad laudandum Deum, quæ deinde multis argumentis confirmatur. Primus versus huius Psalmi idem est cũ primo Ps. 113. nisi quòd illic dicitur, inuerso ordine, *Laudate serui Domini, laudate nomen Domini.*

2 *Qui statis in domo Domini.* Kimhi Sacer- B dotes interpretatur. *In atrijs domus* &c. Kimhi Israëlitas interpretatur, qui in atrijs orabant, nec ingrediebantur Templum.

3 *Quia bonus* &c. Prima ratio propositionis. *quia bonus*, addit Kimhi, & benefaciens. *Quoniam suaue* vel *iucundum (est)* illud nomẽ, vt respõdeat τῷ *quia bonus*. Alij tamen exponunt, *quoniam suaue (est)* psallere &c. quo sensu Ps. 147. 1. *Laudate Dominũ, quoniam bonum (est) psallere Deo nostro:* &c.

4 *Quoniam Iacob* &c. Ac vos præ omnibus decet illum laudare, quòd vos elegerit ex omnibus populis. Kimhi.

5 *Quia ego cognoui*, &c. Idcirco hortor vos, vt illum laudetis, quoniam ex eius operibus magnum esse intellexi, ac dijs omnibus, quos Gentes comminiscuntur, potentiorem. *Deos* nominat ex sententia eorum, qui illos pro dijs habent. Sic Hananias, obseruat Ezra, dicitur Propheta Ie-

regū. 28. 1. qui tamen erat pseudopropheta. Sunt alia multa similia in sacris literis.

6 *Omnia quæcumque voluit* &c. At non sic Angeli, & planetæ, quos Gentes pro dijs colunt, faciunt quicquid volunt; sed quod Deus vult duntaxat. Hic versus probatio est præcedentis.

7 *Educit* (*Attollit*) *nubes* &c. Probatur sententia superioris versus ex pluuijs, fulguribus, & ventis. Ex his autem cætera debent intelligi. Magnum profectò diuinæ potentiæ ac prouidentiæ opus pluuia. Vnde Ierem. 14. 22. *Nunquid sunt in sculptilibus* (prop. *vanitatibus*) *Gentium, qui pluant? aut cæli possunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noster?* Et Iob 5. 9. & 10. *Qui facit magna & inscrutabilia, mirabilia absque numero. Qui dat pluuiam super faciem terræ*, &c. *Ab extremo terræ*. Kimhi, à cuius sententia non absum, exponit ab extremo aridæ, quod est mare, ex quo attolluntur vapores ac nubes. Hoc sensu vult accipi illud Amos 5. 8. *qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius*. Ac sic, inquit, Elias (scire volens num plueret) puero suo dicebat, *Ascende nunc, prospice contra mare*: cui puer, *Ecce nubecula parua quasi vola hominis ascendit de mari.* *Fulgura in pluuiam facit*: id quod mirandum, fulgura, quæ nihil sunt aliud quàm ignis, in aquam erumpere. *Educit ventum de thesauris suis*, hoc est, è specubus, & locis abditis, vbi venti delitescunt, quasi res in thesauris.

8 *Qui percussit* &c. Ab operibus Dei generalibus venit ad illa specialia, quæ Israëlitarum erant propria. Recenset autem primùm ac peculiariter mortem primogenitorum Ægyptiorum, quòd illâ victus Pharao discedendi potestatem Israëlitis fecerit. Vide Exo. 12.

9 *Emisit signa* &c. Comprehendit hoc versiculo plagas omnes alias, quæ primogenitorum mortem antecesserunt.

10 *Qui percussit Gentes multas*, videlicet Hethæos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Heuæos, & Iebusæos. *Et occidit reges potentes* quamplurimos, quorum nomina & regna ordine recensentur Ios. 12.

11 *Sehon regem* &c. Declarat quos reges dixerit, ac nominat Sehon & Og, quòd primi fuerint hi debellati, vt videre est ex Ios. 12. & Num. 21. Addit Kimhi, & præterea, quòd omnium fuerunt potentissimi, ipso Domino teste apud Amos 2. 9. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo sicut altitudo cedrorum, & fortis ipse quasi quercus.* *Et omnia regna Chanaan*, & quidem reges cum subditis. *Regna* per synecdochen pro incolis regnorum.

12 *Et dedit terram* &c. Significat propterea percussos esse hos reges, ac populos, vt eorum regiones Israëlitis cederent in hereditatem.

13 *Domine, nomen tuum* &c. Abrumpit institutam exhortationem subita hac exclamatione. Ob tot tua præclara facta, inquit, illustris erit tui nominis memoria in omnes æternitates.

14 *Quia iudicabit Dominus* &c. Propter hunc versum, ac præsertim posterius membrum, existimarim hoc carmen editum in aliqua populi calamitate, & clade. Videtur enim mihi Autor Psalmi occurrere hic tacitæ obiectioni, ac si diceret, conuertens sermonem ad eos, quos antea compellabat: Verè dixi, *Domine, nomen tuum in æternum*, &c. Etsi enim nunc Dei nomen, ac memoria tot facinorum videtur quodammodo obliterata istis miserijs & calamitatibus, in quibus versamur, futurum tamen est profectò aliquando, vt Deus nos gentem suam vindicet ab hostium iniuria, & nobiscum incipiat mitiùs agere, quod significat *& super seruis suis pœnitentia ducetur*: Deus enim dicitur pœnitentia duci, quoties sententiam & factum mutat, agitque quod homines solent, quum eos facti alicuius pœnitet. Cæterùm subita illa mutatio secundæ personæ in tertiam haud parum fauet tacitæ illi obiectioni, quam diximus. Potest porrò hic versus includi parenthesi. *Pœnitentia ducetur*. Lat. *deprecabitur*, quod videtur passiuè vsurpatum pro exorabitur. Deut. 32. 36. vnde hic versus dubio procul desumptus, Latinus habet *miserebitur*. Hîc & illic Græcus vertit παρακληθήσεται.

15 *Simulachra Gentium* &c. Idolorum vanitatem nunc Dei magnitudini opponit. Hic & tres sequentes versus totidem ferme vocibus reperiuntur Ps. 115. vnde illorum expositio petatur.

17 *Etiam non est spiritus in ore ipsorum*. Sensus, Adeo non loquuntur, vt etiam spiritu & halitu illo, qui mutis animantibus communis est, pérque os & nares è corde exit, careant. Pro hoc Ps. 115. legitur *nares habent, & non odorantur.*

19 *Domus Israël* &c. Conclusio Psalmi, in qua repetitur propositio, qua inuitantur omnes Israëlitæ, ac nominatim Sacerdotes & Cantores, omnésque pij Dei cultores, quotquot vspiam sunt, etiam inter Gentes, ad Dei laudes celebrandas. Ezra per *timentes Domini*, ita enim est ad verbum, intelligi vult qui timent Dominum tum ex Israëlitis, tum ex Gentibus.

21 *Benedictus Dominus* &c. Ipse autor Psalmi, postquam alios satis hortatus est, breui veluti epiphonemate initium facit diuinarum laudum.

PSALMVS

CXXXVI. | CXXXV.

VERSIO

NOVA.



ONFITEMINI Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.

2 Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia eius.

3 Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.

4 Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia eius.

a intelligentia: 5 Qui fecit cælos in [a] intellectu: quoniam in æternum misericordia eius.

6 Qui extendit terram supra aquas: quoniam in æternum misericordia eius.

7 Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia eius.

b ad verb. dominium in die: 8 Solem in [b] potestatem diei: quoniam in æternum misericordia eius.

c ad verb. dominia in noctis: 9 Lunam & stellas in [c] potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia eius.

10 Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia eius.

11 Et eduxit Israël de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius.

12 In manu potenti, & brachio extento: quoniam in æternum misericordia eius.

13 Qui diuisit mare rubrum in di-

VETVS.



ONFITEMINI Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.

2 *Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia eius.*

3 *Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.*

4 *Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia eius.*

5 *Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum misericordia eius.*

6 *Qui firmauit terram super aquas: quoniam in æternum misericordia eius.*

7 *Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia eius.*

8 *Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia eius.*

9 *Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia eius.*

10 *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia eius.*

11 *Qui eduxit Israël de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius.*

12 *In manu potenti, & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia eius.*

13 *Qui diuisit Mare rubrum in di-*

uisiones: quoniam in æternum misericordia eius.

14 *Et eduxit Israël per medium eius: quoniam in æternum misericordia eius.*

15 *Et excussit Pharaonem, & uirtutem eius in Mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius.*

16 *Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia eius.*

17 *Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius.*

18 *Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia eius.*

19 *Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius.*

20 *Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia eius.*

21 *Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternum misericordia eius.*

22 *Hereditatem Israël seruo suo: quoniam in æternum misericordia eius.*

23 *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia eius.*

24 *Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius.*

25 *Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia eius.*

26 *Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia eius.*

27 *Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.*

uisiones: quoniam in æternum misericordia eius.

14 Et transire fecit Israël per medium eius: quoniam in æternum misericordia eius.

15 Et excussit Pharaonem, & exercitum eius in mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius.

16 Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia eius.

17 Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius.

18 Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia eius.

19 Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius.

20 Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia eius.

21 Et dedit terram eorum hæreditatem: quoniam in æternum misericordia eius.

22 Hæreditatem Israëli populo suo: quoniam in æternum misericordia eius.

23 Qui in [d] humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia eius. d deiectione

24 Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius.

25 Qui dat [e] escam omni carni: quoniam in æternum misericordia eius. e panem

26 Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia eius.

COMMENTARIVS.

Argumentum. EADEM ferè est materia huius Psalmi, atque præcedentis, in eoque celebratur Deus non modò à tot & tantis operibus, quæ condidit, sed etiam ab ijs rebus, quas fecit Israelitici populi caussâ. Singuli versus intercalari hoc hemistichio clauduntur, quoniam in æternum misericordia eius: quo quidem significatur omnia Dei erga nos beneficia à mera eius bonitate & clementia proficisci.

1 *Confitemini Domino*, &c. Propositio est A in hoc versu, nimirum celebrandum esse Deum, quòd perpetua sit eius misericordia. In alijs versibus additur prætereà peculiaris aliqua ratio.

2 *Deo deorum*, id est, iuxta Ezram, Angelorum excelsorum, qui neque sunt corpora, neque in corporibus. Kimhi etiam Angelos intelligit, qui, inquit, dij sunt inferioribus, eáque Dei nutu regunt, qui supra illos est. B

3 *Domino dominorum*, id est, iuxta Ezram, Angelorum, qui terræ sunt domini. Kimhi orbes cælestes intelligit, qui horum inferiorum domini sint, eáque regant.

4 *Qui facit mirabilia* &c. Ei scilicet qui facit &c. confitemini: semper enim repetendum hoc verbum. *Mirabilia magna*, quæ nimirum postea exponentur per distributionem. Nam accipio, vt sonat. Kimhi tamen putat intelligendos Angelos, seu, vt ipse loquitur, Formas illas, quæ nec C sunt corpora, nec in corporibus, intelligentias nimirum separatas, quæ fugiunt hominis oculum, qui nihil nisi corporeum attingit; imò & mentem fatigant.

5 *Qui fecit cælos in intellectu* seu *intelligentia*. Sic Ps. 104. 24. *omnia in sapientia fecisti*.

6 *Qui extendit* seu *expandit terram* &c. Sensus, Qui extare atque eminere voluit terræ superficiem supra aquas, quæ ex natura sua debebant terram obtegere, & po- D

Iere. 5. 22. suit arenam aquis terminum, quem non transgrediantur: in quo imprimis elucet eius benignitas ac misericordia, qui hominum & animalium caussa aquas è suo naturali situ depulit, & congregari ac cogi voluit in locum vnum, vt esset arida, Gen. 1. 9. Hoc sensu dicitur Ps. 24. 2. *Quia ipse super* (*supra*) *maria fundauit eam*, &c.

7 *Qui fecit luminaria magna*: &c. Vide Gen. 1. 16. E

8 *Solem in potestatem diei*, ad verb. *in dominium in die*, vt luceat, & calfaciat aërem. Vide Gen. loco mox cit.

9 *Lunam & stellas in potestatem noctis*, ad verb. *in dominia in nocte*, vt nimirum essent remedia tenebrarum, ac prodessent noctu iter facientibus, & nauigantibus: ad hoc, viuentibus, plantis, aquis, lapidibus ac metallis vim atque humorem quendam impertirent. Simile legitur Gen. loco cit.

10 *Qui percussit Ægyptum* &c. Hactenus Deum celebrari voluit ab operibus creationis, quæ omnibus mortalibus communia sunt: nunc ab eductione populi Israelitici ex Ægypto, eiusdémque in deserto gubernatione, & in terram Chanaan introductione, quæ istius gentis propria & peculiaria sunt beneficia, vult celebrari. Cæterùm historia, quæ his sex versibus attingitur, iam sæpe aliàs pertractata, & legenda in Exodo.

13 *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones*. Hic veteres Hebræi, quos, vt solet, sequitur Rasi, nugantur scissum mare rubrum in diuisiones duodecim, quot erant Tribus, vt vnicuique Tribui sua pateret via, ne scilicet indistinctum & cõfusum esset agmen. Hoc illi dixerint, qui propter occasionem vnius verbi longas solent fabulas texere. Nullo autem negotio refelluntur ex Scripturæ textu, qui aquas Israëlitis fuisse quasi murum à dextra & læua, & vtrimque stetisse moles aquarum testatur, Exo. 14. 22. necnon 15. 8. Vnde datur intelligi continuum fuisse spatium. Kimhi censet idcirco dici *in diuisiones*, quòd diuisum sit mare in latitudinem ad medium vsque aut ampliùs, ac postea in longitudinem: siquidem eadem plagâ quâ ingressi sunt Israëlitæ in mare, ipsâ eâdem egressi sint: nam ex deserto Etham ingressi sunt mare rubrum, & ex mari rubro exierunt in desertum Etham. Ita fermè Kimhi, qui occurrit obiectioni. Quando, inquit, non fuit illis necesse transire mare iuxta latitudinem, cur illud ingressi sunt, móxque egressi ad eundem locum in quo antea fuerant? Respondet id Dei consilio factum, quò submergerentur Ægyptij, adeóque eius potentia magis conspiceretur. Nos simpliciter interpretamur *diuisiones*, duas illas partes vnius diuisionis, ad dexteram vnam, ad sinistram alteram.

14 *Et transire fecit* &c. Ex hoc loco, inquit Ezra, intelligere est longè à terra in

mare progressos: & huic rei argumento est ἐν *per medium eius*. Sic ille.

15 *Et excussit Pharaonem* &c. Legenda hæc historia Exo. 14. sub finem. Verbum *excutiendi* illic quoque est, versu 27.

16 *Qui traduxit populum suum per desertum* inuium & nemini homini antea tentatum, & quidem in columna nubis
Exo. 13. 21. interdiu, noctu verò in columna ignis, vt monstraret illi viam, & dux esset itineris vtroque tempore. Neque verò in tam inculto ac horrendo deserto quicquam illi deesse passus est, sed omnia pro sua misericordia nunquam non prædicanda suppeditauit. Historia, quæ breuiter in hoc versu tangitur, legenda in libris Exo. Leuit. Num. & Deut.

17 *Qui percussit reges* &c. Aliquot his versiculis canit vt Deus populum suum in terrà Chanaã hæreditario iure possidendam induxerit, occisis potentissimis regibus. Qua in re profectò insigniter eluxit Dei misericordia, quòd cum Israëlitis longæ & difficillimæ peregrinationis laboribus fessis aduersùm potentissimos reges armis fuerit decertandum, ipsi tamen euaserint superiores. Neque enim tantum fuisset miraculum, si illi reges sponte terris cessissent. Historia horum versuum partim exposita est in superiore Psalmo, ad versus 10. 11. & 12. ex quibus tribus hic sex confecti sunt, addito intercalari hemistichio: partim legenda in libro Iosuæ, & Num. 21. quòd attinet ad Sehon & Og.

Percussit idem quod *occidit* sequentis versus.

19 & 20 *Sehon Regem Amorrhæorum*: &c. Obseruat Kimhi nullam hîc fieri mentionem regnorum Chanaan, vt in superiore Psalmo, quoniam in hoc Psalmo ea tantùm attinguntur, quæ misericordiæ Dei sunt: regna autem Chanaan non

A misericordiæ Dei, sed ipsius veritatis esse, quæ promissionem dicit, vt aliàs sæpe obseruatum: hæc enim regna, inquit, Patri nostro Abrahæ Deus promiserat, non autem regna Sehon, & Og, quæ idcirco à Dei misericordia, hoc est, à pura liberalitate absque vlla promissione Israëlitis contigerunt. Si hæc obseruatio vera est, quod dicitur, *Qui percussit reges magnos*: item, *Et occidit reges fortes*, non ad vnum & triginta reges extendendum,
B sed ad Sehon, & Og, qui postea nominantur, restringendum.

23 *Qui in humilitate* seu *deiectione nostra*, hoc est, quum opprimeremur ab Ægyptijs, &c. Huc & pertinet sequens versiculus. Hic tamen & sequens versus ad illa tempora referri possunt, quando in terram Chanaan introducti Israëlitæ sæpe à vicinis Gentibus infestarentur, & nonnunquam victi miseram seruitutem paterentur.
C
25 *Qui dat escam* (*panem*) &c. Hoc ad vniuersalem prouidentiam spectat.

26 *Confitemini Deo cæli*, seu, *cælorum*: &c. Clauditur Psalmus repetitione propositionis. Ezra & Kimhi putant post *Qui dat escam* seu *panem omni carni*, subiici *Confitemini Domino cæli*, quòd pluuia, quæ panis, & alius cuiusuis cibi caussa est, à cælo fit: quo modo dicitur Deut. 28. 12. *Aperiet Dominus*
D *tibi thesaurum suum optimum*, *cælum*, *vt tribuat pluuiam terræ tuæ* &c Necnon Esa. 55. 10. *Certè quomodò descendit imber*, *& nix de cælo*, hoc est, è summo aëre. Ego hunc versum latiùs patere existimo, & per *Deum cælorum* Deum omnipotentem significari: quo sensu dicitur in oratione Dominica, *Pater noster*, *qui es in cælis*. Quid necesse est restringere ad præcedentem versum? Est in Vulgata adhuc vnus versus, qui in Heb. & Græco deest.

PSALMVS

CXXXVII. CXXXVI.

VERSIO

NOVA.

SVPER flumina Babylonis, illic ſedimus, etiam fleuimus: cùm recordaremur Sion.

2 In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus citharas noſtras.

3 Quum illic rogauerunt nos, qui
a cantici, captiuos duxerunt nos, verba [a] cantionum, & qui contumulauerunt nos, lætitiam: (dicentes,) Cantate nobis de canticis Sion.

4 Quomodò cantabimus canti-
b heb. alieni? cum Domini in terra [b] aliena?

5 Si oblitus fuero tui, Ieruſalem, obliuiſcatur dextera mea.

6 Adhæreat lingua mea palato meo, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.

7 Memor eſto, Domine, filijs Edom diei Ieruſalem, qui dicebant, Nudate, nudate vſque ad fundamentum in ea.

c heb. vaſtata: 8 Filia Babylonis [c] miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

9 Beatus qui apprehendet & allidet paruulos tuos ad petram.

VETVS.

Pſalmus Dauid, Ieremiæ.

SVPER flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus: cùm recordaremur Sion.

2 *In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.*

3 *Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum:*

4 *Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

5 *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

6 *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.*

7 *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui:*

8 *Si non propoſuero Ieruſalem, in principio lætitiæ meæ.*

9 *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem.*

10 *Qui dicunt: Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.*

11 *Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.*

12 *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. SENTIVNT Rabbini hunc Psalmum à Leuitis cantoribus editum, dum exules agerent apud Babylonios: Ego verò puto non in Babylone, sed posteaquam Hierosolymam rediissent, esse compositum. Id mihi suadent verba temporis prat. sedimus, fleuimus, rogauerunt. *In hoc igitur carmine Leuitæ, quorum erat psallendi munus, aiunt se data opera fluminum ripas ad vitandum, quantùm liceret, Babyloniorum conspectum, quæsiisse, ibique mæstos sedisse, atque etiam fleuisse Sionis memores, abiectis citharis, éque salicibus suspensis. Ac tum, inquiunt, si fortè nobis occurrentes Babylonij, qui nos in istam miserrimam captiuitatem abduxerunt, nos nostráque omnia euerterunt, vt vnam aliquam è lætis illis Sionis cantionibus cantaremus, per ludibrium rogarunt: tum profectò nos, Eia, quomodò possumus Dei laudes canere in terra aliena? Si vnquam, ô Ierusalem, quasi tui oblitus, (ita quisque apud se dicit) cœpero in profana terra sacra carmina musicis instrumentis ludere, faxit, precor, Deus, artis pulsandi mea vt dextera statim obliuiscatur: Item, si tentaro vnquam in his regionibus aliquod è Sioniis carminibus decantare, nec statim oblatam gaudij occasionem miserrimi vrbis Hierosolymæ status recordatione excussero, citò adhærescat palato lingua mea. Altera & postrema pars carminis imprecatio est aduersùs Idumæos & Babylonios: ac aduersùs illos quidem, quòd horum immanitatem in deuastanda Hierosolymorum vrbe omnibus modis acuerint, iubentes vt illam ad ipsa vsque fundamenta euerterent.*

1 *Super (Iuxta) flumina Babylonis*, Tygrim & Euphratem, soli, & quantùm licuit, ab oculis Babyloniorum semoti, *illic sedimus* mœsti, atque *etiam fleuimus:* &c. Prima pars Psalmi, in qua exponunt Leuitæ mœrorem suum, ad versum vsque 7.

2 *In salicibus*, quæ ad fluminum ripas crescere solent. *In medio eius* Babylonis, quam Euphrates fluuius mediam interfluebat. *Suspendimus citharas nostras*, quas alioquin nostro solatio futuras asportaueramus: adeo omnem lætitiam respuebat dolor.

3 *Quum illic rogauerunt nos*, &c. Sensus, Ac quum illic fortasse occurrentes Babylonij hostes nostri per ludibrium rogarunt nos lætas cantiones, his verbis, *Cantate nobis de canticis Sion*, hoc est, vnum aliquod ex iis canticis, quæ canere solebatis in Sion: tum profectò nos, *Quomodò cātabimus* &c. sequente versic. *Et qui contumulauerunt nos*, vel ad verbum magis, *& contumulatores nostri*. Nam puto cum recentioribus quibusdam תּוֹלָלֵינוּ *tholalenu*, nomen esse toar à radice תָּלַל *talal*, quæ significat *accumulare, contumulare*; & sonare propriè *contumulatores nostros*, qui nos nostráque scilicet in cumulum redegerunt, hoc est, diripuerunt, & funditus euerterunt. Hæc expositio mihi promptior videtur: eóque magis arridet, quòd Chaldæus interpretatus est, *& raptores nostri:* nec ab ea longè discedunt Græc. & Lat. qui vertunt, *& qui abduxerunt nos*. Alij tamen aliter atque aliter prædictam vocem exponunt. Rasi deducit à verbo הוֹלֵל *holel*, quod est *insanire*, quasi significet furentes & insanientes hostes. Kimhi deducit à תָּלָה *tala*, quod est

A *suspendere*, quasi diceretur, & in citharis nostris è salicibus suspensis. Ad cuius mentem vertendum, *& (in) citharis nostris suspensis;* ad verb. *(in) suspensis* seu *suspensionibus nostris lætitiam*, vt eos scilicet oblectaremus. Hunc sequutus est Pagninus. Moses Sacerdos deriuat à themate יָלַל, hoc sensu, *& vlulatus nostri lætitia*, id est, próque vlulatibus nostris lætitia illis fuit, vúltque illud תּוֹלָל *tolal*, simile esse תּוֹשָׁב *toschau*, à radice יָשַׁב *iaschau*, idémque significare quod יְלָלָה *ielala*, id est, *vlulatus*. Idcirco vox hæc est difficilis, quòd alibi non extet quàm

B hìc. *Lætitiam*. Græc. & Lat. optimè ad sensum *hymnum*.

4 *In terra aliena*, ad verb. *alieni*, scilicet populi, vel Dei [illegible] *canticum Domini*.

5 *Si oblitus fuero* &c. Leuitarum quilibet inducitur apud se loquens, ac dicens hoc, & quæ sequuntur. *Si oblitus fuero* &c. Sensus, Si tui vnquam, ô Ierusalem, oblitus, cœpero in aliena ac profana regione sacra carmina musicis instrumentis velle ludere, faxit Deus, vt dextera artis pulsandi subitò obliuiscatur. *Obliuiscatur*. Lat. *obliuioni*

C *detur* ex תִּשְׁכַּח *tischschacheach*, pro תִּשָּׁכַח *tischcach*, alijs punctis: quo modo legerunt B. Hieron. & Felix. Sensus est, Si vnquam tui, ô Ierusalem, oblitus fuero, faxit Deus meæ vt ego dexteræ obliuiscar. Hoc tamen *obliuioni detur dextera mea*, ex Latinis sunt qui sic exponant, dextera mea, qua scilicet tentauero pulsare instrumenta, detur à me obliuioni, hoc est, cesset ars & vsus dexteræ manus in pulsandis instrumentis. Qui sensus in priorem recidit.

6 *Adhæreat lingua mea* &c. Imprecatus

est dexteræ: nunc linguæ imprecatur, eamque optat palato adhærescere, si ipse vnquam immemor Ierusalem sacra carmina in profanis terris ore canat: ac nisi quæcunque lætitiæ occasio fuerit oblata, statim initio sibi ob oculos miserrimum eius vrbis statum proponat, atque adeo omne gaudium excutiat. *Si non proposuero* &c. Ad verb. *si non ascendere fecero Ierusalem super caput lætitiæ meæ*: quæ verba hunc sensum habere possunt, si non prætulero luctum vrbis Ierusalem vel summo gaudio, quod mihi contingere potest. Prior sensus simplicior est.

7 *Memor esto, Domine*, &c. Altera pars Psalmi, quæ continet imprecationem aduersùs Idumæos, & Babylonios. Imprecatio autem in Psalmis vim vaticinij obtinet, quemadmodum sæpe dictum. Sensus huius versus, Ne obliuiscere propter Idumæos funesti illius diei vrbis Hierosolymæ: hoc est, Male perde Idumæos, qui modis omnibus Babyloniorum Hierosolymam vastantium immanitatem acuerunt, iubentes vt illam ad ipsa vsque fundamenta diruerent. Non legimus in historia Idumæos fuisse cum Babylonijs, quum Hierosolymam vastarunt. Verùm illud aperte constat ex hoc loco, necnon ex Abdiæ prophetia, versu 11. Vide etiam Ezech. 25. 12. Sunt ex Hebræis qui per Idumæos Titum & Romanos intelligant. Sed eos refellit Ezra, quòd Babylonis mox fiat mentio, (quæ nil attinet ad Titum) certúmque sit Titum non fuisse Idumæum; siquidem Romani à Græcis originem duxerint.

Nudate, nudate &c. hoc est, Totam ab imis euertite fundamentis: ne fundamentorum quidem vestigia in ea relinquite, vt nulla spes ædificandi supersit. Nam *vsque ad fundamentum* apparet ita accipiendum esse, vt vel ipsa fundamenta euersa intelligantur.

8 *Filia Babylonis misera*: &c. Prophetia est in hoc & sequente versic. cui similis legitur Esa. 13. Ierem. 50. & 51. Vide & lege. *Filia Babylonis*, hoc est, ex more Hebrææ linguæ, Babylonij. Sic Psalm. 45. 13. *filia Tyri* pro Tyrijs. Sic versu præcedente *filij Edom* pro Idumæis. *Misera*, ad verbum *vastata*, hoc est, exitio & vastationi certò es destinata, iámque quasi vastata. More Prophetarum facit Vates, vt rem futuram participio præterito exprimat. Sic interdum Galli dicunt, *Voila vn homme perdu*, de eo, qui nondum est perditus, sed quem certum exitium manet. *Beatus qui* &c. Exclamatio bene illis optans, per quos Babyloniorum exitium sit futurum. Hoc autem & quod sequitur, ad tempora Darij Medi, qui vastauit Babylonem, dubio procul est referendum. *Retribuet retributionem* &c. Hinc patet in Hebrææ linguæ consuetudine non semper *retribuendi* vocabulum sumi pro reddere. Vt enim prius hoc loco id significet, non tamen duo posteriora, quemadmodum manifestum est.

9 *Beatus qui apprehendet* &c. Respondet hoc vaticinium ad illud Esaiæ, cap. 13. 16. *Et paruuli eorum allidentur in oculis eorum.* Adi locum.



PSALMVS

PSALMVS

CXXXVII. CXXXVIII.

VERSIO

VETVS.



PSI *Dauid.*

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

2 *In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo,*

3 *Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.*

4 *In quacumque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.*

5 *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui:*

6 *Et cantent in vijs Domini: quoniam magna est gloria Domini.*

7 *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.*

8 *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.*

9 *Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.*

NOVA.



PSIVS Dauid.

Confitebor tibi in toto corde meo: in conspectu deorum psallam tibi.

2 Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen tuum eloquium tuum.

3 In die inuocaui, & exaudisti me: corroborasti me in anima mea virtute.

4 Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ: quum audierint verba oris tui.

5 Et cantent de vijs Domini: quòd magna (est) gloria Domini:

6 Quòd excelsus Dominus, & humilem respicit, & altus à longè cognoscit.

7 Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: super iram inimicorũ meorum extendes manum tuam, & saluũ me faciet dextera tua.

8 Dominus perficiet circùm me: Domine misericordia tua in æternum; opera manuũ tuarũ ne deseras.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *VIDETVR David hunc Psalmum edidisse, postquam superatis multis ærumnis ac periculis, Saulèque mortuo, ad regia dignitatis fastigium esset euectus. Duabus constat partibus hoc carmen. In prima pollicetur Dauid totis animi viribus in oculis omnium, ac præsertim Magistratuum, Dei erga se beneficia celebraturum, qui, vti promiserat, ad regiam dignitatem euexit, sibique eius opem imploranti nunquam defuit, sed semper inuictum animi robur suppeditauit. Hinc alios orbis terrarum reges hortatur, vt statim atque rem istam cognouerint, Deo laudem tribuant, eius facta ac immensam gloriam prædicãtes, quódque licet sublimi solio insideat, ignobilem tamen & obscurum homuncionem inde adspiciat. In altera parte concipit certam spem ac fiduciam in Deo aduersus quæcumque discrimina: precatúrque Deum, vt pro sua perpetua benignitate cœptum opus velit perficere, & se, quem regem constituit, fouere, ac curare nunquam desinat.*

1 *Confitebor tibi* &c. In duobus primis verſibus eſt propoſitio, qua ſe Dei miſericordiam & veritatẽ totis animi viribus palàm celebraturum pollicetur. *In conſpectu deorum* &c. *Deorum* nomine Raſi intligit Principes: Chald. Ez. & Kim. Iudices, qui Dei vicem in terris gerunt. Citat Kimhi ex. gr. locum illum Exo. 22.9. *ad deos*, id eſt, iudices, *vtriuſq; cauſſa perueniet*. Græc. Lat. atque etiam Pagn. *Angelos* intellexerunt.

2 *Ad templum ſanctum tuum*, ad verb. *ſanctitatis tuæ*, hoc eſt, ex Ezra & Kimhi, ad locum & domum, vbi eſt Arca. Sunt tamen ex Hebræis, teſte Ezra, qui cælum hîc interpretentur. *Super miſericordia tua*, per quã ſcilicet mihi gratis ac liberaliter regiam dignitatem obtuliſti, ac promiſiſti: *& veritate tua*, per quã promiſſum præſtitiſti poſt multas ærumnas, multóſque exantlatos labores. Sic ferè ex Kimhi. *Quoniam magnificaſti ſuper omne nomen tuum eloquium* ſeu *verbum tuum*. Ratio propoſitionis, perinde ac ſi diceret, ita te geſſiſti erga me, vt fidem tuam in præſtandis promiſſis ſupra omnes nominis tui titulos videaris extuliſſe. Hæc mihi videtur huius loci germana ſententia. Alij aliter atque aliter explicant hanc partem. Et Kimhi quidem putat hîc eſſe tranſpoſitionem, ac dici *magnificaſti ſuper omne nomen tuum eloquium tuum*, pro, *magnificaſti ſuper omne eloquium tuum nomen tuum*: quaſi diceretur, celebre reddidiſti apud omnes Gentes nomen tuum, præſtando quicquid dixeras ac promiſeras. Hæc ſententia non diſpliceret, niſi noua & coacta videretur illa tranſpoſitio. Profert tamen Kimhi ex ſacris litteris ſimiles trãſpoſitiones, illam Oſ. 8.2. *Me inuocabunt, Deus meus cognouimus te, Iſraël*, pro, *Me inuocabunt Iſraël, Deus meus* &c. & alias. Referunt Ezra & Kimhi eſſe qui exponant, *quoniam magnificaſti ſuper omnia nomen tuum, (&) eloquium tuum*. Refellit hos Ezra ex eo quòd כָּל־ *col*, in omnibus exemplaribus habeat kamets chatuph, non cholem, hoc eſt, coniungatur per Maccaph cum ſequente nomine, ita vt ab eo diuelli non debeat. Ezra ſic interpretatur, *quoniam magnificaſti ſuper omne nomẽ tuum*, id eſt, ſuper omnia alia tua nomina, *dictũ tuum*, id eſt, propriũ tuũ illud nomẽ, quod ſcribitur, ſed nõ legitur, quod ipſe Moyſi dixiſti, cùm antea prorſus eſſet ignotũ. Vide Exo. 3.14. & 15. Hęc expoſitio ſubtilior eſt, nec ad cõtextum & argumentum quadrat. *Eloquium* ſeu *dictum tuum*, Lat. *ſanctum tuum*, ex Græco ἅγιόν σου, vbi mendi ſuſpicio, quaſi ſit pro λόγιόν σου, quo modo alius Interpres vertit, vt videre eſt in Veterũ Interpretũ Gręcorum fragmentis, quæ collegit Ioh. Druſius.

3 *In die inuocaui*, &c. Senſus, Ijs tempo- A ribus, quum me miſerum Saul perſequeretur, ſæpenumero implorauí tuam opem: tu autem me ſemper exaudiſti, mihique inuictùm animi robur ſuppeditaſti. Ex Ezra, qui cenſet תַּרְהִבֵנִי *tarhiueni*, eſſe tranſitiuum in duo, hoc eſt, bis actiuum, poſterius membrum vertendum, *roborare feciſti me in anima mea fortitudinem*, quaſi diceret, effeciſti ſemper vt ego virili eſſem animo, fortémque me præberem aduerſùs quæcumque pericula & mala. *Corroboraſti*. D. Hier. vertit *dilatabis*, & videtur legiſſe תַּרְחִבֵנִי B *tarchiueni*, pro תַּרְהִבֵנִי *tarhiueni*, ח pro ה.

4 *Confiteantur tibi, Domine*, &c. Hortatur omnes Reges, vt quum ipſum audierint Dei conſilio & iuſſu ad regiam dignitatem euectum, tum Deum laudibus extollant. *Confiteantur*. Potes vertere *Confitebuntur*, & ita deinceps alia verba. *Quum audierint eloquia oris tui*, hoc eſt, veritatem eorum verborum, quibus per Samuëlem regnum mihi pollicitus fueras. Reſpicit ad illud, quod mox dixit, *magnificaſti ſuper omne nomen tuum eloquium tuum*.

C 5 *Et cantẽt de vijs*, hoc eſt, operibus, *Domini*: atque hoc præſertim, *quòd magna (eſt) gloria Domini*, qui tot ac tanta edit facinora: & illud quod eſt in verſu qui ſequitur.

6 *Quòd excelſus Dominus*, &c. Senſus, Reges poſtquam acceperint me à caula, atque ab agendis fœtis aſcitum à Deo, vt ſim paſtor & dux Iſraëlitici populi, tum profectò palàm profiteantur Deum licet ſublimi ſolio inſidẽtem eò ſe demittere, vt hominem etiam obſcurum, & ignobilem curet, ac re- D ſpiciat. *Et altus à longè* &c. Repetitur ſententia prioris membri. Sunt tamen qui vertunt, *& altum à longè cognoſcit*, quaſi ſit antitheſis prioris membri, hoc ſenſu, ſuperbum autem non dignatur propinquo intuitu, ſed eminus reſpicit. Hunc ſenſum Græc. & Lat. ſequuti ſunt. Chald. etiã, qui interpretatus eſt, *& elatum è cælis longinquis deprimit*.

7 *Si ambulauero* &c. Altera pars Pſalmi, in qua Dauid, quoniam ſciebat ſe non eſſe defunctum omnibus periculis, munit animum ſuum ſpe ac fiducia in Deo. *Si am-* E *bulauero in medio* &c. Perinde ac ſi diceret, Cùm habeã exploratũ me tibi eſſe curæ, nihil timebo deinceps, certus in aſperrimis quibuſq; difficultatibus ſaluũ me pręſtiturũ te. Simile eſt Pſ. 23.4. *Etſi ambulauero in valle vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniã tu mecũ (es.)* *Super irã* &c. hoc eſt, coërcebis ac reprimes ſẽper hoſtiũ meorũ furorẽ. Ex Ez. & Kim. *ſuper irã* vel *irã inimicorũ meorũ*, nihil eſt aliud quàm inuitis & frementibus hoſtibus. Sic *extendes manum tuam*, nihil aliud erit, quàm, mihi opem feres.

8 *Expoſitio verſus* 8. *quærenda in Omiſſis.*

PSALMVS

CXXXVIII. CXXXIX.

VERSIO

VETVS.



IN finem, Psalmus Dauid.

Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

2 Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.

3 Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.

4 Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

5 Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.

6 Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?

7 Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

8 Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris:

9 Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

10 Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis.

11 Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

NOVA.



PRÆCENTORI, Dauid Psalmus.

Domine scrutaris me, & cognoscis.

2 Tu cognoscis sedere meum, & surgere meum: intelligis cogitationem meam de longè.

3 Semitam meam, & accubitum meum circumplecteris, & omnes vias meas peruides.

4 [a] Quia non (est) sermo in lingua mea, ecce, Domine, cognouisti omnem illum. — a vel & quin

5 Retro & antè obsedisti me, & posuisti super me manum tuam.

6 Mirabilis (est) scientia præ me: excelsa est, non [b] potero ad eam. — b præualebo ei.

7 Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?

8 Si ascendero (in) cælum, tu illic (es,) & (si) descendero in infernum, ades.

9 (Si) sumpsero pennas [c] diluculi: habitauero in extremis maris: — c auroræ

10 Etiam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

11 Et dixi, Vtique tenebræ occultabunt me: at nox lumen (est) circùm me.

12 Etiam tenebræ non obscurabunt à te, & nox sicut dies lucebit: sic tenebræ sicut lumen.

13 Quia tu poſſides renes meos: te-
xiſti me in vtero matris meæ.

14 Confiteor tibi; quoniam mi-
rabiliter mirificatus ſum; mirabilia
opera tua: & anima mea cognoſcit
d valde. [d] nimis.
e corpus 15 Non fuit occultatum [e] os
meum à te, quando factus ſum in oc-
culto, artificioſè contextus in infe-
rioribus terræ.
f Informe 16 [f] Imperfectum meum viderunt
oculi tui: & in libro tuo omnia iſta
ſcripta erant diebus (quibus) for-
g ex mata ſunt, & non vnum [g] in eis.
17 Itaque mihi quàm pretioſæ
ſunt cogitationes tuæ, Deus:
quàm multæ ſunt ſummæ earum!

18 Dinumeraucro eas, ſuper are-
nam multiplicabuntur: expergefa-
ctus ſum, & adhuc ego tecum.

h heb. impium ſeu improbum, 19 O ſi occideris Deus [h] peccato-
res, & viros ſanguinum: (declinate
à me.)
20 Qui dicunt te ad ſcelus, acci-
piunt in vanum hoſtes tui.
21 Nónne qui oderunt te, Domi-
ne, odi, & in inſurgentes in te tædio
affectus ſum?
22 Perfecto odio odi illos: pro
inimicis fuerunt mihi.
23 Proba me Deus, & cognoſce cor
meum: explora me, & cognoſce co-
gitationes meas.
i irritationis 24 Et vide ſi via [i] doloris in me
(eſt:) & deduc me in viam æter-
nam.

12 Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſ-
cepiſti me de vtero matris meæ.

13 Confitebor tibi quia terribiliter ma-
gnificatus es: mirabilia opera tua, & ani-
ma mea cognoſcit nimis.

14 Non eſt occultatum os meum à te,
quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea
in inferioribus terræ.

15 Imperfectum meum viderunt oculi
tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies
formabuntur, & nemo in eis.

16 Mihi autem nimis honorificati ſunt
amici tui, Deus: nimis confortatus eſt
principatus eorum.

17 Dinumerabo eos, & ſuper arenam
multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc
ſum tecum.

18 Si occideris Deus peccatores: viri
ſanguinum declinate à me.

19 Quia dicitis in cogitatione: Accipi-
ent in vanitate ciuitates tuas.
20 Nónne qui oderunt te Domine,
oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſce-
bam?
21 Perfecto odio oderam illos: & ini-
mici facti ſunt mihi.
22 Proba me Deus, & ſcito cor meum:
interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

23 Et vide, ſi via iniquitatis in me
eſt: & deduc me in via æterna.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *IN hoc Psalmo David vim diuinæ mentis omnia, etiam occultissima, collustrantis, ac peruidentis, magna verborum pompa, & magnificentia describit: ac postquam id fecit, imprecatur impijs & sceleratis, qui sacrosancto Dei nomine temere, atque etiam ad scelera abutuntur, existimantes se posse Deum latere. Obseruat Ezra excellentissimum esse hunc Psalmum, nec in quinque his libris vllum esse huic æquiparandum. Ea caussa, quamobrem mihi visum est faciendum, vt ipsum breui paraphrasi explanarem ad istum modum:*

Paraphrasis. *Domine, ea vis est tuæ mentis, intus vt me penetres, & scruteris, méque adeo totum penitus cognoscas. Nullum vitæ meæ momentum fugit te, siue sedeam, siue surgam: imò omnes meas cogitationes, longè antequam existant, ipse perspicis. Me tam ambulantem, quàm cubantem veluti cingis, neque adeo eorum, quæ ago, quicquam omnino tibi est obscurum. Quidni verò quicquid aggredior, habeas perspectum, cùm ipsas etiam voces omnes, antequam à me lingua exprimantur, probè calleas. Retro & antè tenes me obsessum, & quasi iniecta manu comprehensum, vt me à tuo conspectu prorsus nequeam subducere. Profectò summa illa tua scientia me in admirationem vehementer rapit, & longè mentis meæ captum exuperat. Quò abire possum, vbi te lateam: vbi vim tuæ mentis, tuúmque conspectum effugiam? Si in cælos ascendam, tu illic es: econtra, si demergar in inferos, illic & te offendero. Si auroræ alas induam, inque vltimum vsque Occidentem auolem, nec sic tuum conspectum effugero. Namque tua ipsius manus, sine cuius ope nihil possum, & eò me deducet, & ibi deprehensum corripiet. Quòd si sic cogito, In tenebris forsan delitescam, longè me fallet opinio. Nam nox ipsa clara lux est circum me, vt tuis oculis tunc etiam pateam totus: neque tenebræ quicquam tibi occultant, nóxque tibi perinde atque dies, ac nullum apud te tenebrarum & lucis discrimen. Quid mirum autem quòd sic pateam tuis oculis, cuius sunt renes mei, vt qui istud corpus in ipso matris meæ vtero pelle & carne, ossibus & neruis compegeris? Equidem tuum esse profiteor (eóque nomine tibi lubens gratias ago) stupendum illud atque admirandum efformationis meæ opus. Iam tum igitur haud te latebat istorum meorum membrorum compages, quum in maternis visceribus artificiosè contexerer. Imò quum essem embryo, rudisque adhuc & indistincta materia, tum me totum cognoscebas, & antequam vel istorum membrorum vnum existeret, omnia planè cernebas. Hæc cùm ita sint, quanti mihi faciendæ sunt præclaræ illæ tuæ cogitationes, ô Deus! Et verò innumeras esse oportet, cùm te nulla res prætereat. Itaque illas recensere si voluero, comperiam plures esse arena maris. Hinc fit vt quanquam de ijs assiduè meditantem & loquentem somnus opprimit, expergiscentémque earundem subit cogitatio, nunquam illas tamen vel vlla ex parte assequi possim. O vtinam, mi Deus, malè perdas impios & sceleratos homunciones, qui ad ista non aduertentes, sed te latere se existimantes, sacrosancto tuo nomine temere, imò ad scelera etiam abutuntur, palàm hostes tui. Ego profectò non aliâ caussâ illos odi, & abominor, quàm quia te odisse, atque in te insurgere animaduerto. Malè autem odi, haud secus atque meos ipsius hostes. Tu, Domine, explora me, cor meum, meáque omnia cogitata, ac dispice an reus sim alicuius rebellionis & impietatis. Quòd si ita erit, statim mulctato me morte.*

1 *Domine scrutaris* &c. Propositio, quæ sequentibus versibus elegantissimè exornatur. Hanc habet sententiam hic versus, Domine scrutaris me, adeóque penitus cognoscis. Hebraicè in his versibus præterita sunt pro præsentibus. *Scrutari* porrò vsurpatur pro comprehendere & penetrare: quo modo & Ierem. 17. 10. *Ego Dominus scrutans cor*, &c. necnon 1. Corinth. 2. *Spiritus enim omnia scrutatur.*

A 2 *Tu cognoscis sedere meum* &c. Sensus, Nulla vitæ meæ pars te latet: siue sedeam, siue surgam, tu scis: imò omnes meas cogitationes procul, & multò antequàm existant, prospicis. Ezra & Kimhi *de longè* interpretantur antequam fit, cogitatio scicet.

3 *Semitam meam* seu *Iter meum*, & &c. Sensus, Tam ambulantem interdiu, quàm noctu lecto accubantem cingis,

& proximus obſeruas, & omne, quod ago, perſpectum habes. Habet emphaſim quod ait *circumplecteris* ſeu *cingis*. *Omnes vias meas*, id eſt, omnia quæ ago, *peruides*, ad verb. *aſſueſti*, id eſt ex Kimhi, ita cognoſcis, vt qui longo vſu rem aliquam cognoſcit. In hoc & præcedente verſu quatuor corporis motus vel ſitus, quibus omnes externæ actiones cõtinẽtur, enumerat, ſedere nempe, ſurgere, ſeu ſtare, ire, & iacere. Eſt hoc haud nouum Sacris litteris, vt ſitus iſtos quatuor ad denotandas omnes actiones exprimant, ex. gr. Deut 6. 7. *& loquêris de ijs ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque conſurgens.* Simile quoque legitur Deut. 11. 19. *Accubitum meum*. Lat. *funiculum meum*, ex Græco τὴν σχοῖνόν μου: quæ vox tamen eſt ambigua, & ſignificat etiam iuncum & ſtoream ex iuncis contextam, in qua cubatur: quo modo accepiſſe hoc loco Græcum interpretem putant nonnulli, qui iſto pacto Græcum ſaltem cum Hebræo conciliare nituntur, cùm toto cælo inter ſe differant. Genebrardus coniicit Græcum legiſſe κοίτην. Certè D. Hieron vertit *accubationem meam ventilaſti*. Agellium Epiſcopum Acernenſem cenſeo adeas de Vulgata verſione, cuius ſtrenuè cauſſam agit, & ſubtiliter profectò, atque eruditè, vt ſolet.

4 *Quia non (eſt) ſermo* &c. Senſus, Quidni verò quicquid aggredior, perſpectum habeas, cùm ipſas etiam voces omnes, antequam lingua exprimantur, probè teneas? *Quia*. Potes vertere, *Quum*, eodem ſenſu, Quum nondum ſermo in lingua mea natus eſt, tamen quicquid cogito dicere, probè cognoſcis.

5 *Retrò & antè obſediſti* &c. Senſus, Omni ex parte tenes me obſeſſum, & quaſi iniecta manu comprehenſum, ſic vt tuum conſpectum nullis artibus effugere poſſim.

Obſediſti Græco & Lat. *formaſti*: quia acceperunt צַרְתָּנִי *tſartani*, pro יְצַרְתָּנִי *ietſartani*: id quod non repugnat. Nam quieſcentia Aijn Vau, & Pe Iod interdum confunduntur. Verùm *obſidendi* ſignificatio meliùs loco & cõtextui conuenit, eámque ſequuntur Chald. & Ezra. Ioſeph Kimhi, D. Kimhi, & alij Hebræorum in altera ſignificatione tamen accipiunt. Folengius, Monachus, pius alioquin, ad hunc verſum nolle ſe ait Vulgatam litteram interpretari conari, ne nodum in ſcirpo quærere videatur. Cui erit Commentariorum illius copia, legat, quæſo, initium præfationis in hunc Pſalmum, vbi inter cætera eos ait qui in exponendo hoc Pſalmo noſtræ Editionis litera vti voluerint, hos nihil aliud ſibi videri aſſequi poſſe, quàm ſudando nihil omnino agere: qui verò Hebræâ tantummodo, ſimplicioris hos fidei hominibus, (*perpende*) quorum ſaluti conſulere debent eruditiores, ſatis minimè feciſſe iudicandos.

6 *Mirabilis (eſt) ſcientia* &c. Senſus, Scientia illa, qua tu cuncta cognoſcis, ita admirabilis eſt, vt illam nequeam prorſus capere: ita ſublimis, vt ad illam nullo pacto poſſim pertingere. Etſi enim ſcio te ſcire omnia, neſcio tamen quo modo tam diuerſa ac varia, & ſimul quidem, atque vno tempore, potes cognoſcere. *Non potero* vnquam *ad eam* pertingere. Ad verb. *non potero* ſeu *prævalebo ei*. Kimhi hunc verſum intelligit de ſcientia, quam Deus adhibet in formatione corporis humani ex quatuor contrarijs naturis ſeu qualitatibus, calido & frigido, humido & ſicco, quæ Deus pro ſua ſapientia ac ſcientia ita ſimul permiſcet, vt ex ijs compingatur vnum corpus. Sed generalior videtur eſſe huius verſus ſententia, quàm vt ad hoc reſtringi debeat.

7 *Quò ibo à ſpiritu tuo*, &c. Senſus, Quò abire poſſum, vbi te lateam: vbi vim tuæ mentis, tuúmque conſpectum effugiam?

8 *Si aſcendero in cælum*, &c. Si ad tuum vitandum conſpectum, vel cælos, ſi poſſim, petam, nempe illic te reperiam: econtrà, ſi ipſos inferos, illic & præſto es. *Deſcendero in infernum*. Ad verb. *ſtratum fecero*, ſeu *ſubſtrauero infernum*, hoc eſt, demiſero me vſque ad inferos, ita vt inferi mihi ſint veluti ſtratum. Loquendi genus poëticum ſcilicet, quod Græcus & Lat. fœliciter expreſſerunt.

9 (*Si*) *ſumpſero pennas diluculi*, ſeu *auroræ*, quæ vno momento ab Oriente in Occidentem diffunditur: quò pertinet poſterius membrum, *habitauero in extremis maris*, hoc eſt, extremum Occidentem petiero.

Pennas auroræ. Alas ipſi auroræ poëticè tribuit propter ſummam eius celeritatem. Græc. & Lat vetterunt *pennas meas diluculo*. Quippe legerunt כְּנָפַי *chenaphai*, id eſt, *pennas meas*, vbi hodie כַּנְפֵי *chanphe*, id eſt, *pennas*, in regimine, hoc eſt, ſequente altero nomine gen. caſus. *In extremis (extremitate) maris*. Mare appellat Occidentem, quia reſpectu terræ Chanaan mare ad Occidentem eſt ſitum.

10 *Etiam illuc manus tua* &c. Cohæret hic verſus cum præcedente, hoc ſenſu, Me ad tuum fugiendum conſpectum auolantem in extremum Occidentem, tua etiam ipſius manus, abſque cuius ope nihil poſſum, eò me deducet, ibique deprehenſum arripiet.

11 *Et dixi, Vtique* &c. Senſus, Si ita cogitem, Abdam me in tenebras, ac ſic

Dei conſpectum forſan effugiam, longè fallar. Nam nox adeò non tegit me, vt potiùs inſtar clariſſimæ lucis detegat. *Occultabunt.* Græc. καταπατήσει; Lat. *conculcabunt*; quam etiam ſignificationem habet verbum שׁוּף *ſcuph*, vt videre eſt Gen. 3. 15. ſed non hîc, vt videtur. *Lumen.* Lat. *illuminatio mea.* In Græco deeſt pronomen *mea*, quod ſenſui nonnihil officere affirmat Ianſenius. *Circum me.* Græco ἐν τῇ τρυφῇ μου; Lat. *in delicijs meis*; qui abſque dubio legerunt, בְּעֶדְנִי *baadhanai*, à nomine עֵדֶן *edhen*, pro בַּעֲדֵנִי *baadheni*, à בְּעַד *beadh*, alijs duntaxat punctis. Folengius quid ſibi velit, *& nox illuminatio mea in delicijs meis*, non ſatis exploratum habere ait.

12 *Etiam tenebræ* &c. Plana eſt huius verſus ſententia, Deo fonti luminis tenebras ipſas nihil caliginis offundere, eique perinde lucidam eſſe noctem, ac diem, nullúmque apud illum tenebrarum & lucis diſcrimen. *Obſcurabunt, lucebit.* Futura pro præſentibus, vt in generali ſententia. *Sic tenebræ ſicut lumen*, apud te ſcilicet. Kimhi obſeruat כ *caph*, litteram ſimilitudinis bis poſitam importare reduplicationem, vt exponendum ſit, *ſicut tenebræ, ſic lumen, ſicut lumen, ſic tenebræ*, hoc eſt, perinde tibi ſunt tenebræ & lumen, lumen & tenebræ. In Græco & Lat. *ſicut tenebræ eius, ita lumen eius*: quæ pronomina, cùm ſint gen. fœm. in Græco, non ad Deum, ſed ad noctem, & diem referri debent.

13 *Quia tu poſſides* &c. Optima ratio. Quidni tuis oculis pateam totus, cùm iure creationis tui ſint renes mei, quibus nihil in me abſtruſius & occultius: méque in ipſo matris vtero, obſcuro loco, pelle & carne veſtieris, oſſibúſque & neruis compegeris (Iob 10. 11.) ac cooperueris me? In hoc verſu Hebraicè prius verbum eſt præt. temp. pro præſ. poſterius fut. temp. pro præt. vt contextus docet. In poëſi Hebræa frequens eſt heteroſis, & confuſio temporum.

14 *Confitebor tibi, quoniam mirabiliter* &c. Eòdem pertinet hic verſus, quò præcedens, & perinde eſt ac ſi dicat, Planè agnoſco, eóque nomine tibi lubens gratias ago, me tuum eſſe opus, & quidem mirabiliter efformatum, nihil vt mirum videri debeat te me penitus cognoſcere. Huc & pertinent ſequentes verſus duo. *Mirabiliter* (ad verb. *(in) mirabilibus*) *mirificatus ſum*, quod ad mei efformationem attinet. *Mirabilia opera tua.* Explicat quo modo *mirabiliter mirificatus ſit*, quòd Deus videlicet ſtupendo, & prorſus admirabili modo agat in hominis efformatione. *Et anima mea cognoſcet nimis* ſeu *valde*, hoc eſt, & id prorſus ac planè ſcio, nec dubito quin tuum ſit admirandum illud efformationis corporis humani opus. R. Moſes & Kimhi *valde* ad *mirabilia* referunt.

15 *Non fuit occultatum os*, ſeu, *corpus meum* &c. Senſus, Iam tum quum formarer in materno vtero, illicque varijs & diſtinctis membris veluti contexerer, nihil te huiuſce meæ compagis latebat. Voces nunc explicentur ſingulæ. *Os.* Kimhi exponit *corpus*. Nihil refert ad ſenſum. *Factus ſum.* Ex Kimhi *compreſſus ſum*. Aptè. Nam ſemen in vtero mulieris primis aliquot diebus conglobatur, inſtárque lactis coagulatur. Probat ille iſtam ſignificationem ex Ezech. 23. 8. *In occulto* poëticè, pro, in matris vtero. Sic poſtea *in inferioribus terræ*, pro, in materno vtero, loco ſcilicet obſcuro, perinde vt ſunt terræ cauernæ & receſſus. Chald. interpretatus eſt, *in ventre matris*. Poteſt tamen accipi hoc, vt ſonat, quaſi diceret, quum hîc infernè in terris efformarer, tu è cælis videbas, nihílque te latebat. *Artificiosè*, prop. *phrygio opere contextus*. Aptè. Nam corporis textura ex neruis, oſſibus, carne, & pelle haud abſimilis eſt operi phrygio. Græc. ἡ ὑπόστασίς μου; Lat. *ſubſtantia mea*; qui videntur legiſſe וְקָמָתִי *vekomathi*, id eſt, *& ſtatura mea* à rad. קוּם *kum*, pro רֻקַּמְתִּי *rukkamti*, ו pro ר.

16 *Imperfectum* (*Informe*) *meum viderunt* &c. Senſus, Imò iam tum me noueras, quum adhuc eſſem embryo, hoc eſt, informis, & mẽbris indiſtincta materia: quò ſpectat & id quod ſequitur, *& in libro tuo omnia iſta ſcripta erant* &c. quorum verborum hæc eſt ſententia, planéque tibi iam erant cognita, &, ſi ita fas loqui, in tuum diarium relata iſta omnia, ex quibus compingor, membra, quum adhuc illa formarentur ac fingerentur, nec vel vnum diſtinctum exiſteret. *In libro tuo* &c. Humanitus dicitur Deus habere in actis, quæcumque nouit. Omitto aliorum ad hunc verſum interpretationes.

17 *Itaque mihi quàm pretioſa* &c. Senſus, Hæc omnia cùm ita ſe habeant, liceat mihi exclamare, Quanti facio ſublimes tuas cogitationes! quàm verò immenſæ ac multæ ſunt, cùm nihil omnino te fugiat! Græc. & Lat. aliter multò verterunt hũc verſum. Nam רֵעֶיךָ *reecha*, interpretati ſunt *amici tui*. vbi nos ſenſum & contextum inſpicientes, poſt Ezram, Kimhi, Kabuenaki, & alios Hebræorum vertimus *cogitationes tuæ*, quam ſignificationem vox רֵעַ *res*, verſu 2. huius Pſalmi obtinet. Significat quidem hæc vox etiam *amicum*: & in hac ſignificatione accipitur hîc à Chaldæo, qui interpretatur, *Et mihi quàm pretioſi ſunt amici tui* (*amantes te*) *iuſti Deus!* necnon à Raſi,

qui sic habet ad hûc versum, Cœtus Israël dicit, Quàm honorati sunt in oculis meis iusti, qui in omni generatione, & generatione! *Quàm multæ sunt.* עָצְמוּ *atsemu*, expono hîc, sicuti Ierem. 15. 8. vbi Græcus interpretatus est ἐπληθύνθησαν; Lat. *multiplicatæ sunt:* hîc autem Græcus vertit ἐκραταιώθησαν; Lat. *confortati sunt*; D. Hieron. *quàm fortes*; Felix *quàm multiplicati sunt*; Chald. *quàm fortes.* *Summæ earum.* Post Rasi, Ezram, Kimhi, Kabuenaki, & alios Hebræorum sic vertimus: & ראש *rosch*, *summam* significat, ex. gr. Exo. 30. 12. Græc. & Lat. in alia significatione accipientes hoc vocabuli interpretati sunt *principatus eorum.* Sic Felix *principes eorum.* Theod. vertit οἱ πτωχοὶ αὐτῶν; D. Hieron. *pauperes eorum*, nimirum ex רָאשׁ *rasch*, quod *pauperem* significat. Non potui omittere tot diuersas interpretationes, præsertim quòd faueant Vulgatæ versioni. Tuum erit tamen seligere meliorem, & argumento magis accommodatam. Folengius iam laudatus sic habet ad hunc versum, Videtur is versus, si nostram sequaris literam, ad ea quæ dicta sunt, non satis aptè quadrare. Nam cùm Vates de mirabili corporis humani opificio disseruisset, imò cùm nondum quæ dicere cœperat, absoluisset, ineptè quodammodo visus est nonnullis ita de improuiso ad celebrandos Dei amicos transire voluisse. Quare germaniorem secuti Hebræorum interpretationem, sic hunc versum transtulere: *Quàm pretiosæ fuerunt apud me cogitationes tuæ, ô Deus: quàm inualuerunt summæ earum!*

18 *Dinumerauero eas*, &c. Sensus, Si numerare illas tentauero, frustra ero: nam arenam maris, *quæ nec mensuratur, neque numeratur*, vt dicitur Os. 1. 10. multitudine superant. *Expergefactus sum, & adhuc ego tecum.* Est obscurum hoc membrum, quia concisum: qualia multa apud poëtas, qui interdum æstu quodam abrepti non pauca supprimunt. Puto cum Kimhi hunc habere sensum: ita sæpe de illis tuis cogitationibus vigilans cogito, & loquor, vt, sicuti fit, mihi etiam in somnis semper obuersentur: adeo vt *expergefactus adhuc sim tecum*, id est, quoties expergiscor è somno, adhuc verser in meditatione tuarum illarum cogitationum. Vel, quod eódem ferme redit, vt me de ijs cogitantem somnus opprimit, ita expergiscentem earundem cogitatio subit. Vult nimirum hoc membro significare se de illa admiranda Dei cognitione assiduè meditari, nec illam tamen vel cogitando posse assequi, quòd immensa sit & infinita. Prætereo aliorum expositiones.

19 *O si occideris* &c. Altera pars carminis, in qua malè imprecatur sceleratis illis hominibus, qui sacrosãcto Dei nomine abutuntur, existimantes scilicet se Deum latere, quasi ipse aliquid nesciat. O vtinam, inquit, malè perdas sceleratos, & exitio dignos homines, *Qui dicunt te* &c. *Peccatores.* In Fonte רָשָׁע *rascha*, id est, *improbum*, quæ vox vsurpatur collectiuè. *Viros sanguinum* intelligo mortis reos ob blasphemias in Deum. Cæterùm illud *declinate à me* accipiatur per parenthesin dictum impijs hominibus. Iratis familiares sũt parentheses.

20 *Qui dicunt te ad scelus:* &c. Sensus, Qui sacrosanctum tuum nomen ad scelera vsurpant, eóque temere abutuntur, palàm hostes tui: quippe qui te, teipsum lacessunt. Sed quid isti ad argumẽtum Psalmi? Quoniam ignorare videntur Dei omniscientiam, qui sic agunt. Chald. interpretatus est, *Qui iurant in nomine tuo super dolum: iurant frustra inimici tui.* *Hostes tui.* In Græc. & Lat. *ciuitates tuas*, id quod עָרֶיךָ *arecha*, potest significare. Ante Sixti correctionem Latinus in plerisq; codic. habuit *suas*, cùm apud Græcũ esset σου. R. Moses, & alij; testibus Ezra, & Kimhi, vocem illam hîc *ciuitates tuas* exponũt, putántque esse כִנּוּי *cinnui*, hoc est, occultam appellationem pro *nomen tuum.* Nihil istud moror. Sed tãntùm hoc dico, vt ostendam non improbaturos hîc omnes Hebræos Græc. & Lat. versioně.

21 *Nónne qui oderunt te*, &c. Idem bis dicitur in hoc versu pro more. Obseruat Kimhi hunc versum veteres Rabbinos intelligere de hæreticis, qui cùm cognoscant, negant.

22 *Perfecto odio* &c. Repetitur sententia præcedentis versus, & exaggeratur horum verborum additione, *Perfecto odio*, ad verb. *Perfectione odij*, hoc est, maximo odio, & cui nihil addi possit. *Pro inimicis fuerunt mihi*, id est, habui illos pro inimicis.

23 *Proba me Deus*, &c. Postquam in sceleratos & impios inuectus est Dauid, ipse se Deo examinandum ac puniendum sistit, siquid irreligionis aut impietatis vel mente vnquam conceperit.

24 *Et vide si via rebellionis in me* (*est.*) Sensus, Dispice siqua rebellio in me fortè lateat. *Rebellionis.* In Fonte עֹצֶב *otsef*, id est, *doloris*, vel iuxta Pagnini versionem *irritationis*, quam Ezra & Kimhi *rebellionem* interpretantur, ex illo Esa. 63. 10. *Ipsi autem rebellauerunt*, וְעִצְּבוּ *veitsfeun*, *& dolore affecerunt*, seu *irritauerunt spiritum sanctum eius.* Rasi quoque exponit, si via doloris, & despectionis in me. *Et deduc me in viam æternam*, hoc est, si videris in me aliquid viæ rebellionis, fac vt moriar protinus. Hæc ipsa est via æterna: quo modo 1. Reg. 2. 2. *Ego ingredior viam vniuersæ terræ:* & Eccl. 12.

5. *quoniam it homo in domum æternitatis suæ.* Sic ad hoc Kimhi. Sic ferè & Ezra, qui addit illud Iob 16. 22. *& semitam, per quam non reuertar, ambulabo:* necnon 22. 15. *Nunquid semitam seculi seruabis*, &c. Sed postremus hic locus ab alijs aliter accipitur. Ego addo illud, quod Dauid dixit, postquam mortuum puerum audisset, quem ex Bethsabee susceperat, *nunquid potero reuocare eum amplius: ego vado ad eum; ille verò non reuertetur ad me.*

PSALMVS

CXXXIX. CXL.

VERSIO

VETVS.

IN finem; Psalmus Dauid.

2 *Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.*

3 *Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.*

4 *Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labijs eorum.*

5 *Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.*

6 *Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi:*

7 *Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.*

8 *Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

9 *Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.*

10 *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.*

11 *Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.*

12 *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos: in miserijs non subsistent.*

NOVA.

PRÆCENTORI, Psalmus Dauid.

2 Eripe me, Domine, ab homine malo: à viro [a] iniquo custodi me. *a ad verb. violentiarũ*

3 Qui cogitant mala in corde, omni die [a] constituunt prælia. *a prop. congregant*

4 Acuunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum.

5 Custodi me, Domine, de manu peccatoris; ab hominibus [a] iniquis [b] eripe me; qui cogitauerunt [c] supplantare gressus meos. *a ad verb. violentiarũ b serua c impellere*

6 Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt rete: iuxta iter [d] scandalum posuerunt mihi. *d heb. laqueos seu tendiculas*

7 Dixi Domino, Deus meus (es) tu: [e] exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ. *e ausculta*

8 Domine Deus [f] virtus salutis meæ: operuisti caput meum in die [g] belli. *f fortitudo g armorum.*

9 Ne tradas, Domine, desideria peccatoris: cogitationem eius ne perficias, [h] (ne fortè) exaltentur. *h exaltabuntur.*

10 [i] Venenum circundantium me, peruersitas labiorum ipsorum operiat eos. *i vel Caput*

11 Cadant super eos carbones: in ignem deijciat eos; in fossas, (vnde) non resurgant.

l stabilietur 12 Vir linguosus non [l] dirigetur in
m violentiæ terra: virum [m] iniustum malum venabitur ad impulsiones.
13 Cognoui quòd faciet Dominus
n afflicti, o iudicium iudicium [n] inopis, (&) [o] vindictam pauperum.
14 Profectò iusti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum vultu tuo.

13 *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu.*
14 *Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.*
15 *Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *HOC carmen à Dauide editum censet* Kimhi *aduersùs Doëg, & Ziphæos, qui ipsum apud Saulem calumniabantur. Historia Doëg & Ziphæorum legenda* 1. *Sam.* 22. *&* 23. *Tres habet partes hoc carmen. In priori, quæ versus octo continet, precatur Dauid pro sua salute. In secunda, quæ versus duos continet, hostibus imprecatur. In tertia & postrema certam fiduciam concipit de futuro hostium exitio, déque sua salute.*

2 *Eripe me, Domine,* &c. Summa propositionis est in hoc versu, quæ postea latiùs explicatur. *Ab homine malo: à viro iniquo,* ad verb. *violentiarum.* Hæc debere sumi collectiuè docent sequentes versus duo, vbi verba num. plur.

3 *Qui cogitant mala* &c. Sensus, Qui nihil non meditantur in meam perniciem, & quotidie coeunt aduersùm me in prælia.

4 *Acuunt linguas suas sicut serpentes,* dum mordere volunt. *Venenum aspidum* &c. id est, verba quæ in illorum labijs nascuntur, nocentiora sunt veneno aspidis.

5 *Custodi me, Domine,* &c. Repetitur propositio. *Cogitauerunt* ac cogitant *supplantare* seu *impellere gressus* seu *pedes meos*, hoc est, vnum hoc moliuntur vt me præcipitem dent in terram, ac coniiciant in manum & potestatem Saulis.

6 *Absconderunt superbi* &c. Ziphæos intelligit, qui dixerant Sauli, *nostrum autem erit vt tradamus eum in manus Regis.* 1. Sam. 23. 20. Ijs autem Saul, *& considerate locum, vbi sit pes eius, (vel) quis viderit eum ibi.* Ibidem, versu 22. Aliter distingui posset hic versiculus, hunc in modum, *Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes; extenderunt rete; iuxta iter tendiculas posuerunt mihi.* Verùm non est res magni momenti, & eòdem redit sententia.

7 *Dixi Domino,* &c. Quum audiui illos mihi insidiari, putaui non esse mearum virium me illis opponere, aut illorum vim atque impetum effugere, nisi tu, qui solus es Deus meus, succurreres: confugi igitur ad te. *Deus meus* fortis ac potens. Nam in Hebræo est אֵל *el,* quod Deum vt potentem significat, vt sæpe aliàs obseruatū. *Exau-*

A *di,* in Fonte *ausculta vocem* &c. Repetitur tertiò propositio.

8 *Operuisti caput meum* &c. Sensus, fuisti antea instar galeæ meo capiti, quando mihi cum impio Goliath fuit decertandum.

9 *Ne tradas, Domine, desideria peccatoris,* hoc est, Ne permitte vt hostes mei votorum fiant compotes, si incidero in illorum manus. Eódem pertinet id quod sequitur, *cogitationē eius ne perficias. (Ne fortè) exaltentur.* In Fonte *exaltabuntur* absque par-
B ticula deprecandi, quam tamen Ezra vult accersi ex mox præcedente membro. Verùm etsi legas *exaltabuntur* absque illa particula, idem erit sensus: Impedi consilia istorum sceleratorum: id enim nisi feceris, ipsi superbiores efficientur. Porrò vocem *peccatoris* sumendam esse collectiuè ostendit hoc verbum plur. num. etsi Chald. & Kimhi ad Doëg restringunt. Græc. & Lat. aliter legerunt hunc versum, quàm Hebræi. Nam vbi hi מַאֲוַיֵּי *maauaiie,* id est, *de-*
C *sideria,* legerunt illi מֵאַוָּיַי *meauaij,* id est, *à desiderio meo,* videntur legisse: iudicarunt enim מ esse præpositionem, cùm sit heemantica, & postremam iod esse affixum, cùm sit index regiminis pluralis. Deinde vbi Hebræi זְמָמוֹ *zemamo,* id est, *cogitationem eius,* Græc. & Lat. legerunt זָמְמוּ *zamemu,* id est, *cogitauerunt.*

10 *Venenum circundantium me,* &c. Si hîc ראש *rosch, venenum* seu *fel* exponis, vt Ierem. 8. 14. non *caput* cum alijs, facilis tibi erit sensus, Venenum illud, quo me inficere conantur, qui me vndique obsident, *labor* scilicet seu *molestia labiorum ipsorum,* hoc est, labor ac molestia, quam mihi vi-

rulentis suis linguis creant, *operiat eos*, id est, recidat in ipsorum caput, eósque obruat. D. Hier. prædictã vocẽ *amaritudinẽ* interpretatus est. Prædictus sensus optimè respõdebit ad versum 4. Haud ignoro plerosq; interpretum prædictã vocẽ *caput* interpretari: quorum alij hunc verborũ in hoc versu ordinem esse volunt, *Labor labiorum ipsorum operiat caput* (in accus. casu) *circundantiũ me:* ita vt pronomen *eos* abundare credant: alij, quibus assentirer potiùs, istud pronomen in dandi casu exponunt, satis facili sensu, In capita obsidentium me recidant calumniæ, & capita eis obruant.

11 *Cadant super eos carbones:* &c. His metaphoris dira hostibus supplicia imprecatur, ac certò denũtiat. Imprecationes enim sanctorũ vim vaticiniorũ obtinẽt. *Deijciat* De⁹.

12 *Vir linguosus* seu *delator ne dirigatur* seu *stabiliatur* &c. Doëg nominatim videtur

A velle notare in hoc versu: *Virũ iniustum* seu *violentum malum* &c. Ordo est, malum venetur virũ iniustũ ad impulsiones. Sẽsus, exitiũ, quod mihi parauit vir iniustus, ipsum persequatur ac veluti venetur, dum illũ aliquò det atq; impellat præcipitẽ: mala & pericula, quæ mihi creauit, ipsũ autorẽ tãdem concludãt, vt non possit emergere. *Venetur.* In Fonte præterea legitur *ipsum*, quod pro more linguæ sanctæ abundat.

B 13 *Cognoui quòd faciet Dominus* &c. Sensus, Certum habeo, fore vt Deus me afflictum, & quotquot à meis partibus sunt, vindicet atque vlciscatur. Per *inopem*, seipsum, per *pauperes*, suos intelligit.

14 *Profectò iusti confitebuntur* &c. quũ eos vindicaueris, & in sceleratos illos animaduerteris. *Habitabunt recti cum vultu tuo* semper ad quærendum te, & cognoscendas vias tuas. Sic ad hoc Kimhi.

PSALMVS

CXL. CXLI.

VERSIO

VETVS.



SALMVS *Dauid.* *Domine clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ, cùm clamauero ad te.*

2 *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

3 *Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circunstantiæ labijs meis.*

4 *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

5 *Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.*

6 *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

7 *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.*

NOVA.



SALMVS Dauid. Domine clamaui ad te, festina ad me: attende voci meæ, dum clamo ad te.

2 Dirigatur oratio mea (sicut) incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum (sicut) sacrificium vespertinum.

3 Pone, Domine, custodiã ori meo: serua ad ostium labiorum meorum.

4 Ne inclines cor meum in [a] verbum malum, ad operandum in impietate cum hominibus operantibus iniquitatem: & ne comedam ex delicijs eorum.

[a] rem malam.

5 Contũdat me iustus, (erit) misericordia, & increpet me, (erit) oleum præcipuũ; non franget caput meum: quoniam adhuc (ego,) & oratio mea (erit) in mala eorum.

6 Demiserunt se per loca petrosa iudices eorum, & audierunt verba

b quid mea, [b] quoniam dulcia erant.
7 Sicut quis scindit & findit in terra,
dissipata sunt ossa nostra secus sepul-
chrum.
8 Quia ad te, Domine Deus, oculi
mei, in te speraui, ne effundas animam
meam.
c ad verb. à manibus laquei. 9 Custodi me [c] à laqueo, (quem)
tetenderunt mihi, & tendiculis ope-
rantium iniquitatem.
10 Cadant in retiacula sua peccato-
res, simul ego dum transeam.

8 *Audient verba mea quoniam potue-
runt: sicut crassitudo terræ erupta est su-
per terram.*
9 *Dissipata sunt ossa nostra secus in-
fernum: quia ad te Domine, Domine
oculi mei: in te speraui, non auferas ani-
mam meam.*
10 *Custodi me à laqueo, quem statue-
runt mihi: & à scandalis operantium
iniquitatem.*
11 *Cadent in retiaculo eius peccatores:
singulariter sum ego donec transeam.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *AD tempus exilij seu fugæ Dauidis referri debet hic Psalmus. Ad quod præcisè, dicetur ad vers. 6. In hoc carmine precatur Deum Dauid, vt sic linguam, & animum componat, ac moderetur, nihil vt quicquam per impatientiam temere effutiat, neque peccet allectus hostium, quorum ingenium, & mores describit, societate & consuetudine. In fine petit se seruari & defendi ab hostium insidiis, quos optat suis ipsorum artibus perire, se saluo & incolumi.*

1 *Domine clamaui ad te* &c. Hic & sequens versus continent exordium, quo petit exaudiri suas preces, antequam principalem propositionem ponat, quæ est in tertio & quarto versu, qua petit scilicet & linguam, & animum suum regi; illam, ne quid temere per impatientiam effutiat; hunc, ne improborum commercio, & blandimentis allectus à recto deflectat.

2 *Dirigatur* (*Statuatur*) *oratio mea* &c. Sensus, Sint tibi acceptæ preces meæ non secus atque incensum. De incenso, quod quotidie manè & vesperi fiebat in altari thymiamatis, vide Exo. 30. *Eleuatio manuum mearum*, id est, supplicatio per metonymiam, à gestu externo, (*sicut*) *sacrificium vespertinum*, repete *dirigatur in conspectu tuo.* Kimhi obseruat sacrificio vespertino includi & matutinum: ac fieri posse vt vespere conscripserit hoc carmen Dauid. Intelligit porrò de sacrificio vespertino, de quo agitur cap. 29. Exo. sub finem.

3 *Pone, Domine*, &c. Sensus, Cohibe ac veluti fræno coërce os meum, ne quid victus malis per impatientiam effutiam, quod minimè sit rectum. *Serua ad ostium* &c. Vide quàm familiariter sancti cum Deo agant. Precatur Deum Dauid, vt ad ianuam suorum labiorum custodias agat, ne quod verbũ scilicet è corde temere exeat. Optimè *ostium labiorum* ait, quòd hæc veluti ianua sint, per quam exeant cordis cogitationes: vel quòd, vt ait Kimhi, recludantur & claudantur, vt ianua: quæ res, inquit, nos

A monere debet, vt labia quasi ianuam habeamus, nec illa nisi ad necessitatem aperiamus vnquam.

4 *Ne inclines cor meum* &c. Sensus, Noli permittere vt cor meum ad res malas feratur, ac scelera perpetret, allectum sceleratorum hominum consuetudine, qui me tanto studio in suam societatem pellicere conantur. Huc enim pertinet *cum hominibus* seu *viris operantibus iniquitatẽ*, per quos hostes intelligit: necnon, *& ne comedam ex delicijs eorum:* quorum verborum sensus est, neque sinas vt quicquam illorum mensas

B participem, atque adeo communi conuictu, vt fit, corrumpat. *Verbum malum*, hoc est, rem malam. *Verbum* pro re ex consuetudine Scripturæ. *Delicijs* quum ait, perstringit luxum aulicorum Saulis.

5 *Contundat me iustus*, &c. Non parum obscurus est hic versus. Idcirco variè explicatur. Sic ferè à Kimhi: Illorum deliciæ, & blanditiæ mihi non placent: sed econtrà *contundat* seu *percutiat me iustus*, (*erit*) *misericordia*, hoc est, erit mihi beneficij loco; *& increpet me*, (*erit*) *oleum præci-*

C *puum*, hoc est, valde erit mihi gratum; *non franget*, id est, non lædet *caput meum* ista contusio; quia mihi erit loco olei primarij, quo inungitur plaga. *Quoniam adhuc* sup. *ego*, hoc est, quoad ero, *& oratio mea* (*erit*) *in mala eorum*, vt me scilicet ab illorum malis operibus Deus integrum seruet. Qui igitur mihi placebunt illorum deliciæ? Sic ferè ille, qui vt probet illam loquutio-
nem

nem ראשׁ שמן *schemen rosch*, id est, *oleũ præstans* seu *præcipuum*, ad verb. *oleum caput*, seu *capitale*, citat illud Ex. 30.23 *Tu autem sume tibi aromata* ראשׁ *rosch*, id est, *caput*, hoc est, quæ sunt caput, id est, primæ notæ. Idem Kimhi obseruat parentem suum diuidere hunc versum, & exponere, *oleum præcipuum ne frangat caput meum*, de sceleratis, hoc sensu: Plaga iusti, eiúsque correctio bona mihi est, & misericordiæ seu beneficij loco: at verò si impius oleo pręcipuo me inúgat, clamabo ac dicam, *ne frangat caput meum*. Ad hanc expositionem conueniet illud B Vulgatæ Vers. Prou. 27.6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*. Moses Sacerdos, quem vocant, aliter accipit hunc versum, nimirum hoc sensu, Nolo cum impijs vesci: sed si percutiat me impius aliquis, corrigendo in eo quod iustum est, misericordiæ loco sum habiturus, ac si increpet me, istud habebo pro oleo præcipuo. In huius sententia vertendum erit, *Percutiat me in iusto* seu *iustè re*.

In mala eorum. Græc. & Lat. *in beneplacitis eorum*. Acceperunt enim רעותיהם *raothehem*, in significatione thematis Chaldæi רעא *rea*, quod est velle, & delectari re aliqua, & idem quod Hebræis רצה *ratsa*. Sic Eccl. 4.17. רע *ra*, à plerisque, vt ibi obseruat Ezra, exponitur pro *beneplacito* seu *voluntate*.

6 *Demiserunt se per loca petrosa*, id est, rupes, vt me persequerentur, principes & *iudices eorum*, *& audierunt verba mea* illa, *Ab impijs egreditur impietas*: aliáque quæ habentur 1. Sam. 24. Sic Ezra, *Per loca petrosa*. Respondet hoc ad illud cit. cap. Sam. D *Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius, super abruptissimas petras*, &c. *Quoniam* vel *quòd dulcia erant*: illa verba scilicet mansuetudinis plena, quæ ad Saulem è spelunca, in quam exonerandi ventris caussa secesserat, egressum habuit Dauid, & quæ legere est Sam. cap. mox cit. quando illi respondit Saul, *Iustior tu (es) quàm ego*: &c. Vide illic. Summa huius versus est, Hostium meorum duces ac principes, quum me per abruptissimas rupes quærerent, audierunt verba humanitatis plena, quæ habui ad Saulem, nec tamen desinunt me nunc persequi. Videtur enim hoc carmen conscriptum à Dauide, quum à Ziphæis proditus esset Sauli. Quã historiam lege 1. Sam. 26. Alij aliter explicant hunc versum. Qui vertunt *Demittantur*, seu *Deijciantur*, mihi videntur hallucinati, cùm in Fonte sit נשמטו *nischmetu*, præt. temp. cuius temporis quidem vsus est pro fut. sed nunquam pro imperat. quòd sciam.

Malè Ezram intellexerunt Pagninus & Mercerus in Thes. ad radicem שמט.

A 7 *Sicut quis scindit*, &c. Sensus, Vt cùm quis scindit ligna, huc & illuc frusta dissiliunt, ita *dispersa sunt ossa nostra secus sepulcrum*: quasi diceret, non procul absumus à morte. Atque hoc dicitur hyperbolicos, ad ingentem denotãdum metum ac pauorem, quo ita concutitur totum corpus, vt videantur ossa à se inuicem disrumpenda. Sic Ps. 22.15. *& separata sunt omnia ossa mea*. Kimhi.

8 *Quia ad te, Domine*, &c. Redit ad propositionem. *Ne effundas animam meam*. Aptè vsurpat verbum *effundendi*, quòd anima, inquit Kimhi, quum exit è corpore, videatur quodammodo effundi, vt quæ, inquit Ezra, corpus impleat.

9 *Custodi me à laqueo*, &c. Petit seruari ab hostium insidijs.

10 *Cadant in retiacula sua peccatores*, &c. Sensus, Suis ipsorum dolis & insidijs capiantur hostes mei, interim dum mihi illæso transire liceat. *Sua*, id est, quæ quisque illorum mihi struit. Nam in Fonte pronomen est sing. num. verbum autem C plur. atque idcirco ex Regula aliàs explicata pronomen distributiuè est exponendum, quasi diceret, Alter alterius capiatur dolis. Hoc sensu accipiunt Rasi, Ezra, Kimhi: quanquam ex Kimhi pronomen singulare est referendum ad Saulem, hoc sensu, Tam Saul, quàm qui illi adhærent, *cadant in retia sua*, ad verb. *eius*, nimirum Saulis, hoc est, vnà cum Saule pereant, & quidem artibus ijs, quibus me appetit Saul. *Simul ego dum transeam*. Kimhi dicit hic esse transpositionem, pro, dum transeam ego, nec capiar illorum reti. Idem Kimhi obseruat posse exponi absque transpositione, si modò עד *adh*, pro, *semper* accipiatur, hoc sensu, Ipsi cadent in retia sua: ego autem transibo securus, nec vnquam illis tenebor irretitus. In priore membro alij vertunt *Cadent* seu *Cadant in retia eius*, referuntq; pronomen *eius* ad Deum, ita vt sit relatiuum absque antecedente, quod aliàs est in vsu, quando ex contextu & loci circunstantijs sermonem esse de Deo palàm est. Hunc itaque volunt E esse sensum, Illi mihi nunc insidiantur: verùm eos tandem Deus suo reti concludet, donec ego ex illorum insidijs saluus & illæsus euadam. Opponit sic nimirum retia Dei retibus hostium, & suam fidem confirmat. Particulam *simul* alij, ex Hebræis etiam, quorum est R. Moses, ad prius membrum trahunt, quasi eã designetur magna hostium multitudo: alij, quorum Ezra, Kimhi, D. Hieron. ad posterius: ac certè hoc postulant accentus. *Simul dum*, hoc est, interim dum.

 Et

PSALMVS

CXLII. CXLI.

VERSIO

Nova.



DIDACTICON Dauid, quum eſſet in ſpelunca, oratio.

2 Voce mea ad Dominum clamabo: voce mea ad Dominum deprecabor.
3 Effundam in conſpectu eius orationem meam: tribulationem meam ante ipſum annuntiabo:
4 In deficiendo in me ſpiritum meum; & tu cognouiſti ſemitam meam: in via qua ambulo, abſconderunt laqueum mihi.
5 Conſidero ad dexteram, & video, & non eſt qui cognoſcat me: perijt fuga à me; non eſt qui requirat
a de anima mea. [a] animam meam.
6 Clamaui ad te, Domine, dixi, Tu (es) ſpes mea, portio mea in terra viuentium.
b clamorem meum, 7 Intende ad [b] deprecationem
c attenuatus meam, quia [c] humiliatus ſum [d] ni-
d valde: mis: libera me à perſequentibus
e fortiores ſunt me. me, quia [e] confortati ſunt ſuper me.
8 Educ de carcere animam meam,
f vel in me coronabunt ſe ad confitendum nomini tuo: [f] me cingent iuſti, quum retribueris mihi.

Vetvs.



INTELLECTVS *Dauid, cùm eſſet in ſpelunca, oratio.*

2 *Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.*
3 *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.*
4 *In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas.*
5 *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.*
6 *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me.*
8 *Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.*
6 *Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.*
10 *Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.*
11 *Libera me à perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.*
12 *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *CONTINET hic Psalmus ardentem precationem, quâ petit Dauid liberari ex præsentissimo periculo, tantũmodò, vt Deũ celebrare posſit, eíque publicè gratias agere. Sic enim clauditur hoc carmen*, Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo: *&c. Fuit quippe semper animo Dauidis altiùs infixa ista sententia*, Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. *Ps. 50. 15. Titulus porrò tempus notat, quando à Dauide est editus hic Psalmus, nimirum, vel quum in deserto En-gaddi vndique ab exercitu Saulis conclusus in speluncam se vnà cum suis comitibus abdidiſſet: quæ historia legẽda 1. Sam. 24. vel quum ex Achis Regis Geth manibus elapsus in speluncam Odollam se recepiſſet: quæ historia describitur 1. Sam. 22. Ad illam historiam referunt titulum huius Psalmi Rasi,* Kimhi, *& alij Hebræorum, & ex Latinis multi: ad hanc Card. Bellarminus: nam, inquit, quod alij dicunt de spelunca Engaddi, non est probabile: quia in ista spelunca Saul potiùs in periculo vitæ fuit, quàm Dauid. Sed non conuincit hæc ratio. Fuit enim etiam in spelunca Engaddi in summo discrimine ipse Dauid, actúmque tunc de illo erat, si quo pacto deprehensus fuiſſet. Parum refert ad intelligendum Psalmum, ad hanc an ad illam historiam referas. Et vtut se habet res, præbet hic Psalmus insigne Dauidis constantiæ exemplum, qui ad extrema redactus, omnibúsque humanis subsidijs destitutus non despondit animum, sed in Deum certa spe ac fide semper recubuit. Ac si referatur quidem Psalmus ad speluncam Engaddi, illud verò supra omnem admirationem, Dauidem, cùm Saulem hostem infestiſſimum illic haberet in potestate, iamque defungi omnibus periculis poſſet, si oblata occasione vti voluiſſet, tamen abstinuiſſe Regis exitio, licet à suis incitatum, tantúmque laciniam regij pallij abscidiſſe. Præclarum profectò moderationis, & pietatis erga Reges exemplum. Cæterùm licet conuincat titulus hunc Psalmum à Dauide eſſe editum in spelunca, tamen non est dubium quin altiore sensũ ad Christum transferri debeat, cùm, vt inquit Card. Bellarm. oraret in horto, vel in cruce, desertus ab omnibus, & in mortis præsentiſſimæ periculo constitutus. Tenendum cum D. Hilario Dauidem quidem in spelunca loqui, sed prophetare in Christo. Nos tamen propheticum hoc argumentum à Patribus & alijs iam copiosè pertractatum minimè persequemur.*

1 *Didacticon.* Vide ad tit. Ps. 32.

2 *Voce mea ad Dominũ* &c. Dauid, quum abditus in speluncã audiret Saulis exercitũ appropinquare, sic apud se, Quò cõfugiam non habeo, nisi ad Dominum. Nam quòd voce se ait clamaſſe, intellige de animi seu cordis clamore & voce, non autem oris: hac enim se prodidiſſet. Bene hîc D. Hilarius, *Omnis fidelis viri etiam tacita & spiritalis expectatio Deo clamor est.*

3 *Effundam* &c. Habet emphasim verbũ *effundendi*, quasi diceret, Prolixè & copiosè exponam, & veluti effundam ex corde.

Tribulationem meam ante ipsum annuntiabo. Etsi illi nota est, eam tamen annuntiabo mea precatione. Sic ad hoc Kimhi. Addo sic interdum loqui Dauidem, magis vt seipsum exoneret, quàm vt Deum doceat, quem nihil latere sciebat.

4 *In deficiendo in me spiritum meum*, id est, nunc cùm deficio præ periculi magnitudine. *Et tu cognouisti semitam meam*, hoc est, ac tu certè nosti qua in via sim, quo in loco sint res meæ, quibus in periculis verser: vel, vt explicat Rasi, *tu nosti semitam meam*, id est, quot in ea sint laquei. Eódem spectat sequens membrum, *in via (qua) ambulo, absconderunt laqueum mihi*, id est, vndique mihi hostes insidias struunt, explorantes omnia

A mea itinera. Congruit hoc ad illud 1. Sam. 24. 2. *Qúmque reuersus eſſet Saul, postquam persequutus est Philistæos, nuntiauerunt ei, dicentes, Ecce Dauid in deserto (est) En-gaddi.*

Tu cognouisti. Hoc quum ait, videtur corrigere id quod mox dixerat, *tribulationem meam ante ipsum annuntiabo.*

5 *Considero ad dexteram, & video,* &c. Sensus, Circumspicio vndique huc & illuc: sed qui me agnoscat, video neminem: nullum vsquam patet effugium, & in quamcumque partem me verto, ipsum Saulem

B offendo: nemo porrò est qui de mea salute & vita sit sollicitus. Proinde *clamaui ad te*, &c. vt est in sequente versu. Habebat quidem Dauid socios exilij, sed hi nihil opis adferre poterant, & in eadem, vt dicitur, erant naui. Poſſet videri Dauid hoc in loco præter officium viri iusti facere, quum affirmat se huc & illuc circunspicere, oculósque vndique circunferre ad humana subsi-

C dia. Si id faceret Dauid, prætérito Deo, peccaret vehementer quidem: sed non peccauit, qui solùm quantùm liceret, & fas eſſet, confugeret ad illa subsidia, ijs vsurus, quasi oblatis à Deo, si aliqua se obtuliſſent.

Considero & video. Hebraicè הַבֵּט וּרְאֵה *habbet vre*, quæ Kimhi affirmat eſſe infin. modi, non imper. Idem censet & Ezra.

Igitur ad verbum eſt, *Conſiderare ad dexteram, & videre*, quaſi diceret, Nō ceſſo huc & illuc circūſpicere. Chald. interpretatus eſt, *Conſideraui ad dexteram, & vidi.* Poteſt verti *Conſidera*, necnon *vide*, ô Deus ſcilicet. Nam quidni illa verba ſint imper. modi? *Ad dexteram.* *Ad dexteram* quum ait, intelligit & ſiniſtram: vna enim alteram includit. Mos eſt Scripturæ, vt ea omittantur, quæ nullo negotio ex prędictis intelligi poſſunt. Hæc obſeruatio eſt ipſius Kimhi, & aliorum. *Perijt fuga* ſeu *effugium à me*, hoc eſt, omnis ſpes euadendi mihi erepta eſt: B quò fugiam non habeo: omnia quippe militibus obſeſſa video: & quocumque me confero, eò me ſtatim Saul inſequitur. Similis loquutio Ierem. 25. 35. *Et peribit fuga à paſtoribus*, &c. Amos 2. 14. *Et peribit fuga à veloce.* *Non eſt qui requirat animā meam*, hoc eſt, me curet, de me ſit ſollicitus. Ad verbum legitur, *non eſt qui quærat*, ſeu, *non (eſt) quærens animæ meæ*, in dandi caſu, vbi mihi videor ſupplere poſſe טוב *tou*, id eſt, *bonum*, ex Eſter 10. 3. vbi integra eſt hæc C locutio, *quærens bonum populo ſuo*, pro, ſtudens commodis populi ſui. Magis tamen erit in promptu ad verbum vertere, *non eſt qui quærat de anima mea*, ל pro *de*, vt aliàs ſæpe: quo modo 2. Sam. 11. 3. *& quæſiuit* לָאִשָּׁה *laiſchſcha*, hoc eſt, *de muliere illa*, in Vulg. *& requiſiuit quæ eſſet mulier.* Et Ierem. 30. 17. *non (eſt) requirens* לָהּ *lah*, id eſt, *de ea:* vbi Græcus ζητῶν οὐκ ἔστιν αὐτήν; Lat. *non habebat requirentem*, Sion videlicet. Iſtis in locis idem verbum hebraicè, quod hîc. Similis eſt porrò locutio, quæ hîc occurrit, ver- D naculæ iſti *perſonne ne s'enquiert de moy.* Ergo hoc loquendi genus prorſus eſt diuerſum ab illo *quærere animam alicuius*, pro, inſidiari vitæ alicuius, vbi verbum בִּקֵּשׁ *bikkeſch*, quod ibi in malam partem ſumitur, & cum accuſandi caſu conſtruitur, cùm hîc ſit דָּרַשׁ *daraſch*, quod in malam; aliámque obtinet ſyntaxin, vt dictum. Cæterum non querebatur Dauid de ſocijs exilij, quos tum haud paucos habebat, ſed de alijs, qui potuiſſent ei aliquid auxilij adferre. Nam qui in eodem verſabantur periculo, nihil aut parum illum poterant iuuare, &, quod in illis erat, dubio procul iuuabant.

6 *Clamaui ad te, Domine*, &c. Sic connecte cum præcedēte: Cùm humanæ opis nihil ſe offerat, *clamaui* & clamo *ad te* ſolum, ac *dixi*, *Tu vnus (es) ſpes mea*, &c. quaſi diceret, Reſtat igitur vt à te vno opem im- A plorem, qui ſolus in terris ſpes mea es, & vnicum aſylum, ad quod poſſum confugere. Quum *portio mea* ait, ſignificare vult ſe nihil prorſus habere in terris, quo niti poſſit aut adiuuari, præter Dei amorem ac beneuolentiam, quam multò pluris faciat, quàm quorumcumque amicorum, quos tamen nullos habeat, præter exilij & calamitatis ſocios, ita vt ſolus ille ſuperſit, qui opum & amicorum vicem ſupplere poſſit. *In terra viuentium*, id eſt, in hac vita: quaſi diceret, in hac etiam vita, vbi frequenter alioquin humanis ſubſidijs, præſertim ſi caro B conſulatur, opus eſt. Quid ſignificet *terra viuentium*, dictum iam copioſè ſatis ad verſ. 13. Pſ. 27.

7 *Quia humiliatus*, prop. *attenuatus ſum:* &c. In hoc verſu commiſerationis excitandæ gratia ſuas miſerias, & hoſtium vires proponit.

8 *Educ de carcere*, hoc eſt ex Ezra & Kimhi, è ſpelunca hac, &c. Acciperem hoc latiùs, pro, Educ me ex hoc exilio, quod mi- C hi eſt inſtar carceris, & reſtitue libertati. *Ad confitendum nomini tuo.* Quaſi diceret, non aliā ob cauſsā peto in libertatē reſtitui, quàm vt te palàm queam laudare, ac tibi gratias agere de ſalute accepta, quò omnes ad gloriam tui nominis celebrandam inuitentur; quò pertinet *me cingent* inſtar coronæ, (verbum enim יַכְתִּרוּ *iachtiru*, hoc importat) *iuſti, quum retribueris mihi:* quorum verborum ſenſus eſt, quum mihi beneficium, quod rogo, dederis, tùm omnes religioſi homines ad me confluent, ſeque mi- D hi tuarum laudū præcones adiungent. Obſeruatum aliàs verbum גָּמַל *gamal*, quod exprimi ſolet verbo *retribuendi*, ſignificare interdum priorem cōferre beneficium. Potes accipere hîc in ſtricta ſignificatione, quaſi dicat, quū tu me pro tua iuſtitia, & mea innocentia ſeruaris, ac in libertatē reſtitueris. Græcus vertit ἕως οὗ ἀνταποδῷς μοι. De prædicto verbo vide, ſi vis, ad verſ. 6. Pſ. 13. Ex Kimhi vertendum, *in me coronabunt ſe iuſti*, &c. hoc ſenſu, quum mihi rependeris, méque liberaueris, gloriabuntur mea cauſſa iuſti, E faciéntque me coronam ſuo capiti, ac dicent, Nonne Dauid ſeruatus eſt, quoniam in vno Deo ſpē poſuit? Sic ferme ille. Græcus & Lat. יַכְתִּרוּ *iachtiru* verterunt, ille ὑπομενοῦσι, hic *expectant*, ex ſignificatione verbi כַּתַּר *cattar*, Iob. 36. 2. Senſus haud eſt incommodus, iuſti meam liberationem ſollicitè expectant.

PSALMVS

CXLII. CXLIII.

VERSIO

VETVS.

PSALMVS *Dauid, quando perſequebatur eum Abſalom filius eius.*

Domine exaudi orationem meam : auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua : exaudi me in tua iuſtitia.

2 *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo : quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

3 *Quia perſequutus eſt inimicus animam meam : humiliauit in terra vitam meam.*

4 *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi : & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.*

5 *Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis : in factis manuum tuarum meditabar.*

6 *Expandi manus meas ad te : anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

7 *Velociter exaudi me Domine : defecit ſpiritus meus.*

8 *Non auertas faciem tuam à me : & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.*

9 *Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam : quia in te ſperaui.*

10 *Notam fac mihi viam, in qua ambulem : quia ad te leuaui animam meam.*

11 *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

12 *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam :*

NOVA.


SALMVS Dauid.

Domine, audi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam: in veritate tua exaudi me, in tua iuſtitia.

2 Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

3 Quia perſequutus eſt inimicus animam meam, attriuit in terram vitam meam: collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi.

4 Et [a] anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: [b] in me turbatum eſt cor meum. a defecit b in medio mei

5 Memor fui dierum antiquorum; meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum commentatus ſum.

6 Expandi manus meas ad te: anima mea, ſicut terra [c] ſine aqua, tibi. c ſitibunda,

7 Velociter exaudi me, Domine, defecit ſpiritus meus: ne abſcondas faciem tuam à me, quia ſimilis factus ſum deſcendentibus in ſepulchrum.

8 Audire fac me manè miſericordiam tuam, quia in te ſperaui: notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

9 Eripe me de inimicis meis, Domine: [d] ad te confugi. d vel apud te abſcondi.

10 Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus (es) tu: ſpiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.

11 Propter nomen tuum, Domine, viuificabis me: in [e] æquitate tua educes de [f] tribulatione animam meam.
12 Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos, & perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus (ſum.)

e *iuſtitia*
f *anguſtia*

propter nomen tuum Domine viuificabis me, in æquitate tua.
13 *Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.*
14 *Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego ſeruus tuus ſum.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. HIC *Pſalmus vel eſt eiuſdem argumenti, ac præcedens, quod putat* Kimhi: *vel; ſi vera eſt inſcriptio Græca & Latina, in ſeditione & bello Abſalomi conſcriptus eſt. Ego nihil affirmo. Inſcriptio Græca & Latina hæc eſt*, Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum Abſalom filius eius. *Nihil eſt autem hic Pſalmus aliud, quàm precatio, quâ, expoſita hoſtium crudelitate, & ſua imbecillitate, petit ab hoſtibus citò liberari, non ſua cauſſa, ſed quò magis Dei nomen celebretur.*

1 *Domine, audi* &c. Orditur à propoſitione. *In veritate tua*, hoc eſt, pro tua fide, quæ nuſquam fallere poteſt. *In tua iuſtitia*, qui iuſtus es & æquus, & vides iuſtam eſſe meam cauſſam, hoſtium autem iniuſtam. Ezra vult *in iuſtitia tua*, hoc ſignificare, ita vt conſpiciatur tua iuſtitia. Simile eſſe obſeruat illud Pſ. 118. 5. *exaudiuit me in latitudine*, hoc eſt, ita vt poſitus fuerim in amplo & lato loco, *Dominus.*

2 *Et non intres (ne venias) in iudicium* &c. Senſus, Nunc quum in extremis malis, & periculis verſor, noli, quæſo, ſummo iure mecum agere. Si deliqui aut peccaui, ne, quæſo, de me ſeruo tuo hoc tempore pœnas ſumito. Nec verò tantùm, quia nunc in ſumma miſeria ſum, ſed etiam *quia non iuſtificabitur (iuſtificabit ſe) in conſpectu tuo omnis viuens*, ſi omnium eius operum vis habere rationem: quantò minùs ego? Sic ex Ezra & Kimhi.

3 *Quia perſequutus eſt*, ac etiamnum perſequitur *inimicus* &c. Exponit iam cauſſam, cur ad Deum cõfugiat, eiúſque opem imploret. Quoniam, inquit, Saul cum ſuis me ad necem quærit, iámque proſtrauit in terram vitam meam, coëgítque me in hoc obſcurum antrum abdere, ac veluti defodere, viuúmque ire ſub terram, vt iampridem mortuis haud abſimilis videri poſſim. *In obſcuris* quum ait, intelligit latera ſeu interiorem partem ſpeluncæ, in qua vnà cum ſuis latebat. Vide 1. Sam. 24. 4. Vel ſi ad Abſalomi ſeditionem cenſes referendum Pſalmum, per *obſcura* latebras intellige, quas tum quærebat Dauid. *Sicut mortuos ſeculi*, hoc eſt, eos, qui iamdiu è vita exceſſerunt, quorum magis deſperata reſurrectio, corporis figurâ prorſus corruptâ: etſi qui hodie obijt, tam longè à vita abeſt, quàm qui ante annos mille. In his verbis eſt hyperbole, cui ſimilis extat Thren. 3. 6. *In tenebroſis.* (eadem vox in Fonte quæ hîc) *collocauit me, quaſi mortuos ſeculi.*

4 *Et anxiatus eſt* ſeu *defecit* &c. præ malis & periculis, in quibus verſor.

5 *Memor fui*, ſeu *Memor ſum dierum* &c. Senſus, Nunc in tot ac tantis malis & periculis venit mihi in mentem ſuperiorum temporum, quum patres noſtros duriter afflictos ſæpe liberaſti: atque iſta præteriti temporis recordatione languentem & debilitatum animum confirmo, ac me ipſe conſolor. *Meditatus ſum*, vel *meditor in omnibus operibus tuis.* Senſus, Equidem ad res illas admirabiles à te tunc temporis geſtas, & egregia ac ſtupenda illa facinora animum intendens, me ipſe conſolor hac ſpe, eadem te mea cauſſa facturum. Sic ex Kimhi. Paulò aliter Ezra hunc verſum interpretatur, ad hunc modum, *Memor ſum dierum antiquorum*, quibus me ſeruaſti.

6 *Expandi* ſeu *Expando manus meas* &c. Senſus, Expanſis igitur manibus nunc te oro: & *anima mea, ſicut terra ſine aqua*, ad verb. *ſiticuloſa, (eſt) tibi*, & quemadmodum terra ſitiens, & diurnis ſolibus exuſta pluuiam auidiſſimè expetit, ſic ego aſſiduis laboribus feſſus tuum auxilium.

7 *Velociter exaudi me*, &c. Senſus, Citò mihi fer opem mox mox perituro: ne meas preces auerſare: nam proximè abſum à morte, ſimiliſque ſum mortuo. *Et (pro quia) ſimilis factus ſum* &c. Græco & Lat.

& ſimilis ero &c. quaſi diceret , alioquin
actum eſt de me prorſus , & pereundum
mihi eſt,niſi me reſpicias. Verùm וְנִמְשַׁלְתִּי
venimſchálti, eſt præt. temp. propter accen-
tum in penultima , non fut. etſi Kim-
hi accepit in fut. eo ſenſu , quo mox di-
ctum.

8 *Audire fac me manè miſericordiam
tuam.* Senſus, Fac, quæſo, vt maturè beni-
gnum à te reſponſum accipiam : fac expe-
riar tuam benignitatem : fac te, vt mihi vi-
dêar tuæ miſericordiæ vocẽ audire. *Ma-
nè* cum alijs multis Interpretibus pro matu-
rè, tempeſtiuè hîc accipio. Fieri poteſt vt
manè iſtud à Dauide ſit dictum, hoc ni-
mirum ſenſu , Fac hodie manè tuam ex-
periar miſericordiam. *Notam fac mihi
viam* &c. Senſus , Oſtende quò eam ,
quóue fugiam ab ijs qui me perſequun-
tur. *Quia ad te leuaui animam meam* ,
hoc eſt , *quia in te ſperaui* , vt eſt in prio-
re membro. Similis occurrit phraſis Deut.
24. 15. *& ad illud leuat animam ſuam* , id
eſt , totam ſpem ponit in eo ſc. pretio. Ie-
C rem. 22. 27. *Et in terram ad quam ipſi le-
uant animam ſuam, vt reuertantur illuc* , id
eſt , ad quam animo eriguntur in ſpem
reuertendi illuc , ſiue ad quam ſperant ſe
reuerſuros. Vide ad verſ. 1. Pſ. 25.

9 *Ad te confugi.* Hebraicè אֵלֶיךָ כִסִּתִי
elecha chiſsithi , quod R. Marinus , teſte
Ezra , idem eſſe ait , atque בְּךָ חָסִיתִי *be-
cha chaſithi*, id eſt , *in te ſperaui* , ſeu *ad te
confugi* : quo modo hîc Græcus & Lat.
verterunt. Ex Kimhi vertendum , *ad
(apud) te abſcondi* ſeu *celaui* , (כִּסָּה *ciſſa* ,
A enim *abſcondere* ſignificat) hoc ſenſu, non
detexi cauſſam meam hominibus , quia
mendacium eſt ſalus hominis , ſed tibi vni
reuelaui , quod homines celaui : ad te
clàm clamaui. Sic ferè ille.

10 *Doce me facere* &c. Pro ſalute cor-
poris precatus eſt : nunc orat etiam pro
animæ ſalute , nimirum vt doceatur ipſe
Dei voluntatem, eámque exequatur. Ait
enim , *Doce me facere voluntatem tuam.*
Quia Deus meus (es) tu : ideóque tuam
voluntatem in omnibus ſequi debeo. *Spi-
ritus tuus bonus deducat* &c. Senſus , tuæ
B gratiæ ſpiritus efficiens omnis boni dedu-
cat me in rectum iter ſeu recto itinere:
potes enim vertere *in terram rectam* , vel
in terra recta. Ex Ezra vertendum *(in)
ſpiritu tuo deducas me* &c. Nonnulli ex
Hebræis , & teſtis eſt Ezra , hoc dicere
volunt Dauidem , quaſi in medio mari
poſitus optet proſpero vento in terram
perduci.

11 *Propter nomen tuum* , hoc eſt , non
C tam mea , quàm tui nominis cauſſa ,
quò magis celebretur. In hoc verſu ſunt fu-
tura pro imperatiuis.

12 *Quoniam ego ſeruus tuus (ſum,)* illi
verò non : ideóque tuæ eſt miſericor-
diæ illos perdere , vt me ſerues, qui tam
dira ab illis patior. Seueritas , quam in
impios Deus exercet , pijs eſt miſeri-
cordia. Nec ſuos poteſt Deus ſeruare,
niſi ſeuerum impijs ſe præbeat. Hinc il-
lud Eſa. 63. 4. *Dies enim vltionis in corde
meo , & annus redemptorum meorum* , in
Vulg. *redemptionis meæ venit.*



PSALMVS

CXLIV. CXLIII.

VERSIO

NOVA.


AVID.
Benedictus Dominus rupes mea, qui docet manus meas ad prælium, (&) digitos meos ad bellum.

a arx mea. 2 Misericordia mea, & [a] refugium meum, asylum meum, & liberator meus mihi, scutum meum, & in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me.
3 Domine, quid (est) homo, vt cognoscas eum? filius hominis, vt reputes eum?
4 Homo halitui similis est: dies eius sicut vmbra præteriens.
5 Domine, inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fument.
6 Fulgura fulgur, & dissipa eos: emitte sagittas tuas, & conturba eos.
7 Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum [b] alienorum.

b ad verb. alieni seu alienigenæ.

c loquitur

8 Quorum os [c] locutum est vanitatem, & quorum dextera, dextera mendacij.
9 Deus, canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.
10 Qui dat salutem regibus: qui redimit Dauid seruum suum de gladio maligno.
11 Eripe me, & erue me de manu filiorum [e] alienorum, quorum os [f] locutum est vanitatem: & quorum dextera, dextera mendacij.

d ad verb. alieni seu alienigenæ, e loquitur

VETVS.


PSALMVS Dauid aduersus Goliath.
Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.
2 *Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus:*
3 *Protector meus, & in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me.*
4 *Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?*
5 *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt.*
6 *Domine inclina cælos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.*
7 *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.*
8 *Emitte manum tuam de alto, eripe me: & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.*
9 *Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.*
10 *Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.*
11 *Qui das salutem regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno: eripe me.*
12 *Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis:*

13 *Quorum filij, sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua.*
14 *Filiæ eorum compositæ: circumornatæ vt similitudo templi.*
15 *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.*
16 *Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ.*
17 *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.*

18 *Beatũ dixerũt populũ, cui hæc sũt: beatus popul⁹, cuius Dominus Deus eius.*

12 Quia filij nostri sicut [f] nouellæ plantationes crescunt in iuuentute sua: filiæ nostræ sicut anguli excisi, instar [g] templi.
13 Promptuaria nostra plena, [h] redundantia ex hoc in illud: oues nostræ parientes mille, parientes decem millia in plateis nostris.
14 Boues nostri crassi; non (est) ruptura, neque abortiens: neque clamor in plateis nostris.
15 Beatus populus cui [i] hęc sũt: beatus popul⁹ cuius Dominus Deus eius.

f plantulę
g vel palatij.
h vel eductio de specie in speciem, vel de alimento in alimentum:
i ad verb. sic (est:)

COMMENTARIVS.

Argumentum.

HVNC *Psalmum* Kimhi, *& alij Hebræorum volunt à Dauide cõpositum inter initia regni, deditis vniuersis Israëlitis, iámq; Philistæis, qui in eius ditionẽ irruerant, secundo prælio repulsis, vt scribitur* 2. Sam. 5. *Huic argumento cõgruunt verba & contextus Psalmi, & latiùs patẽt, quàm vt ad duellum cum Goliat à Dauide initum restringi debeãt: quanquã scio & in Græco & in Latino exẽplari hoc haberi,* Psalmus Dauid aduersùs Goliath. *Carmẽ hoc porrò mixtũ est. Partim enim laudat Deũ Dauid, quòd sibi in bello aduersùs Philistæos adfuerit, Israëlitásq; vniuersos imperio subiecerit: ex eóq; Dei* φιλανθρωπίας *admiratur. Partim orat, nec semel quidẽ, vt externi Reges, quos tum fortè audiebat arma in se mouere, euertãtur, ab iisq; liberetur, obiter interserẽs pollicitationẽ gratitudinis.*

1 *Benedictus Dominus* &c. Prior pars Psalmi, in qua Deum celebrat Dauid, quòd sibi in bello (nimirum aduersùs Philistæos, vt mox dicetur) adfuerit, Israëlitásque omnes imperio subiecerit. *Qui docet manus meas ad prælium*, assuetas antea cithara ludere. Vim suam bellicam potissimùm in Philistæos fuerat Dauid expertus, non aduersùs Israëlitas, qui sponte se dediderãt, vt videre est 2. Sam. 5. vt necesse videatur dicere post deuictos Philistæos hoc carmẽ esse scriptũ.

2 *Misericordia mea*, id est, Benignè ac misericorditer mecum agens. *Liberator meus mihi. Mihi* obseruat Kimhi additum ad maiorem emphasim, siquidem aut *meus* aut *mihi* satis sit: aut certè Iod in מְפַלְטִי *mephalti*, esse paragogicum, non pronomen, vt in הַמַּגְבִּיהִי *hammaghbihi*, Ps. 113. 5. *Populum meum*, hoc est, vniuersos Israëlitas populares meos. Kimhi Saulem, & qui ab eius partibus stabant, intelligit. Sunt tamen ex Hebræis qui עַמִּי *ammi*, pro עַמִּים *ammim*, per eclipsin literæ ם esse volunt, & populos exponunt. Kimhi priorem interpretationem præfert: & ego, quia magis est in promptu. Est tamẽ hîc nota Massoretica ter occurrere עַמִּי *ammi*, pro עַמִּים *ammim*. D. Hieron. quoque *populos* vertit.

3 *Domine, quid (est) homo*, &c. Exclamatio ab admiratione φιλανθρωπίας Dei, quam in se expertus fuerat. *Vt cognoscas eum*, A id est, curam eius geras, & rationem habeas. Sic Ps. 31 8 *agnouisti in angustijs animam meam.* Vide illic. Oseæ 13. 5. *Ego cognoui te in deserto.* *Vt reputes eum*, id est, de eo cogites.

4 *Homo halitui similis est:* &c. Caussam suæ admirationis petit ab hominis fragilitate, qui instar halitus, & prætereũtis vmbræ citò euanescit. Veniebat dubio procul illi in mentem, quum hæc diceret, Saulis, qui nuperrimè exemplum imbecillitatis humanæ dederat. B *Halitui.* Alij communiter reddunt *vanitati.* Ego הֶבֶל *heuel*, quod *vanitatem* significat, per metonymiam accipio hoc loco pro halitu, vt Esa. 57. 13. *& omnes eos auferet ventus, tollet heuel*, id est, *halitus*, in Græco καταιγίς, in Lat. *aura.* Huc consonat illud D. Iacob. c 4. *Quæ est enim vita vestra? ἀτμὶς vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* A me faciunt Theod. qui vertit ἀτμίδι; & Symm. qui ἀτμῷ. *Sicut vmbra præteriens*, id est, quæ citò præterit, C sole se diffundente. Aut *sicut vmbra præteriens*, hoc est, auis vmbra, quæ ipsa volante præterit. Vtroque modo Kimhi. Audi hic Rasi. Salomon dixit Eccl. 7. 1. *& fecit eos tanquam vmbram*, nec quam vmbram exposuit, num esset palmæ vmbra, aut parietis, quæ aliquandiu manet fixa: iam exposuerat eius pater, *sicut vmbra præteriens*, hoc est, vmbra auis volantis.

5 *Domine, inclina cælos tuos*, &c. Altera Psalmi pars, in qua Deum orat, vt Reges, quos scilicet tunc audiebat aduersum se conspirare, prorsus euertat, séque seruet. Atque hæc est propositio. Pingit autem in hoc & sequente versu Deum, inclinatis cœlis, hoc est, nubibus, descendentem, vsque tonitruorum montes verberantem, sic vt in fumum abeant. Qua imagine repræsentare vult Deum iratum, & Reges ipsos, qui inter cæteros quasi montes sunt ob suam sublimitatem, euertentem. Simile habes Ps. 18. 10. Quum porro ait, *tange montes, & fument*, optat scilicet, vt hostes penitus excindantur, & consumantur. Kimhi obseruat per *montes* Reges figuratè significari, qui instar montium fortes sunt.

6 *Fulgura fulgur*, &c. Eodem pertinet hic versus, quò præcedens. *Fulgura fulgur*. Verbum suo nomini adiūctum in Hebraici sermonis consuetudine emphasim habet: ex. gr. Ezech. 22. 27. Ierem. 12. & alibi. *Sagittas tuas*. Per sagittas intellige fulmina, quæ sagittarum instar citò ac magna vi aërem traiiciunt.

7 *De aquis multis*. Intelligere se per *aquas multas* hostes potentissimos declarat mox, addens, *de manu filiorum alienorum*, ad verb. *alieni*, hoc est, externorum hostium.

8 *Quorum os loquutum est*, seu *loquitur vanitatem*, dum mihi superbè minitantur, sed frustra, quando mihi fers opem. Eodem pertinet posterius membrum, *& quorum dextera, dextera mendacij*, hoc est, quorum robur & virtus bellica, qua tantopere superbiunt, illis mentietur, eósque fallet.

9 *Deus, canticum nouum* &c. Abrumpit petitionem, interferens pollicitationem gratitudinis, noui scilicet carminis cùm voce, tum fidibus canendi, si ipsum, vt cœpit, pergat Deus defendere, nouóque iterum beneficio afficiat. De psalterio decachordo vide ad vers. 2. Ps. 33.

10 *Qui dat salutem* &c. Secunda persona subitò, quod non rarò fit, in Hebræa poësi præsertim, in tertiam conuertitur. Exponit autem in hoc versu, quæ potissimùm sit futura materia illius carminis, quod pollicetur, nimirum quòd Deus regum vindex sit, & assertor, ac nominatim quòd Dauidis serui sui hostium gladio alioqui perituri sit propugnator.

11 *Eripe me*, &c. Repetitur propositio. Versus hic autem ex versibus 7. & 8. compositus est.

12 *Quoniam filij nostri* &c. Sensus, Nam res nostræ alioquin bellè se habent, ac restat tantùm, vt nos asseras è manibus istorum extraneorum: benedixisti quippe fructui ventris nostri, fructui terræ nostræ, & fructui nostrorum iumentorum. Hæc tria autem eo ordine in his versibus ponuntur, quo Deut. 28. 4. scilicet in benedictionibus, *Benedictus fructus ventris tui, & fructus terra tua, fructúsque iumentorum tuorum*, &c. Ita Kimhi. *Filij nostri sicut plantulæ* &c. Ezra ad hoc sic habet, Ipsi crescunt in iuuentute sua sicut plantulæ. Kimhi sic, Quemadmodum plantulę crescunt in loco aquoso & pingui, sic filij nostri crescunt atque augentur in iuuentute sua omni copia, fide rectâ, & bonis operibus. *Filiæ nostræ sicut* &c. Sensus, pulchræ sunt, atque elegantis staturæ filiæ nostræ, veluti anguli excisi, hoc est, ex lapidibus excisis, benè politis, & sculptis, *instar palatij* aut *templi*, id est, sicuti esse solet palatium. Potes accipere cum Ezra *instar palatij*, vt sit eiusdem repetitio. *Sicut anguli*. Chald. qui interpretatus est זִיוְתָנִין *ziutanin*, id est, *splendidæ*, significationem זָוִיּוֹת *zauioth*, desumpsit ex זִיו *ziu*, quod est *splendor*. Græc. qui κεκαλλωπισμέναι, Lat. qui *compositæ* verterunt, idem videntur fecisse.

13 *Promptuaria nostra plena* omnibus rebus ad victum pertinentibus, *redundantia* (alijs *educentia*, id est, suppeditantia) *ex hoc in illud*, vel *ex specie in speciem*, hoc est, omne genus annonæ. Ezra, Kimhi, & alij Hebræorum זַן *zan*, pro *specie* exponunt ex Chaldaica lingua. Alij זַן *zan*, teste Ezra, pro *alimento* interpretantur à themate זוּן *zun*, quod est *alere*. Græcus & Lat. videri possunt legisse זוֹ *zo*, pro זַן *zan*. Chald. interpretatus est, *suppeditantia*, seu *sufficienter largientia ex anno in annum*. Hunc, vt ferè solet, sequitur & Rasi. *Parientes decem millia*. Ex Ezra vertendum *in myriadas euaserunt*, nimirum oues nostræ parientes mille. *In plateis nostris*. Sensus, ita multiplicantur vt plateas ac vicos compleant. Grǽc. & Lat. *egressus* pro plateis appellarunt.

14 *Boues nostri crassi*, heb. *onusti*, scilicet carne. Vel *onusti*, id est, fortes, pleni, & ferre potentes onus, cùm colendorum agrorum, tum trahēdorum curruum. Vtroque modo Kimhi. Ezra *onustos* explicat portantes (ducētes) plenos currus. *Non (est) ruptura*, id est, orbitas. Ac sic Kimhi, qui illum locum citat 2. Sam. 6. 8. *eo quòd rupisset Dominus rupturam in Oza*. Verùm non video qui iste locus sit ad rem. Alij, vt Ezra, explicant *non (est) ruptura* in muris ciuitatis: sed minùs accommodatè ad principium versus. *Neque (est) abortiens*. Sequor enim eos, qui hic יָצָא *iatsa*, pro *abortire* accipiunt. Vide Mercerum in Thes. Pag. ad rad. prædictam.

Kimhi exponit, *neque (est) exiens* vlla anima in captiuitatem tam ex nostris hominibus, quàm iumentis. Prior expositio magis cohæret. *Neque clamor in plateis nostris,* vt fit in penuria, sed summa vbique lætitia, vt in magna rerum omnium copia. Clamorem fletus intellige: húcque refer illud Esa. 24. 11. *Clamor (erit) super vino,* id est, propter vini penuriam, *in plateis:* &c. Potes explicare secundùm Rasi, *neque clamor in plateis nostris,* id est, vox bellici tumultus, vel secundùm Ezram & Kimhi, clamor, qualis belli tempore audiri solet, clade ab hostibus accepta.

15 *Beatus populus cui hæc sunt*, ad verb. *cui sic illi:* &c. Quò meliùs intelligatur hic ver-

A sus, tenendum est Deum non semel in Lege omnis generis bona Israëlitis, modò ne à præceptis deficerent, pollicitum esse. Ergo bonorum copia certissimum erat in isto populo diuinæ beneuolentiæ signum. Hinc fit, vt postquam Dauid istius temporis felicitatem descripsit, hoc veluti epiphone-

B mate & sermonem istum & Psalmum claudat, *Beatus populus cui sic (est:)* &c. quod perinde est ac si diceret, Beatam profectò gentem nostram, cui tot contingunt bona: beatam illam, inquam, quæ verum Deum tot bonorum autorem possidet. *Cuius Dominus* &c. id est, *cuius Deus (est)* יְהוָה *iehoua* seu *Dominus*. Alterum relatiuum hîc pro more linguæ redundat.

PSALMVS

CXLIV. CXLV.

VERSIO

VETVS.



LAVDATIO *ipsi Dauid. Exaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculũ sæculi.*

2 *Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.*

3 *Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.*

4 *Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.*

5 *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.*

6 *Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.*

7 *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exultabunt.*

8 *Miserator & misericors Dominus: patiens, & multùm misericors.*

NOVA.



LAVDATIO Dauid. Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum & perpetuum.

2 Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum & perpetuum.

3 Magnus Dominus, & laudabilis [a] nimis: & [a] magnitudinis eius non (est) finis.

4 Generatio generationi laudabit opera tua, & [a] potentiam tuam annuntiabunt.

5 Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ, & [b] mirabilia tua loquar.

6 Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabo.

7 Memoriam [c] abundantiæ suauitatis tuæ [d] eructabunt, & iustitiam tuam exaltabunt.

8 Miserator & misericors Dominus: patiens, & multùm benignus.

a *valde:* a heb. *magnitudini eius nõ (est) inuestigatio.* a heb. *fortitudines tuas*

b heb. *verba mirabilium tuorũ*

c *multitudinis bonitatis* d *effundent,*

e Bonus 9 [e] Suauis Dominus vniuersis: &
miserationes eius super omnia opera
eius.
10 Confiteantur tibi Domine om-
nia opera tua, & sancti tui benedi-
cant tibi.
11 Gloriam regni tui dicant, &
f prop. fortitudinem [f] potentiam tuam loquantur.
12 Vt notam faciant filijs hominum
g heb. fortitudines eius, [g] potentiam tuam, & gloriam ma-
h heb eius. gnificentiæ regni [h] tui.
13 Regnum tuum, regnum om-
nium seculorum, & dominatio tua
in omni generatione & generatio-
ne.
14 Fidelis Dominus in omnibus
verbis suis, & benignus in omnibus
operibus suis.
i Sustentat 15 [i] Alleuat Dominus omnes qui
corruunt, & erigit omnes incurua-
tos.
16 Oculi omnium in te sperant, &
tu das illis escam illorum in tempore
l heb. suo. [l] opportuno.
m prop. saturas 17 Aperis manum tuam, & [m] im-
ples omne animal beneplacito.
18 Iustus Dominus in omnibus
vijs suis, & benignus in omnibus
operibus suis.
n heb. Propinquus 19 [n] Prope (est) Dominus omni-
bus inuocantibus eum, omnibus in-
uocantibus eum in veritate.
20 Volūtatem timentium se facit:
& deprecationem eorum exaudit, &
saluos facit eos.
21 Custodit Dominus omnes di-
ligentes se, & omnes peccatores dis-
perdit.
o Laudem 22 [o] Laudationem Domini loque-
tur os meum: & benedicat omnis ca-
ro nomini sancto eius in seculum &
perpetuum.

9 *Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.*
10 *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.*
11 *Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.*
12 *Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.*
13 *Regnum tuum regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.*
14 *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.*
15 *Alleuat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos.*
16 *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.*
17 *Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.*
18 *Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.*
19 *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.*
20 *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos.*
21 *Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.*
22 *Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum, & in seculum seculi.*

COMMENTARIVS.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *IN hunc locum ad finem vſque libri, quaſi pro Pſalmorum* Epilogo *coniecti ſunt Pſalmi ſex aliud nihil quàm Dei laudes varijs ex argumentis petitas continentes. Qui ſequuntur quinque Pſalmi, à voce* alleluia, (*meliùs ſcriberetur* halelu-iah , *ſi originis habeatur ratio*) *quæ alibi explicata eſt* , *&* laudate Dominum *ſignificat, incipiunt, & in eandem deſinunt : hic verò initio verſus primi & poſtremi vocem habet* תְּהִלָּה tehilla, *quæ ſignificat* laudem. *Totus enim hic Pſalmus elogium Dei eſt à magnitudine & potentia infinita, immenſa maieſtate, bonitate , clementia , iuſtitia , & alijs eiuſmodi Dei attributis. Eſt alphabeticus , niſi quòd omiſſa litera nun. Cur, ignorare ſe fatetur Kimhi. Noſtrùm non eſt quærere cur deſit iſta littera, cùm in noſtris verſionibus, Græca, Lat. Arabica, Syriaca etiam, non deſideretur. Nam inter* מ *&* ס *in verſionibus iſtis legitur hic verſus*, Fidelis Dominus *&c. Vox autem, quæ Hebræis* fidelē *ſignificat, eſt* נֶאֱמָן neeman, *quæ quidem à litera* נ *incipit. Obſeruat* Kimhi, *qui hunc Pſalmū diligenter perpendet, in eo perſpecturū res admirandas Creatoris, eiúſque erga creaturas iudicia : ideóq; Rabbinos dixiſſe, Quicumq; hunc Pſalmum ter quotidie recitaret, ſecurum eſſe debere de futura vita. Quod , inquit ille , non eſt intelligendum de eo , qui ore duntaxat recitaret, ſed de eo, qui ore, corde, & lingua. Hæc tria coniungit.*

1 *Exaltabo te*, &c. Exordium & propoſitio in duobus primis verſibus. *In ſæculum & perpetuum.* Horum verborum triplicem Kimhi adfert expoſitionem. Prima eſt , *benedicam nomini tuo* , quod *in æternum & perpetuum* permanſurum eſt. Secunda , *benedicam in ſeculum* &c. hoc eſt , omnibus diebus vitæ meæ : quandiu viuam. Tertia, *Exaltabo te* in hoc mundo , *& benedicam nomini tuo* in mundo ſeu ſæculo venturo , quod æternum eſt & perpetuum. Secunda expoſitio ſimplicior eſt, atque ideo melior. Kimhi obſeruat idem eſſe *te* in hoc verſu, & *nomen tuum*, ſiquidē Deus ſit nomen ſuum ; & nomē Dei ſit Deus. Intelligi autem vult nomē Dei illud, quod ſcribitur quidem , at non legitur : quódq; nomen eſt propriū , & eſſentiale , cætera verò non , ſed adiectiua ſeu formalia , vt ipſe loquitur.

2 *Per ſingulos dies* (ad verb. *In omni die*) *benedicā tibi*, &c. Repetitio eiuſdem ſententiæ paulùm mutatis verbis: qua repetitione vehementē affectū ardénſq; ſtudiū laudādi ac celebrandi Deum exponit Dauid.

3 *Magnus Dominus*, &c. Orditur Dei laudes. *Et magnitudinis eius nō (eſt) finis.* Heb. *& magnitudini eius non (eſt) inueſtigatio.* Simile eſt Iob 5. 9. *Qui facit magna, & inſcrutabilia*, ad verb. *& non (eſt) inueſtigatio.*

4 *Generatio generationi laudabit* &c. Etiāſi longa eſſet hominis vita , nunquam tamen poſſet homo aſſequi vel minimam partem diuinarum laudum. Quantò minùs in tam breui vita ? Quid ergo homini faciendum ? Quia, vt legitur Eccl. 1. 4. *generatio præterit, & generatio aduenit* , præſentis ætatis homines, antequam prætereant, ſuccedenti ætati narrabunt, quæ ipſi oculis ſuis viderint Dei opera, vt illa quoq; celebret ea, quę non vidit, cum ijs quæ viſura eſt. Sic ferè Kimhi.

5 *Decorem gloriæ* &c. Senſus, Nō deſinam A igitur vnquā ipſe prædicare præclara & fortia tua facta. *Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ.* Tot ſynonymorum congeries valet ad amplificandum, neque eſt ſuperflua, vbi de Deo agitur , cuius immēſa & infinita gloria nunquam ſatis concipi, nedum verbis explicari poteſt. *Mirabilia tua*, ad verb. *verba* , ſeu, *res mirabilium tuorum.* Poteſt *τὸ verba* accipi, vt ſonat, vt *loqui verba* ſit habere ſermonem. Palàm eſt Græc. & Lat. Interpretem legiſſe יְדַבְּרוּ *iedhabberu*, pro וְדִבְרֵי *vedhiure*, י pro ו , & ו pro Iod.

B 6 *Et virtutem* (*fortitudinem*) *terribiliū tuorum*, hoc eſt, terrificam illā tuam potētiam, *dicēt*, ac pręedicabūt generatio generationi : atque ego magnitudinē tuam ſemper apud alios celebrabo. *Magnitudinē tuā.* Hebr. גְּדוּלּוֹתֶיךָ *ghedhullathecha*, ſcribitur per Iod plur. num. notá, cū גְּדֻלָּתְךָ *ghedhullathecha*, legatur in numer. ſing. quia, inquit Kimhi, cùm plures ſint apud recipientē , (hoc eſt, apud eos qui Dei beneficia experiuntur) omnes tamen inſtar vnius ſunt apud Deum C Opt. Max. Obſeruatio grammatica ſimul & Theologica. Nam Theologi docent apud Deum , qui actus eſt purus & ſimpliciſſimus , omnia eſſe vnum.

7 *Memoriā abundantiæ* (*multitudinis*) *ſuauitatis* ſeu *bonitatis tuæ eloquētur*, ad verb. *ſcaturire facient*, generatio generationi ſcilicet, vt antè. *Memoriam alicuius rei ſcaturire facere*, eſt cōmemorare rem aliquā, & quidē copioſè & prolixè. Nam ſingularem habet emphaſim *ſcaturiendi* vocabulum. Ex Ezra vertendum D *multæ bonitatis tuæ.* Exiſtimat enim hoc eſſe, ſicut illud *in magno brachio tuo*, pro, in brachio tuo magno: in cōſuetudine enim hebraici ſermonis ſubſtātiuū anteire debet adiectiuum. Verùm Kimhi רַב *rau*, vult eſſe ſubſtantiuum , non adiectiuum. Satis de grāmaticis, præſertim quæ nihil ad ſenſum.

A 8 *Miserator & misericors* &c. Hoc & quod est in sequēte versu dictura est scilicet generatio generationi: ideóque hîc mutatur secunda persona in tertiam: quanquam potest hoc à Dauide dictum accipi. Kimhi sic explicat hunc versum, *Miserator*, quia miseretur hominum, iisque largitur necessaria, *& misericors*, quia eorundem miseretur, iisque peccata condonat, eósq; à rebus noxijs, variisque fortunæ casibus defendit: *patiens* seu *lentus ira*, quia aliquandiu fert sceleratos, nec in eos statim animaduertit, *& multum benignus*, ad verb. *magnus misericordia* seu *benignitate*, quia magis ac magis, B & longè supra meritum, hominibus se benignum præbet. Sic ferè ille.

9 *Suauis* (*Bonus*)[*] *Dominus vniuersis.* Etiam bestijs, iumentis, & auibus bonus est, eorúmq; miseretur. Quod exemplū par est hominem imitari, neq; animantia destruere, nisi necessitatis ergò, aut ad depellendas noxas & damna quæ nobis inferunt. Sic Kimhi, qui refert hanc historiā, fuisse Rabbinū, *Sanctum* cognomine, qui famulā monuisset, ne paruas mustelas cū sordibus domus auferret, sed illas fineret in fundamen- C tis versari: quòd diceret, *& miserationes eius super omnia opera eius.* Scio, & hoc fuit Stoicorum dogma, nullū nobis esse ius cū brutis, nec vinculū societatis. Sed nō probo tamen vt in bestias quis sæuiat, nisi vtilitatis, necessitatis, securitatis, oblectationis etiam, aut alterius commodi caussâ, præsertim in eas, quarum opera vtimur, & quæ nobis aliquos vsus præstant. Nunquam dixisset alioquin hominum sapientissimus, Prou. 12. 10. *Nouit iustus iumentorum suorum animas:* hoc est, curam gerit iumentorum suorum. Optimè R. Hai in carmine quod inscripsit *Eruditionem intellectus*, cecinit,

ו֗טרם תעשה לך את מלאכתך
ואת צרכך רעה נפש בהמתך

hoc est, *Et antequam facias opus tuum, & quod tibi necessarium est, pasce animam iumenti tui.* *Et miserationes eius* &c. Repetitur pro more eadem sententia, quasi diceretur, miserationes eius non erga homines solùm, verùm etiam erga omnia opera & creaturas eius elucent. Diligit enim omnia quæ sunt, E & nihil odit eorum quæ fecit: nec enim odiens aliquid constituit aut fecit. Et quomodo posset aliquid permanere, nisi ipse vellet: aut quod ab illo vocatum non esset, conseruaretur? Sūt qui posterius hoc membrum sic interpretentur, quasi Dei misericordia omnibus alijs eius operibus superior dicatur. Sed neque hæc interpretatio priori membro admodum conuenit, neque cum Græca vers. quæ habet ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, non ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις, vel ὑπὲρ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ.

Sap. 11. in fine.

10 *Confiteantur tibi* &c. Sensus, Cùm ita res habeat, debent omnia, quæcúque sunt, etiam rationis expertia, celebrare te, hoc est, homines ipsos, quia ipsa per se non possunt, ad te celebrandum inuitare: sed præsertim hoc munus est illorum, qui te piè ac sanctè verentur & colunt. Verba in hoc & seq. vers. alij per præsens Indic. exponunt.

11 *Gloriam regni tui* &c. Sic cohæret, Tui illi sancti ac pij cultores regni tui decus, tuámque potentiam prædicent, te videlicet omnium esse regem, & quidem gloriosum & potentem: quò cæteros homines, qui te haud norunt, ipsi instruant; atque huc spectat sequens versus.

12 *Tuam, tui.* In Fonte vtrobique *eius*, per enallagen personæ familiarem poësi hebraicæ præsertim. Sed ea à Græco & Lat. optimè est correcta, quos & nos sequuti sumus, ne tam subita enallage latinas aures fortè offenderet.

13 *Regnum tuum, regnum* &c. Non solùm, inquit Dauid, illustre est & viribus insigne regnum tuum, sed hoc habet præterea, quòd cùm hominū regna morte ipsa finiantur saltem, tuum æternum duret.

14 *Fidelis Dominus* &c. Etsi hic versus deest in Hebræo & Chaldæo, non dubitaui tamen meæ versioni inserere. Namque mihi prorsus verisimile fit ex Hebræo textu aliquo casu excidisse, aut ab Hebræis de industria sublatum. Literarum enim ordo postulat, vt hîc sit versus qui incipiat à littera נ. Is, quatenus licet ex versionibus Græca, Latina, Arabica, Syriaca etiam, conjecturam facere, sic habuit, D
נֶאֱמָן יְהוָה בְּכָל־דְּבָרָיו וְחָסִיד בְּכָל־מַעֲשָׂיו׃
Huius sentētia plana est, Deū fideliter præstare quod promisit, imò facere benignè, & supra quàm promisit, hoc enim significat, *& benignus in omnibus operibus suis.* *Benignus* verti, vbi Græcè ὅσιος, Latinè *sanctus*, quia versu 18. vbi etiam legitur hoc posterius membrum, est חָסִיד *chasidh*, quæ vox *benignum* sonat.

15 *Alleuat*, prop. *Sustentat Dominus omnes qui corruunt*, seu *omnes cadentes*, &c. Sensus, Omnes eos, qui iam ruunt ac labant, sustinet, ne cadant: eos autem qui iam ceciderunt, erigit. Vult significare autem hac metaphora Deum rebus aduersis afflictos erigere, & laborantibus succurrere, quando expedire nouit.

16 *Oculi omnium* &c. Expositus est hic versus iam ad vers. 27. Ps. 104.

17 *Aperis manum tuam*, &c. Simile est Ps. mox cit. vers. 28. *Imples* (emphaticè) *omne animal beneplacito*, seu, *voluntate*, hoc est, vnumquodq; iuxta eius voluntatē ac desiderium, & prout fert cuiusq; natura, quam

ille optimè nouit, qui vniuersæ rerum naturæ autor est. Vide ad vers. 27. Psal. 104. Ezra hoc explicat, quantùm satis est. Verùm Kimhi priore modo. Concinna est in hoc versu imago, quâ pingitur Deus quasi paterfamilias vniuersis animantium generibus largiter cibum distribuens, ac veluti de manu præbens.

18 *Iustus Dominus* &c. Plana est sententia, Deus, quicquid agit in gubernando hoc mundo, iustum se probat: in omnibus, & erga omnes iustum se ostendit, imò & benignum, dum plus concedit, quàm pollicitus sit aut debeat; B atque hoc significatur posteriore membro. Kimhi restringit hunc versum, accōmodátque ad præcedentem, (minùs aptè quidem, nam latiùs patet haud dubiè,) quasi Deus dicatur iustus, quòd ex iusto & æquo suum singulis animantibus tribuat cibum. Etsi enim, inquit, quædam animalia sunt, quæ ex rapto viuant, & aliarum animantium carnibus vescantur, ex gr. feles, leones, vrsi, pardi & aliæ; ac sic auium quædam sint rapaces: nihilominus istud omne iustitia est à Deo. Paucis interiectis pergit, Atque hæc magna controuersia est inter Sapientes: quidam enim affirmant, quum felis murem rapit, & leo ouem, aut aliud animal, pœnam esse rapti animalis, à Deo Opt. Max. Ac iuxta hoc inueni, inquit, apud Rabbinos seu Magistros nostros μακαρίτας, Rabbi Iochanan seu Ioannem, quum vidisset mergum ad captandos pisces in mare se immergentem, exclamasse, *iudicia tua abyssus multa*: quidam verò D censent neque mercedem, neque pœnam conuenire omnibus animantium generibus, præterquam vni homini. Verùm nos, inquit, dicimus reliquis animantiū generibus mercedem & pœnam esse hominis caussâ, propterea quòd legimus Gen. 9. 5. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram, de manu cunctarū bestiarū requirā illum.* Et Habac. 2. 17. *vastitas animalium* seu *prædaferarum* (hoc est, vastitas seu præda facta & illata à feris) *conteret eas* &c. Nugæ. Pœna aut merces in bestiam non cadit. E Genesêæ quidem citatus locus referendus videtur ad legem latam postea, Exo. 21. 32. *Si seruum ancillámque inuaserit, (cornu petierit,) triginta siclos argenti domino dabit, bos verò lapidibus opprimetur.* Sed lex illa lata est non tam in pœnam bestiæ, quæ sensu caret, & rationis est expers, quàm in exemplum, vt docerentur homines, quantùm Dominus abhorreret atque execraretur humani sanguinis effusionem, propter quam ne brutis quidem & mente carentibus animantibus parci velit. Locus verò ille Ha-

A bacuc quid aliud significat, quàm vastitatem, quam faciunt feræ rapiendo, tandem armare in illarum perniciem homines? Atque hanc istius loci expositionem docuit me ipse Kimhi, Commentarijs in Habacuc, ex R. Iona. Deinde per *feras* feri homines figuratè ibi possunt intelligi, & intelligit ipse Kimhi. Sed cōnatur Kimhi probare suam sententiam, cadere nimirum mercedem seu præmium in bestias, ex eo quòd cùm immundorum animantium primogenita Domino minimè esse consecranda, soli asinorum primogeniti ex omnibus animantibus immundis non consecrandi Domino essent quidem, sed tamen permutandi ac redimendi oue, vel, hœdo, vt constat ex lege Exo. 13. 13. & 34. 20. nimirum, quia, vt ipse confirmat ex suis Rabbinis, spolia & prædam Israëlitarum, quum illi Ægypto excederent argento & auro Ægyptiorum onusti, asini portassent. Non possum facere quin hic exclamem cum Poëta, *risum teneatis amici.* C Non quæro quæ istius legis sit ratio: nec fortasse opus est quærere. Multæ extant eiusmodi leges, quarum rationes penes Deum sunt, qui illas tulit, & ab hominibus prorsus ignorantur. Ridiculum omnino quod idem Kimhi præterea annotat ex suis Rabbinis, legem esse, scilicet Exo. 22. 31. quâ carnem à bestijs raptam edere prohibentur Israëlitæ, sed cani iubentur proijcere, quòd non mutierit seu non mouerit linguam suam canis, hoc est, non allatrarit cuiquam Israëlitarum, vt dicitur Exo. 11. 7. Tandem corollarij loco addit Kimhi aliam esse opinionem, sed quæ non sit scribenda. Vtinam protulisset. Haberemus profectò, quòd affatim rideremus, quando quæ hactenus attulit, tam sunt inepta. Præter morem suum sanè fecit Kimhi, qui nugis non solet delectari, sensui litterali & historico planè addictus, ideóque dignus cui Christiani dent operam. Ignosce, si hîc prolixior fui: necesse fuit: quò istas Rabbinorum sententias, vel potiùs ineptias, quando res ferebat, tibi indicarem ac refutarem.

19 *Propè (est,)* hoc est, statim adest *Dominus omnibus inuocantibus eum*, quicumque, & ex quacumque gente sint, sed *omnibus* duntaxat, *qui inuocant eum in veritate*, hoc est, vt explicat Kimhi, pari corde, atque ore, nec tentandi ergô, vt Ezra exponit. Non sperent igitur se exaudiendos, qui linguis Deū honorant, cùm cor eorum longè ab eo sit. Quomodò enim illis Dominus propinquus esse potest, à quo ipsi sponte se subducunt ac remouent? Multi petunt, & non accipiunt, eò quòd malè Iac. 4.
petant, vt in concupiscentijs suis insumant.

20 *Voluntatem timentium se facit:* &c. Nam qui eum timent ac verentur, inuocant in veritate, atque idcirco digni sunt quos exaudiat, quorúmque voluntati satisfaciat. Quid? Deúsne timentium se voluntatem semper facit? Ita, si quod petunt ac volunt, fieri expedit, & secundùm voluntatem Dei est. Tam ergo misericorditer non exaudiuntur iusti, quàm misericorditer exaudiuntur. Quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus quàm ægrotus.

Deprecationem. Voluntatem mox dixit pro bonorum consequendorum desiderio: nunc deprecationem, [illegible] ait, quæ clamorem eorum, qui aduersis rebus premuntur, significat. Idcirco subiungit, *& saluos facit eos*, eripitque ex malis, & ærumnis, si expedire iudicat: semper enim adhibenda hæc exceptio.

21 *Custodit Dominus omnes diligentes se.* Quos dixit *timentes Deum*, timore nimirum A filiali, eos nunc appellat *diligentes Deum.*

Et omnes peccatores disperdit, vbi vltionis tempus appetijt, nec ampliùs eorum scelera ferre potest. Antithesis est prioris membri.

22 *Laudationem* (*Laudem*) *Domini loquetur os meum:* &c. Epiphonema, & conclusio totius Psalmi, respŏdens initio. Et priore quidem membro ipsa propositio repetitur. Cùm, inquit, tot caussæ laudădi Deum B suppetant, nunquam ego desinam Deum laudibus extollere: & verò opto, atque hortor omnes mortales, vt sacrosanctum eius nomen perpetuò celebrent. *Omnis caro*, id est ex Kimhi, omnes homines solùm, non item cætera viuentia inferiora. Ezra exponit, *omnis caro*, quæ apta est benedicere. Sic obseruat Kimhi Euam dici matrem cunctorum viuentium, Gen. 3. 20. Regulam hanc quidam ponit, Carnis vocabulum, vbicumque sine adiectione vsurpatur, ad homines tantùm referri.

PSALMVS

CXLVI. CXLV.

VERSIO

NOVA.	VETVS.
 LLELVIA. Lauda anima mea Dominum. 2 Laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quandiu fuero.	 LLELVIA, *Aggæi, & Zachariæ.* *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.*
3 Nolite confidere in principibus: in filio hominis, [a] in quo non (est) salus.	2 *Nolite confidere in principibus: in filijs hominum, in quibus non est salus.*
4 Exit spiritus eius, reuertitur in terram suam: in illa die pereunt cogitationes eius.	3 *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*
5 Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Domino Deo [b] ipsius. 6 Qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis (sunt:) qui custodit veritatem in [c] sæculum.	4 *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.* 5 *Qui custodit veritatem in sæculum,*

a *cui*
b *suo*
c *æternum.*

facit, iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus.
6 *Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos.*
7 *Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.*

8 *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.*

9 *Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.*

7 Qui facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurienti-bus: Dominus soluit compeditos.
8 Dominus illuminat cæcos; Dominus erigit incuruatos: Dominus diligit iustos.

9 Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam [d] suscipit: & viam peccatorum peruertit.

d *sustentat.*

10 Regnabit Dominus in seculum, Deus tuus, Sion, in generationem. Alleluia.

COMMENTARIVS.

Argumentum.

SEIPSVM hoc carmine excitat Dauid ad celebrandas Dei laudes, in quo vno homines, si beati esse velint, fiduciam ponere debeant, quippe qui condidit omnia, ideóq; nihil non potest: idémque promissi est tenacissimus, quo opem ad se confugientibus pollicitus est: qui ius reddit iniuste oppressis, famelicos pascit, captiuos vinculis eripit, cæcis oculos restituit, collapsos erigit, iustos complectitur, aduenas tuetur, pupillorum & viduarum curam gerit, contráque sceleratorum conatus & consilia euertit: cuius denique regnum sempiternum futurum est, non item aliorum regum, quorum potestas morte finitur, adeo vt frustra in illis spes collocetur. Hæc summa est huius Psalmi.

1 *Lauda anima mea* &c. Propositio in hoc A & sequente versu.
3 *Nolite confidere* &c. Affirmaturus & probaturus Dauid, siue quisquis est autor huius carminis, in Deo solùm fiduciam esse reponendam, (quæ erit ratio propositionis) breuiter antè dehortatur omnes, vt ne vel ipsis principibus fidant, qui quamuis principes, & è principibus sati, nihilominus mortales sunt, éque mortalibus prognati, qui neque se, neque ipsos adeo seruare B possunt, nisi fortè Dei, cuius vnius est salus, nutu ac voluntate. Ergo, dicet aliquis, non licet vnquam in homine sperare. Licet, modò radix spei, vt loquuntur Hebræi, in Deo figatur, nec à Domino recedat cor. Quo modo ipsius Dei verbis ait Ieremias cap. 17. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* *Filio hominis*, in Fonte אָדָם *adham*, hoc est, miseri & caduci hominis, vt aliàs sæpe ob- C seruatum. *In quo*, seu *cui non (est) salus*, vt quemquam queat seruare: vel, vt seipsum possit seruare. Posteriore modo Ezra, priore Kimhi: ego vtroque modo, sic, *cui non (est) salus*, vt seipsum, nedum alios possit seruare.
4 *Exit spiritus eius* filij hominis &c. Exegesis istorum verborum præcedentis versus, *in quo non (est) salus*, quasi diceret, Et quomodò homo sibi aut alijs salutẽ adferre posset, cùm egressa, illo inuito, anima è corpore, reuertatur ipse in terram suam, vnde erat, omnésque illius cogitationes, & consilia sæpe in medio cursu abrumpantur, atque euanescant? *Reuertitur*, non spiritus, sed ille filius hominis. Vnde cùm verbum תֵּצֵא *tetse*, id est, *exit*, in Heb. fit fœm. gen. vt conueniat cum nomine רוּחַ *ruach*, id est, *spiritus*, quod plerumque est fœm. gen. verbum יָשֻׁב *iaschub*, hoc est, *reuertitur*, est masc. Istud mihi visum est admonere, ne hic locus fortè, vt huius seculi ingenia sunt, errorem obiiceret; qui ex illo Eccl. 12. 7. *Et reuertatur puluis in terram, quemadmodum erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, explicandus est.
5 *Beatus, cuius Deus* &c. Ratio propositionis. Iure merito, inquit, extollendus ac celebrandus à me Dominus, in quo spem qui ponit, is demum felix est censendus. Aptè & in loco dicit *Deus Iacob*, ille scilicet Deus fortis & potens, (in Fonte enim est אֵל *el*) qui vna fuit spes patriarchæ Iacob, dum à paterna domo exularet: quippe qui securum ipsum esse iussisset his verbis, *Et ecce ego tecum, & custodiam te quocumque perrexeris*, &c. Gen. 28. 15.

humilians autem peccatores vsque ad terram.

7 Præcinite Domino in confeßione: psallite Deo nostro in cithara.

8 Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.

9 Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.

10 Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

11 Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.

12 Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia eius.

Psalmus CXLVII. *13 Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.*

14 Quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te.

15 Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

16 Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.

17 Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

18 Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

19 Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

20 Qui annuntiat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israël.

21 Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis. Alleluia.

humiliat (autem) peccatores vsque ad terram.

7 Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara:

8 Qui operit cælum nubibus, qui parat terræ pluuiam: qui [f] producit *[f] germinare facit*
(in) montibus herbam.

9 Qui dat iumentis escam ipsorum, pullis coruorum [g] inuocantibus (eum.) *[g] ad verb. qui inuocant, seu clamant.*

10 Non in fortitudine equi voluntatem habet, nec in tibijs viri beneplacitum est ei.

11 Beneplacitum est Domino super timentes eum, in eis qui sperant super misericordia eius.

12 Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum, Sion.

13 Quoniam [h] confortauit vectes *[h] roborauit*
portarum tuarum: benedixit filijs tuis in medio tui.

14 Qui posuit fines tuos pacem: adipe frumenti satiat te.

15 Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.

16 Qui dat niuem sicut lanam: pruinam sicut cinerem spargit.

17 Proiicit glaciem suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis [l] sustinebit? *[l] stabit.*

18 Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: [l] flabit spiritus eius, fluent *[l] vel flare faciet ventum suum,*
aquæ.

19 Annuntiat [m] verbum suum Iacob, statuta sua & iudicia sua Israël. *[m] verba sua*

20 Non fecit taliter omni nationi: & [n] iudicia sua non manifestauit eis. *[n] ad verb. iudicia non cognouerunt ea.*
Alleluia.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *EST hoc quoque carmen encomiasticum, Dei laudes continens multis ex argumentis hinc inde desumptas. Suadet autem versus secundus, reductis Hierosolymam è Babylone captiuis, esse compositum, & quum iam otium illis esset à vicinis gentibus, portæque ac muri essent restituti, vt ex versu 13. & 14. constare potest.*

1 *Laudate Dominum.* Propositio, cui subiicitur statim ratio, quæ multis argumentis hinc inde petitis postea confirmatur, atque amplificatur. *Quoniam iucundum* repete *psallere* &c.

2 *Ædificans Ierusalem* &c. Quoniam Israelitas præsertim compellabat, idcirco proponit initiò beneficium ad solos illos spectans, quòd nimirũ, licet aduersantibus omnibus vicinis gentibus, Deo adiuuãte, imò extruente, vrbs Hierosolyma, quæ à Nabuchodonosore fuerat diruta atque euersa, tandem sit instaurata, reductis è Babylonia captiuis. *Cõgregauit.* In Fonte verbum est fut. temp. pro præt. vt aliàs sæpe in Psalmis: quod vt affirmem, facit versus 13. pars prior, ex qua manifestè patet Neemiæ temporibus, aut post illius tempora editum esse hoc carmen, quemadmodum ad illum versum obseruabitur.

3 *Qui sanat* &c. Hic versus referendus videtur ad præcedentem. *Qui sanat contritos corde.* Perinde ac si diceret, Miseros illos exules collegit Dominus, is scilicet qui mederi solet animi & corporis doloribus: nam sequitur, *& alligat dolores*, id est, plagas, *eorum*: quæ phrasis à Chirurgis est sumpta, qui vulnera fascijs ligant. Huc refer illud Esa. 61. 1. *vt alligarem contritos corde*, in Græco & Lat. *vt mederer contritis corde.* Necnon illud Iob 5. 18. *Quia ipse vulnerat, & alligat*, pro quo Lat. *medetur.*

4 *Numerat numerũ* &c. Ecce aliud argumentũ diuinæ laudis ab ipsius Dei scientia petitum: quòd nimirum tam maiorum, quàm minimarum stellarum numerum ad vnguem teneat, ita vt eas omnes nomine sciat appellare. Potest & hic versus ad secundum referri, quasi diceret, Potuit Deus facilè hinc inde dispersos Israelitas congregare, quem nihil fugit, adeo vt stellas vniuersas toto superiore orbe dispersas nullo negotio numeret, vel ipsas nominatim ciens. Kimhi Theologum hic, & Astrologum agit. Audiamus illum. Ecce, inquit, consentiunt Astrologi omnes stellas numero esse mille & nonaginta octo. Si ita est, cur hic dicitur? *Qui numerat numerum stellarum.* Ad hoc, Esa. 40. 26. legitur, *qui educit in numero exercitum earum.* Deus ipse A Abrahamo Patriarchæ dicebat, Gen. 15. 5. *Suspice nunc cælum, & numera stellas, si potes.* Et Baldad Suhites, Iob 25. 3. *Nunquid est numerus militum (exercitibus) eius?* Sapiens princeps (vide vt mulus mulum scabit) Rabbi Abraham filius R. Chaiiæ dicit, minores stellas, quæ nullum terris lumen præbeant, esse multas, nec illas videri, multóque minùs numerari, & iniri summam earum posse, neque esse conditas, vt luceant, sed vt terris dominentur solùm, iuxta illud Gen. 1. 18. *Et præessent (dominarentur)* B *diei ac nocti.* E stellis quoque, quæ sub oculos cadunt, vna interdum videtur stella, cùm sint plures, ob ingens scilicet illud spatium, quod nos inter & illas interiacet. Omnium igitur stellarum numerum homo tenere non potest: Deus verò, quem nihil latet, illarum numerum nouit, quia eas creauit. *Omnibus eis nomina vocat.* Similiter Esaias dixit loco antè notato, *omnes eas ex nomine vocat.* Quorum verborum sententia est, Deum illas omnes creasse explo- C rato sibi numero, & vnamquamque appellasse nomine naturæ, & ei rei, ad quam peculiariter condita esset, conuenienti. Stellis quippe omnibus vis quædam & influxus est in hæc inferiora: vnicuique in certam speciem, in quam peculiarem agendi vim obtineat. Quo modo à Magistris dictum, *Nulla tibi est herba infrà*, id est, in terris, *cui non sit suprà stella, quæ eam percutiat, (afficiat,) eique dicat, Cresce.* Sic fermè Kimhi.

5 *Magnus Dominus noster*, &c. Alia in sequentibus versibus celebrandi Deum argumenta proponit. Kimhi autem sie habet ad hunc versum, Rex mortalis, cui multæ D incumbunt gubernandæ prouinciæ, quarum aliquæ procul distant, tanto muneri vix par esse potest. Si enim vicinas prouincias bene & feliciter regit, non item remotiores, quia illi aut vires desunt, aut prudentia. At Dominus noster vniuersum mundum nullo negotio, & rectè quidem gubernat, quia & virtus illi & prudentia est: nam *magnus (est) & multus virtute*, & *intelligentiæ* seu *sapientiæ* (in dandi casu) *eius non (est) numerus*, hoc est, rerum, quarum ille habet prudentiam atque intelligentiam, nullus est numerus: de prudentia

enim non dicitur numerus: nam prudentia seu intelligentia est de specie seu categoria qualitatis: numerus verò de categoria quantitatis: ideoque necesse est ad prædictum modum hoc accipere. At verò sapientia seu intelligentia propriè dicitur inuestigari: ac sic Esa. 40. 28. *non (est) inuestigatio sapientiæ eius.* Sic fermè ille.

6 *Suscipit* (prop. *Subleuat*) *mansuetos*, seu *humiles* aut *afflictos* &c. Sensus, Etsi autem magnus est, & multæ virtutis, prospicit tamen super mansuetos, humiles, & abiectos, eósque subleuat: humiliat verò ac deiicit peccatores sese efferentes vsque ad terram.

7 *Præcinite* ore *Domino* &c. Iteratur propositio, & alia adferuntur argumenta. *Præcinite in confessione*, seu, *laude*, seu, *gratiarum actione*. Obserua pro *Præcinite* in Fonte esse עֱנוּ *enu*, quod reddi potest *Respondete*, (*respondere* enim primò & propriè significat verbum עָנָה *ana*, & inde *canere*, vel potiùs cantum alternis excipere, seu *alternis canere*) eleganti & commodo sensu, quasi diceret, Vestrûm est Deo, qui tanta in vos contulit beneficia, parem, quòd in vobis est, gratiam referre, atque eius in vos voluntati verbis saltem & grati animi testificatione respondere.

8 *Qui operit cælum* &c. In Sacris litteris frequenter, tanquam Dei insigne opus, prædicatur pluuia. Eliphas Iob 5. 9. postquam dixisset, *Qui facit magna & inscrutabilia, mirabilia absq; numero:* subiicit vers. 10. *Qui dat pluuiā super faciem terræ*, &c. Eliu ait eiusdem Iob 37. 6. *Quia niui dicit, Esto (super) terram, & imbri pluuiæ*, hoc est, tenuissimo imbri, *& imbri pluuiarū fortitudinis suæ*, id est, impetuoso imbri. Igitur celebrandi Dei argumentum hoc loco, vt aliàs in Psalmis, ponitur pluuia, quippe cuius beneficio, si tempestiua est, hoc autem à Deo est solo, animantibus victus paratur, quo pertinet sequens versiculus. *In montibus*, siccis alioquin & aridis, & qui fluminibus nulla arte irrigari possunt. In Græco & Lat. est aliquid hîc præter Fontem: adscitum est autem ex versu 14. Ps. 104.

9 *Dat iumentis* &c. Iumentorū meminit, quibus deest industria parādi victus. *Pullis coruorum inuocantibus*. sup. *eum* ex versu 3. cap. 39. Iob, qui huic prorsus germanus est, *Quis præparat coruo escam suam*, seu *ipsius, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos?* Quærunt Hebræi cur pullorum coruorum mentio fiat potissimùm. Hanc adferre solent rationem, quòd ij, statim vt nati sunt, à parentibus deserantur, qui illos, quippe albos, pro suis non agnoscant. Omitto quod Rasi è Veteribus

A suis Rabbinis addit, tunc è stercoribus natas muscas aut vermes (nam יְתוּשִׁין *iattuschin*, quid significet, ambigitur) in eorum os, diuina regente prouidentia, sese ingerere. Ista vera sint, necne, in medio relinquo. Certè aliquid oportet esse, quod sententiæ ex libro Iob allatæ locum dederit. Plinius non longè abit ab Hebræis, qui in natur. historia obliuiosos esse coruos scribit, & plerumque minimè ad nidos suos reuerti: sed quadam ratione instinctúque naturæ hęc congerere ad suos nidos, quæ vermes possint creare:
B ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum. Alij censent, id quod fortasse magis est in promptu, synecdochicè ex coruis vniuersum volucrum genus esse intelligendum.

10 *Non in fortitudine* &c. Summa huius & sequentis versus, Deum non delectari nec fauere iis hominibus, qui suis viribus nituntur, sed pijs & religiosis, qui & ipsum verentur, & à sola eius clementia pendere volunt. Vide simile Ps. 33. versu 16. & sequentibus. In hoc porrò versu nō istud sentit, minimè delectari Deum equi fortitu-
C dine: ipse enim est, cuius beneficio contingit equo fortitudo: ac sic Deus ipsi Iob aiebat, cap. 39. 22. *Nunquid præbuisti equo fortitudinem?* quasi diceret, quemadmodum ipse præbui: sed vult dicere, non delectari eum homine, qui equi robori fidit, neq; eo, qui crurum velocitate speret posse se è bello aut aliquo alio periculo serua-
D ri: quo sensu dixit Amos Propheta cap. 2. 15. *& velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.* Sic ferè Kimhi explicat hunc versum.

11 *In eis qui sperant in misericordia eius*, non in fortitudine equi, neque in sua.

12 *Lauda Ierusalem* &c. Græc. & Lat. hoc loco diuidunt Psalmum, ita vt duo sint illis Psalmi, qui Hebræis & ipsi D. Hieron. vnus est. Coniungas, vel diuidas per me licet: quoniam & facile quæ hîc dicuntur, cohærere possunt cum præcedentibus, & facile quoque pro nouo Psalmo accipi, &
E noua adhortatione, eiusdem tamen argumenti cum superiore adhortatione.

Lauda Ierusalem &c. Tertiò repetitur propositio, vel, si nouus est Psalmus, ipsa est propositio, qua per apostrophen compellat atque hortatur vrbem Hierosolymam, hoc est, ipsos ciues Hierosolymitanos. *Lauda Deum tuum Sion.* Idem repetitur. Nam Sion, vt aliàs sæpe, pro Hierosolyma ponitur synecdochicè.

13 *Quoniam confortauit* (*roborauit*) *vectes portarum tuarum* aduersus externos hostes. Ex his verbis maximè editum constat hoc

carmen Neemiæ temporibus, aut poſt Neemiæ tempora. Primus enim Neemias muris vrbis portas impoſuit, vti docet caput Neemiæ tertium. *Benedixit filys* &c. Hoc, & quod dicitur in ſequente verſu ad tempora Neemiæ referri poteſt, quando ſatis pacata & tuta Iſraëlitarum Reſpublica, cùm domi, tum foris, præſertim ſi ſuperiora tempora inſpicerentur. *Benedixit filys tuis*, hoc eſt, ciuibus tuis, qui mirum in modum numero & opibus augentur, & bene ac fortunatè viuunt: hæc enim omnia importat *benedicendi* verbum. *In te*, hoc eſt, intra muros tuos.

14 *Qui poſuit fines tuos pacem:* hoc eſt, Qui longè tuos hoſtes arcuit, ita vt & domi, & foris latè ſint pacata omnia. Parum eſt vrbem mœnibus ac portis bene eſſe munitam, & magno ciuium numero, quod firmum eſt ciuitatũ munimentum: parum eſt hoc, inquam, ſi foris turbet hoſtis. Idcirco commodùm verſui præcedenti hoc ſubiunxit de pace ab extero. *Adipe frumenti* &c. En effectus pacis, de qua ſermo fuit in præcedente membro. *Adipem frumenti*, ad verb. *triticorum* dixit, pro pingui, medulloſo, atque adeo optimo tritico. Quicquid optimum eſt in ſuo genere, id Sacræ litteræ vocant adipem. Num. 18. 12. *Omnem adipem* (Vulg. *medullam*) *olei*, & *omnem adipem vini*, &c. Deut. 32. 14. *cum adipe renum*, id eſt, granorum, *tritici*: Pſ. 81. 17. *Et cibaſſet eos* (*Deus*) *ex adipe frumenti*.

15 *Qui emittit eloquium ſuum* &c. En autem aliud celebrandi Dei argumentum ex eo ductum, quòd ſtatim atque aliquid in terris fieri Deus præcipit, vno momento, & quàm celerrimè eius mandatum, quò opus eſt, perferatur, & perficiatur illico: id quod exemplis in tribus ſequentibus verſiculis confirmat. Malo hunc verſum ſic accipere generaliter, quàm cum Kimhi per *Dei eloquium* & *verbum* pluuiam interpretari, quæ Dei verbo, id eſt, nutu & voluntate fiat: eſt enim hoc coactum. *Emittit ſermonem* ſeu *eloquium ſuum* igitur nihil eſt aliud, quàm, edicit, imperat. *Velociter*, vel potiùs *velociſſimè*, ſeu *celerrimè*: nam eſt hebraicè עַד מְהֵרָה *adh mehera*, quod plus ſignificat quàm מְהֵרָה *mehera*, ſimpliciter, vt obſeruat Mercerus in Theſ. Pagn. ad עַד *adh*. Aliquis exiſtimare poſſet *adh mehera*, ſimpliciter vertendum, & exponendum *ad celeritatem*, hoc eſt, *celeriter*, vt עַד *adh*, tantùm ſit pro אֶל *el*, quemadmodum Deut. 4. 30. Pagninus hîc accepit particulam *adh*, in altera ſignificatione *donec*, ſed non ſatis aptè, vt videtur.

16 *Qui dat niuem ſicut lanam.* Tibi exponit Chaldæus, *Qui dat niuem candidam ſicut lanam*. Addendum ex Kimhi *ſicut lanam candidam*. Is citat ſimile ex Eſa. 1. 18. *ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana*, alba ſcilicet, *erunt*. Non potuit certè poëta noſter candorem niuis meliùs conferre, quàm cum candida lana, qua nihil in terris candidius. Poteſt & nix cum lana ob raritatem conferri. Ad rem eſt quod Euſtathius, quemadmodum ad hunc locum obſeruat Agellius, Epiſcopus Acernenſis, teſtatur, ſuis in Dionyſium commentarijs, profanos etiam autores pro niue ἐριῶδες ὕδωρ, hoc eſt, *laneam aquam* dixiſſe. Mihi videor poſſe commodè exponere ad iſtum modum: *Qui dat niuem ſicut lanam*: quippe qua triticum aduersùs frigoris vim ſeſe defendit, ſicut qui lana hyeme opertus eſt. *Pruinam* ſeu *gelu ſicut cinerem* &c. pruinâ enim quaſi cinere ſolum minutatim conſpergi hyeme videmus. Huc refer illud Dei ad Iob cap. 38. 29. *De cuius vtero egreditur gelu, & pruinam cæli quis genuit?*

17 *Proiicit glaciem ſuam* &c. Per *glaciem* poſt multos Interpretum intelligendam cenſeo glacialem grandinem, quæ fruſtulatim in terram decidit: id quod de glacie dici minimè poteſt. *Proiicit*. Verbum hoc grandini aptum, vt quæ magna vi in terram fertur. De niue vſurpauerat *dandi* verbum, quòd dandi actio, vt quæ leuiore motu perficitur, niui, cuius deſcenſus leuior eſt, optimè conueniat: pruinæ autem ſeu gelu *ſpargendi* vocabulum tribuerat, ſiquidem pruina reuera in terram ſpargatur: grandini *proiiciendi* verbum commodè adhibet. Atque hoc verbum eſt, quod, vt alia excuteremus, admonuit. *Glaciem ſuam*. Græc. & Lat. *cryſtallum ſuam*. Cryſtallus aliud nihil eſt quàm glacies & gelu vehementiùs concretum. *Ante faciem frigoris eius*, pro, coram frigore eius, *quis ſuſtinebit* ſeu *ſtabit*? Senſus, Deus interdum frigoris tantum terris incutit, vix vt homines exire domum, artéſque ſuas exercere poſſint, & feræ ipſæ cogantur ſe in ſua luſtra abdere. Kimhi ad hoc accommodat cap. 37. Iob verſum 7. & 8. qui, meo iudicio, de pluuia vehementiore, quæ beſtias & homines clauſos teneat, potiùs intelligendi ſunt: quanquam ad præſens inſtitutum tamen haud ineptè accommodari poſſunt. *Glaciem ſuam* ait, necnon *frigoris eius*, & vtrumque Deo tribuit, vt ea oſtendat Dei nutu, non temere & caſu fieri, & gubernari. Quo modo Eliu Iob 37. 10. *Flante Deo concreſcit gelu*, &c. Paulò aliter ille in Fonte. Idem iudiciũ de niue, & pruina, quæ à Deo ſunt, & gubernantur, nempe vt in bonum hominum cedant, aut in detrimentum & pœnam. Verè Eliu iam

nominatus cit. cap. versu 12. & sequente, *Ipsa quoque* (nubes) *per circuitus voluitur machinis eius* (Dei,) *vt efficiat illa, omnia* nimirum, *quæ præceperit illis super faciem orbis in terram. Siue in flagellum, siue propter terram suam, siue propter misericordiam existere facit eam.* In Vulg. paulò aliter, sed eodem fermè sensu, *Quæ* (nubes) *lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præcepit illis super faciem orbis terrarum. Siue in vna tribu,* (שֵׁבֶט *schevet, flagellum* & *tribum* significat) *siue in terra sua, siue in quocumque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.*

18 *Emittet verbum suum*, &c. Repetendus est huius versiculi sensus ex præcedentibus duobus versiculis. Deus est, qui niuem, pruinam, grandinem, & conglaciatas aquas in terras demittit, & rursum, vbi visum est, inducto atque excitato vento, aut pluuia, ea in aquas fluentes dissoluit. *Emittet verbum suum*, id est, Edicet ac iubebit. Chald. interpretatus est, *Emittet Eurum caloris sui.* Kimhi exponit calorem solis, aut pluuiam. Eodem semper redit res. *Flabit spiritus eius*, vel *flare faciet ventum suum.* Rasi Occidentalem ventum intelligit. Verba fut. temporis pro præsenti habent in hoc versu elegantiæ aliquid & venustatis.

19 *Annuntiat verbum suum* &c. Epilogus à beneficio spiritali, & quod ad solos Israëlitas spectet: quòd ijs solis Deus sua crediderit eloquia, ijs solis Legem & Prophetias tradiderit, ijs solis loqui dignatus sit: eorum, vt verba Apostoli vsurpem, sit *adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Ad Rom. 9.

20 *Non fecit taliter omni nationi*: id est, Nulla cum gente sub cælo sic egit, vt honestè ac piè viuendi leges ei præscriberet. Istud Israëlitarum singulare priuilegium est, legem habere non ab homine, sed à Deo latam, atque adeo Deum ipsum legislatorem. *Interroga enim nunc de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, à die quo creauit Deus hominem super terram, & ab extremo cæli vsque ad extremum cæli, si (an) facta est aliquando huiusmodi res, aut vnquam auditum tale: Nunquid audiuit* (Lat. *Vt audiret*) *populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti*, &c. Deut. 4. vers. 32. & 33. *Et iudicia sua* &c. Idem repetitur. Ad verb. *& iudicia*, illa scilicet, de quibus in superiore versu, *non cognouerunt ea* vlla gens aut natio. Græcus & Lat. voces non respexerunt, sed sensum, & commodè verterunt. Ac fortasse pro יְדָעוּם *iedhaum, cognouerunt ea*, legerunt יוֹדִיעֵם *iodhiem, scire fecit eos*, fut. Hiphil pro præt. Sic & Chaldæus videtur legisse, qui interpretatus est, *& iudicia non scire fecit eos.*



PSALMVS

CXLVIII. CXLVIII.

VERSIO

NOVA.



LLELVIA. Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

2 Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes exercitus eius.

3 Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ luminis.

4 Laudate eum cæli cælorum, & aquæ, quæ super cælos (sunt.)

5 Laudent nomen Domini: quia ipse mandauit, & creata sunt.

6 Et statuit ea in æternum, in perpetuum: statutum posuit, & non præteribit.

7 Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi.

8 Ignis & grando, nix & vapor: spiritus [a] procellarum faciens verbum eius:

9 Montes & omnes colles: arbor fructifera, & omnes cedri:

10 Bestiæ, & vniuersa pecora: reptilia, & volucres pennatæ:

11 Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ:

12 Iuuenes, & etiam virgines: senes cum iunioribus:

13 Laudent nomen Domini: quia exaltatum (est) nomen eius solius; gloria eius super terram & cælum.

14 Et exaltauit cornu [b] populi sui: [c] hymnus omnibus [d] sanctis eius, filiis Israël, populo [e] appropinquanti illi. Alleluia.

a procella
b heb. populo suo:
c laus
d piis
e ad verb. propinquo tuum.

VETVS.



LLELVIA. Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

2 Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

3 Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.

4 Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.

5 Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

6 Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

7 Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi:

8 Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

9 Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

10 Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ:

11 Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.

12 Iuuenes, & virgines: senes cum iunioribus laudent nomen Domini:

13 Quia exaltatum est nomen eius solius.

14 Confessio eius super cælum & terram: & exaltauit cornu populi sui.

15 Hymnus omnibus sanctis eius: filiis Israël, populo appropinquanti sibi. Alleluia.

COMMENTARIVS.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *AVthor huius carminis omnia, quæ sunt tam in mundo superiore, quàm inferiore ad canendas Dei laudes hortatur. Ita autem suum hoc carmen distribuit, vt eas primum creaturas, quæ in cælo sunt, ad versum vsque 7. deinde quæ in terra & circa terram, compellet. Haud ineptè quidam annotauit huic Psalmo istum titulum præfigi posse,* Physica Christiana.

1 *Laudate Dominum* &c. Propositio est, Omnes creaturæ laudate Dominum. Postea fit distributio: ac primùm cælestia, deinde terrestria inuitantur. *Laudate Dominum de cælis. Laudate* quum ait, inquit Kimhi, non præcipit, sed vult dicere, Decet vos laudare. *De cælis, in excelsis* quum dicit, videtur hoc sentire, E cælis Deum laudate quæcumque in cælis estis. Cùm enim supremum locum in rerum natura obtineatis, æquum est, vt aliis rebus omnibus in prædicandis Dei laudibus, qui vos in isto dignitatis gradu collocauit, præeatis. A bus vinci nos patiamur.

2 *Omnes angeli eius.* Cælestia nominauit in genere: speciatim nunc ea incipit enumerare, ac primo loco quidem ipsos angelos omnium creaturarum, etiam cælestium, nobilissimas atque excellentissimas creaturas, quæ idcirco in hoc officio celebrandi Deum debeant aliis præire. B *Omnes exercitus eius.* Angelos sic nominat, (nam ad illos hoc restringo propter præcedens membrum) omnem scilicet illum exercitum cæli, quem Domino sedenti super solium suum assistentem à dextris & à sinistris vidit Michæas, 1. Reg. 22.19. C

3 *Laudate eum sol* &c. Nominat duo illa magna luminaria, ac postea reliquos quinque planetas, quos *stellas luminis* vocat, quoniam terris magis luceant, quàm stellæ quæ in octaua sphæra existunt, quòd terris propiores sint. Sic Kimhi. Rasi *stellas luminis* stellas noctis exponit. Porrò in hoc versu est prosopopœia, vt & in aliquot ex sequentibus versibus, ne quis fortasse putet subscribere Dauidem, aut alium quemuis huius carminis autorem, eorum sententiæ, qui existimant corpora cælestia viuere, & ratione esse prædita. Laudant igitur Deum sol & luna, laudant planetæ, aliæque eiusmodi res non intelligentiæ modò, sed etiam sensus expertes, quòd vi suæ pulchritudinis & virtutis homines ad laudandum Deum impellant. Taciti sunt, sed assidui, atque indefessi diuinæ potentiæ præcones, ac laudatores. Hoc nobis identidem veniat in mentem, ne hîc, quod plerisque hominibus miserandâ ignauiâ contingit, à creaturis rationis experti-

Gen. 1.16.

4 *Laudate eum cæli cælorum*, &c. Audi hîc Kimhi: nã quod ego dicã, certi nihil habeo. Sunt, inquit, ex Sapientibus nostris, qui exponant *cælos cælorum*, seu, *cælũ cælorũ*, (שָׁמַיִם *schamaijm* enim est quemadmodum *nuptiæ* apud Latinos) supremum cælorum; quemadmodum dicitur *Rex regum*. Ac in illorum sententia erit illud incorporeum, quod supremum dicitur gradu, non loco, éstque mundus animarum. Istud autem, *& aquæ, quæ super cælos (sunt,)* erit de aqua incorporea intelligendum, forma scilicet formarum, ex qua exeunt aliæ formæ: ac de ea erit similiter accipiendum illud Gen. 1.7. *ab aquis quæ (erant) supra firmamentum.* Pergit. Est ex illis, (Ezram, credo, intelligit) qui dicat *cælum cæli* esse infra cælos, esséque sphæram ignis, quæ vicina est orbi lunæ: *cæli* autem nihil esse aliud quàm aëris, qui cęlum vocatur, ex. gr. Gen. 1.20. *& volatile (quod) volabit in superficie firmamenti (expansionis) cæli*: at verò *aquas quæ super cælum sunt*, esse כַּדּוּר הַקֶּרַח *caddur hakkerach*, id est, *sphæram frigoris*, quam alij vocant כַּדּוּר הַסַּגְרִיר *caddur hassagbrir*, id est, *sphæram pluuiæ* (frigidam nimirum aëris regionem, vbi gignitur pluuia) inter sphæram ignis, & aërem nobis proximum mediam: & hunc extremum locum esse, ad quem possunt nubes pertingere. Sed Philosophi non ita sentiunt. Nam affirmant inter nos & orbem lunæ nihil esse præter aërem & ignem naturalẽ. Si ita est, dicendum *aquas quæ super cælum sunt*, esse formam aquarum, locum illum vltimum scilicet in aëre, quò nubes possunt attingere, vbi eæ in aquas resoluuntur, ac postea natura sua in terram D decidunt: non quòd illic aliud sit corpus, quàm aër, nisi distinctum qualitate. Ac de illo loco intelligendum, *& aquæ quæ super cælos (sunt.)* Hactenus Kimhi. Sunt qui Chrystallinum seu aqueum, quod vocant, cælum per *aquas quæ super cælos (sunt,)* & per *cælum cæli* ipsum Empyreum intelligant: quæ expositio optimè quadraret, si de aqueo illo cælo constaret: nam vtquin sint aquæ supercælestes, nemo ambigere

Cæli Empyrei ex Rabbinis descriptio.

debet, *αὐτὸς ἔφα*, sic vbi, & quænam sint, A valde est incertum. Ego mihi videor per *cælos cælorum* seu *cælum cæli* (est enim, vt iam obseruatum, nomē hebraicum quemadmodum latinum *nuptiæ*) posse intelligere orbes seu sphęras cęlestes omnes, quæ dicantur *cælum cæli*, vel, *cæli cælorum*, (siquidem vox hebraica est numeri multitudinis) quasi tu diceres cęlos illos excellentissimos, pręque aëre, quod *cælum*, vel, *cæli* nominatur, sublimes. Iuxta hanc expositionem rectè fluet posterius membrum, *& aquæ quæ super cælos*, seu, *cælum*, hoc est, B aërem, (*sunt*.)

5 *Laudent nomen Domini:* &c. Summatim omnia cęlestia complectitur, secundā personā mutatā in tertiam, additque rationem desumptam à potentia Dei verbo creantis. *Laudent nomen Domini* omnia illa hactenus commemorata, & illum creatorem suum potentissimum agnoscant: quod significat sequens membrum, *quia ipse mandauit*, hoc est secundùm Ezram, decreuit vel voluit, &c. Verba illa *laudent nomen Domini*, in Gręco & Lat. pertinent C ad pręcedentem versum: hæc autem, *Quia ipse dixit, & facta sunt*, ex versu 9. psal. 33. pręter Fontem addita sunt, ne videlicet, parte resceissa, breuior esset hic versus.

6 *Et statuit ea* &c. non enim illa se habent, sicuti hęc inferiora, quorum singularia pereunt, & corrumpuntur, manentibus vniuersalibus: superiora enim illa & quoad vniuersalia & quoad indiuidua manent: ac pręterea statutum & legem vnicuique eorum impeſuit initio creationis, quę pręteribit nunquam, sed inuiolata persistet, eodem semper ordine. *Et non præteribit* D statutum illud. Potest tamen exponi, *& non præteribit* illud statutum, illam legem eorum aliquod. Vtroque modo Ezra.

7 *Laudate Dominum de terra.* A cælo ad terram descendit. Facite, inquit, vt è terra personet vox vestra in Dei laudem, ò quæ degitis & estis in terris. *Dracones, & omnes abyssi.* Obseruat Kimhi ordinem sequutum creationis priùs aquas, & in iis degentes dracones & cetos compellare, quàm aridam. Ex arida autem & aquis E vnus globus efficitur. Idcirco has cum illa coniungit.

8 *Ignis & grando*, &c. Ea nunc recenset, quæ gignuntur in aëre, sed tamen à terra originem ducunt, fulmen scilicet, quod ignem appellat, grandinem, niuem, & exhalationem, quam fumum nominat, quæ omnia è terra nasci apertè demonstrant Physici. *Ignis.* Fulmen interpretantur Ezra & Kimhi. Post fulmen grandinem nominat, quæ est ex causa frigida, cum illud ex calida. Sic *niui* quæ frigida est, *fumum* subiungit, quo Ezra & Kimhi volunt significari exhalationem calidam & siccam, è terra ascendentem instar fumi.

Spiritus procellarum, hoc est, turbo vehemens; quo synecdochicῶs omnes aliæ ventorum species significantur. Ventos porrò Philosophi è siccioribus terræ exhalationibus procreari vulgò docent. Quum addit *faciens verbum eius*, docere vult non temere & casu ventos excitari, concutere & disiicere arbores, domos, frāgere naues, aliaque eiusmodi mala & damna mortalibus importare, sed Dei nutu & voluntate. Quo sensu legitur psal. 107. 25. *Et dixit, & stare fecit spiritum procellæ, & exaltauit fluctus eius.* Ibidem, versu 29. *Statuit procellam in silentium*, &c. Ezech. 13. 13. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Et erumpere faciam spiritum tempestatum* seu *procellarum in ira mea: & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandinis in ira in consumptionem.* Quibus ex locis, aliisque similibus apparet manifestè Deum ventos, imbres, grandines, & reliquas eiusmodi res, prout visum est, moderari. Quod igitur de vento peculiariter dixit, idem & de fulgure, grandine, niue & exhalatione dictum accipi debet.

9 *Montes* &c. Nunc compellat ea, quæ in ipsa terra, & ad terram solam pertinent. Quum dixit, *& omnes cedri*, complecti voluit vna specie, eàque præcipuā, omnes arbores, quæ fructum non ferunt.

10 *Bestiæ & vniuersa* &c. Vegetantibus, quorum in posteriore membro mox præcedenti versus meminit, subiicit animantia, ac primùm irrationalia, syluestria & domestica animalia, &c. Syluestria dico & domestica animalia: nam quando חַיָּה *chaiia*, & בְּהֵמָה *behema*, coniunguntur, vt hoc loco, illud ferum, hoc verò domesticum animal significat.

11 *Reges terræ, & omnes* &c. Postremò homines compellat, & quidē omnis conditionis, ætatis & sexus, ne fortè esset aliquis, qui huius officij immunem se putaret. Postremo, inquam, loco homines nominat, seruato, vt apparet, ordine creationis: homo enim vltimus animalium creatus est. Inter homines autem primo loco Reges appellat, vt qui suis populis exemplo præire debeant: & idcirco mox subiicit, *& omnes populi*, qui regibus parētis: deinde principes & magistratus peculiariter nominans.

12 *Et etiam virgines.* Vim facit Kimhi in voce *etiam*, quam de industria Poetam vult vsurpasse, quòd virgines ornando

corpori tantùm ſtudeant. Sed fallitur. A Non virginum modò, ſed etiam matronarum hæc cura, quæ amatoribus vt placeant, & virorum oculos ad libidinem ſollicitent, auro, gemmis ſe ornant, fuco atque eiuſmodi rebus muliebribus malas expoliunt, crines contorquent, & quibus artibus poſſunt, pulchritudinem adiuuant, atque, vt ille dicebat, *dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt*: cùm ea ſit præcipua virginum laus ſibi ornari, vt Chriſto placeant: B matronarum verò ſibi & maritis, vt ijs tantùm & Chriſto placeant. Decretum eſt Apoſtoli 1. Timoth. 2. vt mulieres cum verecundia & ſobrietate ornentur, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. *Senes cum iunioribus*: vt cùm hi per ætatem Deum, vt par eſt, laudare adhuc non poſſint, ab illis doceantur.

13 *Laudent nomen Domini* omnes illæ C inferioris huius mundi creaturæ: perinde ac ſi diceret, inquit Kimhi, Qui ſunt mente & ratione prædìti, laudent ſuo & aliarum creaturarum nomine. *Quia exaltatum* (*eſt*) &c. Ratio prioris membri ab ipſius Dei maieſtate petita.

14 *Et exaltauit cornu* (Chaldæus *gloriam*) *populi ſui*, heb. *populo ſuo*: &c. Senſus, Et hæc materia diuinæ laudis, quòd Deus ſuum populum è ſeruitute toties liberatum ad tantam potentiam, tantùmque dignitatis faſtigium euexit: ſed iſtud argumentum ad Iſraëlitas potiſſimùm ſpectat, & hic *hymnus* ſeu *laus* conuenit *omnibus ſanctis* ſeu *pijs eius*, actiuè, hoc eſt, ijs qui ipſum ſanctè ac piè colunt. Alij vertunt *miſericordibus eius*, paſſiuè, hoc eſt, ijs qui ab eo amanter & miſericorditer fouentur. Quos intelligat, exprimit poſtea, dum ait, *filijs Iſraël*, &c. *Filijs Iſraël*, hoc eſt, Iſraëlitis. *Populo appropinquanti illi*, hoc eſt, eius cultui addicto. Ad verbum legitur, *populo propinquo illius*, quod exponi poteſt paſſiuè, populo cui ille eſt propinquus, ex illo Deuter. 4. 7. *Quæ enim* (*eſt*) *gens* (*tam*) *grandis, cui ſint dij propinqui*, hoc eſt, qui præſto adſint in afflictionibus, *ſicut Dominus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris?* Chaldæus & Kimhi priore acceperunt modo, poſteriore Ezra, qui ſimile profert ex Deut. 33. v. 8. vbi לְאִישׁ חֲסִידֶךָ *leiſch chaſidhecha*, hoc eſt, *viro miſericordi tuo*, paſſiuè, qui à te ſcilicet amatur ac miſericorditer fouetur.



PSALMVS

CXLIX. CXLIX.

VERSIO

NOVA.



LLELVIA. Cantate Domino canticũ nouum: laus eius in [a] ecclesia [b] ſanctorum.

2 Lætetur Iſraël in [c] eo qui fecit eum: filij Sion exultent in Rege ſuo.

3 Laudent nomen eius in choro: in tympano & cithara pſallant ei.

4 Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: [d] exaltabit [e] manſuetos in ſalute.

5 Exultabunt [f] ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

6 Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in [g] manibus eorum:

7 [h] Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis:

8 Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in [i] manicis ferreis:

9 Ad faciendum in [l] eis iudicium ſcriptum: gloria hæc (erit) omnium [m] ſanctorum eius. Alleluia.

a cœtu
b piorum.
c factore ſuo:
d glorificabit:
e vel potiùs afflictos
f pij
g heb. manu
h Faciendo, & ſic poſtea.
i catenis
l ſeu ex
m piorum

VETVS.



Lleluia. Cantate Domino canticum nouum: laus eius in eccleſia ſanctorum.

2 Lætetur Iſraël in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in rege ſuo.

3 Laudent nomen eius in choro: in tympano & pſalterio pſallant ei.

4 Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.

5 Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

6 Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum:

7 Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

8 Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

9 Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *Videtur hic Psalmus, cuius author quis sit, incertum, ad initia regni Dauidici referendus, quum constitutis rebus, & cultu Dei instaurato, inciperent Hebræi bene sperare: nimirum post subactam Sionis arcem, id quod perspicuè indicat versus 2. pars posterior, quum plus plúsque promoueret Dauid, & in dies maior fieret, sicuti narratur, 2. Sam. 5. Ad hoc argumentum omnino conueniunt huius carminis verba.*

1 *Cantate Domino* &c. Primi tres versus habent propositionem. *Cantate Domino canticum nouum* pro tot nouis beneficijs, quibus nos affecit. Vide simile ps. 33.3. & 96. 1. Alij explicant *canticum nouum*, carmen magnum, minimè vulgare: quo modo Poëta, *Pollio & ipse facit noua carmina. Laus eius* celebretur, audiatur *in ecclesia* seu *cœtu sanctorum*, seu *piorum*, hoc est, Israëlitarum, qui sanctè & piè colunt Deum, vt versu postremo psalmi præcedentis. Per *sanctos*, quos intelligat, explicat in sequente versu. Cæterùm qui sancta seu sanctorum Ecclesia vel cœtus dicatur vide ad versum 1. psal. 111.

2 *Lætetur Israël* &c. Nihil in hoc versu notandum, nisi vbi vertimus, *in eo qui fecit eum*, seu *in factore suo*, hebraicè ad verbum legi, *in factoribus suis*, in numero multitudinis pro singulari, honoris ergò, sicuti obseruat Kimhi, qui simile profert ex Iob 35. 10. *Vbi (est) Deus qui fecit me* seu *factor meus*, ad verbum *factores mei?* Idem censent Ezra & alij. Geneb. in veritate Hebraica affirmat apertum esse mysteriũ S. Trinitatis. Sed de hac re adeas, si voles, appendicem nostram ad syntaxim hebraicam Card. Bellarmini, quæ extat in eiusdem Institut. hebraicis. Quæri potest quid intelligendum in hoc versu per *factorem*, num *factor* seu *creator* absolutè, num factor secundum quid, hoc est, exemp. gratia, autor salutis, & pacis, & bonorum dator: quo sensu 1. Sam. 12. 6. dicitur, *Dominus qui fecit Moysen & Aaron.* Parum refert, siue hoc, siue illo modo accipias hoc loco; quanquam malim posteriore: quia magis est ad argumentum. *Filij* (malè *filiæ* in quibusdam exemplaribus latinis) *Sion*, hoc est, Sionij, elegante & frequente hebraismo, cui simile habent Galli loquendi genus, *les enfans d'Orleans*. Quippe *filij* nomen ciues, & incolas significat vrbis nomini præfixum. Sionios peculiariter nominauit autor psalmi, quòd inter cæte-

A ros Israëlitas primatum & dignitatem quandam obtinerent propter Sionis montis prærogatiuam, quòd iam tum ibi esset regia Dauidis sedes: vnde ciuitas Dauid dicebatur 2. Sam. 5. *Exultent in Rege suo* Deo: vel, vt ego quidem arbitror, Danide; quasi diceretur, exultent ac triumphent Sionij ciues se habere talem regem, à Deo palàm constitutum. Ita non temere Sionij nominantur, quippe apud quos degeret Rex Dauid.

B 3 *Laudent* Israëlitæ ac Sionij *nomen eius* Domini, à quo scilicet talem habent regem, sub quo haud dubiè florebit ac mirum in modum amplificabitur res publica.

4 *Quia beneplacitum est* &c. Ratio propositionis. Decet præsertim Israëlitas Deũ laudibus extollere, quòd ijs, quippe quos in peculiarem populum selegit, magis quàm cæteris populis delectetur, eósque deinceps victoriis ornaturus sit. *Man-*
C *suetos* seu *humiles*, vel potiùs *afflictos* quum ait, significare vult oppressos vel attritos olim variis bellis, & cladibus.

5 *Exultabunt sancti* &c. Sequentes versus nihil aliud sunt quàm exegesis præcedentis versus. Hanc autem sententiam habet hic versus, Deinceps Israëlitæ gloriosè triumphabunt, & securè suis in lectis dormient, altissima fruentes pace.

6 *Exaltationes Dei* &c. Ratio præcedentis versus, perinde ac si diceretur, Deinceps enim iactando Dei potentiam, déque ea gloriando, (præcipuum piorum
D aduersùs hostes telum est fiducia in Deo) & diris armis, quæ significantur *gladijs ancipitibus* seu *duarum acierum*, fœliciter pugnando, vlciscentur se de gentibus, earúmque Reges & proceres catenis ferreis vinctos trahent, vt in sequentibus versiculis dicitur. *In gutture* ait, quia vox è gutture primùm exit, ac deinde in ore sermo perficitur. Aut *in gutture* ait, vt significet altiorem vociferationem è gutture prorumpentem, quæ maiorem scilicet fiduciam arguat: ac sic Esa. 58. 1.

clama in gutture, hoc est, summa & alta A voce.

7 *Ad faciendam* seu *Faciendo* (& sic alia, quæ sequuntur, verba) *vindictam* &c. His versibus describuntur, nec sine hyperbolis, quæ haud raræ sunt in Sacris litteris, victoriæ illæ, quas ex tot Gentibus Dauid obtinuit, regni finibus ad Euphratem vsque prolatis, tum demum impleta promissione Abrahæ dicta. (Gen. 17.) Qui volet integram illarum victoriarum historiam legere, adeat præsertim 2. Sam. caput octauum. *Vindictam, increpationes* B ait, quoniam illi scilicet Dauidem, aut Israëlitas primi lacessierant.

8 *Ad alligandos Reges* &c. Hoc videtur hyperbolicώs à Poëta dictum. Nihil enim simile in tota Dauidis historia legere est. Iudæi, quò faciliùs miserias, in quibus tandiu agunt, fallant, hæc & eiusmodi ad tempora Messiæ, quem quotidie ac frustra expectant, pertinere sibi persuadent, quando, vt ipsi quidem sperant, totius orbis domini, principes ac Reges ipsos in compedibus sunt habituri, & quasi quadrupedes, si opus aut lubitum fuerit, constricturi. Ridiculi, qui vix famulos, quibus imperent, habentes, Regibus ipsis diram seruitutem, & pistrinum, vbi molant, si ita fors ferat, non minùs superbè quàm stultè minitantur. Scilicet miseri terrenum Christi regnum imaginantur, nescientes non esse illud ex hoc mundo. (Ioan. 18.)

9 *Ad faciendum in eis*, seu, *in eos iudicium scriptum*, hoc est, sumendo de iis omnibus supplicium, de quo scriptum est Deut. 32.41. *Si acuero fulgorem (aciem) gladij mei, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis*, &c. Versu 43. *Laudate Gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur: & vindictam retribuet hostibus suis, & propitius erit terræ suæ, populo suo.* *Gloria hæc* (*erit*) &c. Epiphonema. Atque hæc, inquit, erit gloria omnium Israëlitarum.

PSALMVS

CL. | CL.

VERSIO

NOVA.



(a sacrario vel sanctitate) ALLELVIA. Laudate Dominum in [a] sancto eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

(b fortitudinibus) 2 Laudate eum in [b] virtutibus eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.

(c clangore, d nablo) 3 Laudate eum in [c] sono tubæ: laudate eum in [d] psalterio & cithara.

(e vel fistula: f fidibus,) 4 Laudate eum in tympano, & [e] choro: laudate eum in [f] chordis, & organo.

VETVS.



Alleluia. Laudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

2 *Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.*

3 *Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.*

4 *Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.*

5 *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.*

5 Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis.
6 Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *Hic psalmus, quo Psalmorum liber clauditur, atque obsignatur, adhortatio est ad celebrandam Dei sanctitatem & potentiam in omnibus instrumentorum musicorum generibus. Nam in hoc breuissimo carmine decem musica instrumenta numerantur. Probabile est autem hanc adhortationem peculiariter directam ad Leuitas, quorum erat musicis instrumentis psallere. Vnde etiam apparet hoc carmine Leuitas sese mutuo incitare solitos. Mitto id quod obseruat* Kimhi, *in hoc psalmo tredecies* laudandi *vocem vsurpari respectu attributorum tredecim, quibus Deus mundum gubernat. Illa attributa non recenset.*

1 *Laudate Dominum* &c. R. Moses, teste Ezra, per *sanctum* seu *sanctitatem Dei* cælum intelligit; similiter & per *firmamentum virtutis* seu *fortitudinis eius*: quo sensu dicitur psal. 68. 35. *super Israël magnificentia eius, & virtus eius in cælis.* R. Iudas Leuites, eodem teste, sic exponit, Laudate Deum, qui est in sancto suo, hoc est, adyto & templo, & in firmamento virtutis suæ, hoc est, Arcâ. Kimhi per *sanctum Dei* intelligi vult mundum animarum, vt ipse loquitur, hoc est, cælum Empyreum: per *firmamentum* autem *virtutis eius* supremam ac nonam sphæram, & in eâ omnem mundum, siquidem illa arcet & continet vniuersa: proptereáque addi *virtutis eius*: siquidem in ipsâ Dei Opt. Max. potentia maximè conspiciatur. Existimo non abs re fore, & fortasse simplicius, si prius membrum explices, *Laudate Dominum in sanctitate eius*, hoc est, propter sanctitatem eius, Dominum videlicet, qui solus per se est sanctus, & cui vni cętera omnia, quòd sancta sint, acceptum referre debent. Ad hanc expositionem quadrabit sequens membrum, vbi sermo de potentiâ, vt sit sensus, Laudate Deum cùm ob sanctitatem, tum ob potentiam, quę in firmamento, seu, cœlo pręsertim elucet. Facio tamen tuum iudicium. Græc. & Lat. verterunt *in sanctis*; D. Hieron. *in sancto*; Aquila ἐν ἡγιασμένοις; Symm. ἐν τῷ ἁγίῳ. Sept. Exo. 15. 11. vbi hebraicè *magnificus* בַּקֹּדֶשׁ *bakkodesch*, *in sanctitate*, (eadem vox quæ hîc) verterunt ἐν ἁγίοις, *in sanctis*, in neutro genere scilicet; vbi Lat. *in sanctitate*.

2 *Secundùm multitudinem* &c. hoc est, multùm eum laudate, quemadmodum multùm magnus est. Ezra.

3 *In sono tubæ*: &c. Recenset nunc varia istius temporis instrumenta musica, quorum pleráque hodie ignorantur. שׁוֹפָר *schophar*, hoc est, *tubam* corneam quum nominat, intelligit etiam, vti obseruat Kimhi, חֲצֹצְרוֹת *chatsotseroth*, id est, *buccinas* argenteas, aut ex alia quauis materia, quàm ex cornu. *Psalterio*, seu, *nablio*. Decem chordis constare hoc instrumentum notat Ezra. Obseruaui aliàs à Græco & Lat. exponi *nablum*. Et certè vox hebræa נֵבֶל *neuel*, Latinæ originem videtur dedisse.

4 *Tympano*. Hebraicè תֹּף *thoph*, à sono. *Chordis*. Alij vertunt *fidibus*. Hebraicè מִנִּים *minnim*, quod vult quidem Kimhi nomen esse instrumenti musici, sed ignoti. Saadias explicat tanquam מִינִים *minim*, id est, *species*, seu, *genera*, quasi diceretur, in variis generibus musicorum instrumentorum. Ezra ait esse varia instrumenta, quorum vna symphonia.

5 *Cymbalis bene sonantibus*, ad verb. *cymbalis auditus*. Cymbala enim magnum edunt sonum: quo sensu dicitur 1. Paral. 15. 19. *in cymbalis æneis concrepantes*, ad verb. *ad audire faciendum* seu *resonandum*. Ponitur ab Ezra hęc regula ad hunc locum, Nullo pacto possunt cognosci hæc instrumenta musica:

quia inſtrumenta muſica reperiuntur A apud * Iſmaëlitas * Idumæis incognita, ac ſic quoque ea apud Idumæos, de quibus ne auditum quidem peritioribus Iſmaëlitarum. Hoc mihi viſum eſt annotare, ne putes de eiuſmodi rebus anxiè eſſe laborandum.

** Turcas intelligit.*
** Sic Romanos, ſeu, Chriſtianos ignominiæ ergò appellat.*

6 *Omnis ſpiritus* &c. Pſalmi, imò totius operis (nam hunc verſum puto eius eſſe, qui Pſalmos in hunc ordinem digeſſit) breuis concluſio, quâ iubetur quicquid vſquam ſpirat, Deum celebrare. Sunt qui hunc verſum ad hominem reſtringunt, quòd נְשָׁמָה *neſchama*, ſpiritum ſeu animam hominis propriè deſignet. *Alleluia*, ſeu, *Laudate Dominum*. Non alia voce potuit meliùs obſignari Pſalmorum ſeu Laudum liber quàm hac, quæ perpetuò admoneret nos, nunquã vt de Dei laudibus cõticeſcamus, B quúmque conſummauerimus, tunc rurſum incipiamus. Nã quis ſufficit enarrare opera Dei? Neque ego alia voce hos Commentarios obſignabo quàm hac, *Alleluia*, æternáque laus Deo omnium operum authori. Iterum atque iterum

Eccleſ. 18.

LAVS DEO, EIVSQVE MATRI VIRGINI.

HÆC, QVÆ SCRIPSI, ET SCRIPTVRVS SVM vnquam, omnia S. R. E. & Summi Pontificis iudicio ſubmitto.



OMISSA.

Pag. 85. ad verſ. 7 in calce col. 2. adde,

Græcus & Lat. longè aliter hunc verſum expreſſerunt. Nam vbi nos poſt B. Hieronymum *fontes mei*, vterque vertit *habitatio*, ex מְעוֹן *maon*, quod eſt *habitaculum*, pro מַעְיָן *maian*, quod *fontem* ſignificat, neglecto pronomine. Quod item nos, *vt tibicines*, alij autem, *ſicut tripudiant*, ſeu *tripudiantes*, vterque interpretatus eſt in gignẽdi caſu, *ſicut lætantium*, non lõgè profectò à verbi hebraici ſignificatione. Deinde aliter diſtinxerunt, trahentes כָּל־ *col*, (quod reddidimus *omnes*, & cum D. Hieron. conſtruximus, vt par fuit, cum nomine ſequente *fontes*) ad prius membrum, ad iſtum modum, *ſicut lætantium omnium*. Apparet denique manifeſtè, quod nos cum D. Hieron. vertimus *cantores*, ex שָׁרִים *ſcharim*, per ש dexterum, legiſſe illos שָׂרִים *ſarim*, id eſt, *principes*, per ש ſiniſtrum, traxiſſéque ad præcedentem verſum, nonnihil confuſo verborum ordine.

Pag. 88. col. 1. lin. 55 poſt reuia adde, ſi vis,

accentum diſtinguentem

Mox lin. 59. poſt ſequuntur, puncto in virgulam mutato, adde,

præſertim cùm חָפְשִׁי *chophſchi*, id eſt, *liber*, afficiatur accentu miniſtro, & ſenſum continuante Merca. Non leuis eſt momenti argumentum, quod ab accentibus petitur. Neque ſemel Raſi in Commentarijs, ſuam vt probet ſententiam, *Accentus*, ait, *id ipſum arguit*. Docti iudicent.

Pag. 216. col. 1. lin. 47. poſt Hexam. *adde,*

Xenophontem Memorab. lib. 1. Ariſtotelem Polit. lib. 1.

Ibidem, lin. 52. poſt tux, *adde,*

(ſic enim verti poteſt)

Pag. 237. in Argum. lin. 6. ſic lege,

Noë: hæc autem ſunt, de iuſtitia in iudicijs ſeruanda, de benedicendo Deo, de non colendis idolis, de non reuelanda turpitudine, (inceſtum cum propinquis ita ſignificant) de non effundendo ſanguine, de non committenda rapina, de non tollendo ſeu abſcindendo membro ab animali viuente.

Pag. 245. Paraphraſeôs lin. 1. poſt conſalutatus, *adde,*

debellatiſque Palæſtinis, & quotquot ipſum nouum regem, vt ſit, oppreſſum venerant, victor domum reuerſus

Pag. 256. ad verſ. 3. col. 2. lin. 5. poſt eſt *adde,*

Huius loci eſt illud R. Moſis Mikkotſi, in libro Præceptorum magno, Ambulandum in viis Dei bonis & rectis, quia dictum eſt Deut. 28 9. *Suſcitabit (Statuet) te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi, ſi (quum) cuſtodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius.* Et Deut. 13. 4. *Dominum Deum veſtrum ſequimini*, ad verb. *Poſt Dominum Deum veſtrum ambulabitis*, hoc eſt, à Deo veſtrarum actionum exemplum vobis ſumite, Dei veſtigia ſequimini: vt quia nudos ve-

ftit, iuxta illud Gen. 3. 21. *Fecitque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos:* inuifit ægrotos, iuxta illud Gen. 18. 1. *Apparuit autem ei (*Abrahæ fcilicet recens circuncifo, ideòque ægrotanti*) in conualle (Quercubus) Mambre:* lugentes ac mœftos confolatur, iuxta illud Gen. 25. 11. *Et poft obitum Abraham benedixit Deus Ifaac filio eius:* mortuos fepelit, iuxta illud Deut. 34. 6. *Et fepeliuit Deus eum* (Moyfen) *in valle*, feu, *in Gai*, &c. vt quia, inquam, Deus eft clemens & mifericors, faciens mifericordiam, iudicium & iuftitiam in terra: ita & omnibus faciendum fit. Ita ferme ex laudato R. Mofe. Cæterum

Pag. 269. col. 2. lin 45. poft ipfius iudicia. *adde,*

Vide fimile ferme ad verf. 75.

Pag. 289. col. 1. lin. 15. poft commendatur. *adde,*

Quum autem *in lateribus domus tuæ*, hoc eft, in penetralibus ædium ait, fignificare vult fapientem vxorem & confultam domi fe continere claufam, & effe οἰκουρόν: non quemadmodum meretrices faciunt, quæ quietis impatientes, nec valentes confiftere in domo pedibus fuis, nunc foris, nunc in plateis vagantes, (vnde Chaldæo Paraphrafti & Rabbinis meretrix נָפְקַת בָּרָא *naphkath bara*, id eft, *egrediens foras* dicitur) aut pro foribus fedentes amãt fpectaculum fuorum corporum virorum oculis præbere. Qua de re legendus Salomon Prou. 7. & 9.

Pag. 305. col. 1. lin. 33. poft thefauris. *adde,*

Concinna eft allegoria, ad quam detorquet D. Aug. illud, *fulgura in pluuiam fecit.* Minas, inquit, ad mifericordiam flexit, de terroribus irrigauit. Quando de terroribus irrigauit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam & per Apoftolum, & times, nonne corufcatio terruit te? Sed cùm pœnitendo corrigeris & agnofcis hoc mifericordia fieri, in pluuiam vertitur fulguris terror. Ferme eodem modo Caffiodorus, qui fic habet, Prædicationes Prophetarum fulgura funt, cùm percutiunt inimicos: pluuiæ, cùm deuotos à peccatis diluunt, & imbrem eis falutis infundunt, vnde fpirituales germinent fructus, & in maturam meffem, Domino præftante, coalefcant. Poffem eiufmodi multa nunc proferre, nifi effent præter inftitutum noftrum. Sufficiat hoc obiter iis indicaffe, qui rebus iftiufmodi delectantur, vt de reliquis verfibus adeant, fi lubet, ipfos fontes, & qui myfticos fenfus perfequuntur.

Pag. 312. col. 2. in calce, adde,

8 *Dominus perficiet circum me* id quod cœpit. Hanc enuntiationem ftatim refoluit in precationem, qua claudit pfalmum. *Domine*, inquit, *mifericordia tua in æternum*; &c. perinde ac fi diceret, cùm tua benignitas non fit vnius temporis, fed perpetua atque æterna, quemadmodum tu æternus, ne deferito cœptum tuæ erga me benignitatis opus, fed me, quem tui populi regem conftituifti, foue ac tuere, vt hactenus fecifti. *Opera* ait in numero multitudinis, vt non vnum, fed plura beneficia à Deo accepta defignet. *Perficiet*. Græc. & Lat. *retribuet*, ex יַגְמֹל *ijghmol*, pro יִגְמֹר *ijgmor*, י pro ר: quo modo legit & Chald. qui interpretatus eft, *Dominus reddet malum illis propter me.*

COMMISSA.

Pag. 14. *col.* 1. *lin.* 25. vnam. *Pag.* 17. *col.* 1. *lin.* 18. *quofque.* *Pag.* 28. *col.* 1. *lin.* 10. *[illegible]* *Pag.* 36. *col.* 2. *lin.* 27. [illegible] *Pag.* 47. *col.* 1. *lin.* 10. [illegible] *Pag.* 51. *col.* 2. *lin.* 33 *poft* Kimhi *deeft* docere. *Pag.* 60. *in Vet. verf.* dimifi. *Pag.* 81. *col.* 1. *lin.* 12. *poft* fit *deeft* *. *Pag.* 88. *col.* 2. *lin.* 54. præiudicatum. *Pag.* 90. *col.* 1. *lin.* 37. [illegible] *Pag.* 109. *col.* 1. *lin.* 29. tau, *lin.* 30. taua, *lin.* 31. teuith. *Pag.* 147. *col.* 1 *lin.* 8. erit. *Pag.* 175. *col.* 2. *lin.* 1 notat. *Pag.* 185. *col.* 1. *lin* 4. aureo. *Pag.* 241. *col.* 2. *lin.* 42. *pro* à quibus Dauid &c. *lege potiùs* à quibus omnibus aut plerifque faltem, confociatis armis, probabile eft Dauidem ftatim inter initia regni fuiffe infeftatum: etfi id folùm de Philiftæis narret Scriptura, 2. Sam. 5. Vide quod iam de hac re poft Iofephum obferuauimus ad verf. 1. pf. 2. *Pag.* 247. *in Noua verf. ad verfum* 23. exercetur, *in marg.* meditatur. *Pag.* 271. *col.* 2. *lin.* 56. fit. *Pag.* 273. *in Noua verf. ad verf.* 7. *pro* (vir) pacis: *lege potiùs* pacificus: *Pag.* 299. *col.* 1. *lin.* 34. *cappa.* *Pag.* 309. *col.* 1. *lin.* 1. Tigrim. *Pag.* 315. *col.* 2. *lin.* 6. fcilicet. *Pag.* 319. *in Noua verf. ad verf.* 10. *pro* peruerfitas *lege* labor. *Pag.* 328. *col.* 2. *lin.* 5. tenebrofis *abfque puncto.*





INDEX
PSALMORVM ALPHABETICVS.

Quo quisque existat loco paginarum inscriptiones docebunt, si juxta Latinorum quæras numerum, quem, vt familiarem magis, vnicuique Psalmo ad latus hîc appingi voluimus.

AD Dominum cùm tribularer Ps. 119
Ad te Domine leuaui 24
Ad te Domine clamabo 27
Ad te leuaui oculos meos 122
Afferte Domino 28
Attendite popule meus 77
Audite hæc omnes gentes 48
BEati immaculati in via 118
Beati omnes qui timent 127
Beati quorum remissæ sunt 31
Beatus vir qui non abijt 1
Beatus qui intelligit super 40
Beatus vir qui timet Dominum 111
Benedic anima mea 102
Benedic anima mea 103
Benedixisti Domine terram 84
Benedictus Dominus Deus meus 143
Benedicam Dominum 33
Bonum est confiteri Domino 91
CAntate Domino 95
Cantate Domino 97
Cantate Domino 149
Cæli enarrant gloriam Dei 18
Confitebimur tibi 74
Confitebor tibi Domine 9
Confitebor tibi Domine 110
Confitebor tibi Domine 137
Confitemini Domino & inuocate 104
Confitemini Domino quoniam 105
Confitemini Domino quoniam 106
Confitemini Domino quoniam 117
Confitemini Domino quoniam 135
Conserua me Domine 15
Credidi, propter quod locutus 115
Cum inuocarem exaudiuit me 4
DE profundis clamaui 129
Deus auribus nostris audiuimus 43
Deus Deorum Dominus 49
Deus Deus meus respice 21
Deus Deus meus ad te de luce 62
Deus in nomine tuo saluum me 53
Deus in adjutorium meum 69
Deus judicium tuum regi da 71
Deus laudem meam ne tacueris 108
Deus misereatur nostri, & benedicat 66
Deus noster refugium 45
Deus quis similis erit tibi 82
Deus repulisti nos & destru. 59
Deus stetit in synagoga Deorum 81
Deus venerunt gentes in hæredit. 78
Deus vltionum Dominus 93
Dilexi quoniam exaudiet Dom. 114
Diligam te Domine fortitudo 17
Dixi custodiam vias meas 38
Dixit Dominus Domino meo 109
Dixit injustus, vt delinquat 35
Dixit insipiens in corde suo 13
Dixit insipiens in corde suo 52
Domine clamaui ad te exau. 140
Domine Deus meus in te speraui 7
Domine Deus salutis meæ 87
Domine Dominus noster 8
Domine exaudi orationem meam, & clamor 101
Domine exaudi orationem meam auribus 142
Domine in virtute tua lætabitur 20
Domine ne in furore tuo arguas 6
Domine ne in furore tuo arguas 37
Domine non est exaltatum cor 130
Domine probasti me, & cog. 138
Domine quid multiplicati 3
Domine quis habitabit 14
Domine refugium factus es nobis 89
Domini est terra & plenitudo 23
Dominus illuminatio mea 26
Dominus regit me 22
Dominus regnauit decorem 92
Dominus regnauit, exultet 96
Dominus regnauit, irascantur 98
ECce nunc benedicite Domino 133
Ecce quàm bonum 132
Eripe me de inimicis 58
Eripe me Domine ab homine 139
Eructauit cor meum verbum 44
Exaltabo te Domine quoniam 29
Exaltabo te Deus meus Rex 144
Exaudiat te Dominus in die 19
Exaudi Deus deprecationem 60
Exaudi Deus orationem 54
Exaudi Deus orationem meam 63
Exaudi Domine justitiam meam 16
Expectans expectaui Dominum 39
Exultate Deo adjutori nostro 80
Exultate justi in Domino, rectos 32
Exurgat Deus, & dissipentur 67
FVndamenta ejus in montibus sanctis 86

INclina Domine aurem tuam 85
In conuertendo Dominus captiuitatem 125
In domino confido, quomodo 10
In exitu Iſraël de Ægypto 113
In te Domine ſperaui, non confundar 30
In te Domine ſperaui, non confundar 70
Iubilate Deo omnis terra 65
Iubilate Deo omnis terra, ſeruite 99
Iudica Domine nocentes 34
Iudica me Deus, & diſcerne cauſam 42
Iudica me Domine, quoniam 25
LÆtatus ſum in his quæ dicta 121
Lauda anima mea Dominum 145
Lauda Ieruſalem Dominum 147
Laudate Dominum de cælis 148
Laudate Dominum in ſanctis 150
Laudate Dominum omnes gentes 116
Laudate Dominum quoniam bonus 146
Laudate nomen Domini 134
Laudate pueri Dominum 112
Leuaui oculos meos in montes 120
MIſerere mei Deus ſecundùm 50
Miſerere mei Deus quoniam 55
Miſerere mei Deus, miſerere 56
Miſericordiam & judicium 100
Miſericordias Domini in æternum 88
Magnus Dominus & laudabilis 47
Memento Domine Dauid 131
NIſi Dominus ædificauerit 126
Niſi quia Dominus erat in 123
Noli æmulari in malignantibus 36
Nonne Deo ſubjecta erit 61
Notus in Iudæa Deus, in Iſraël 75
OMnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo 46
PAratum cor meum Deus, paratum cor meum 107
QVàm dilecta tabernacula 83
Quare fremuerunt gentes 2
Quàm bonus Iſraël Deus 72
Quemadmodum deſiderat ceruus 41
Qui confidunt in Domino, ſicut 124
Quid gloriaris in malitia 51
Qui habitat in adjutorio Altiſſimi 90
Qui regis Iſraël intende 79
SÆpe expugnauerunt me à iuuentute 128
Saluum me fac Deus, quoniam def. 11
Saluum me fac Deus, quoniam int. 68
Si verè vtique iuſtitiam loquimini 57
Super flumina Babylonis illic 136
TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur 64
VEnite exultemus Domino 94
Verba mea auribus percipe 5
Voce mea ad Dominum 76
Voce mea ad Dominum 141
Vſquequo Domine obliuiſceris 12
Vt quid Deus repuliſti in finem 73



RERVM, LOCVTIONVM, VERBORVM, quæ hisce in Commentarijs explicantur,

INDEX.

PRIOR NVMERVS PSALMVM, ET IVXTA *Hebræorum numerum quidem, alter verò Psalmi versum notat.*

A



BIMELECH cognomen omnium Regum Philistæorum. ps. 34. 2.
Abrahami semen in sacris Scripturis est semen Israël, ad quod pertinuit repromissio. psal. 105. 6
Absalomus blanditiis cor virorum Israël furabatur. ps. 55. 4
Absalomus voti soluendi prætextu Hebronem cùm adiisset, coniurationem contra patrem instituit. ps. 4. 6
Abyssus abyssum vocat quid. ps. 42. 8
Absconditum Dei. ps. 17. 14
Acetum habere in pectore. ps. 73. 21
Accipere opprobrium ore vel aure. ps. 15. 3
Accentuũ Hebraïcorum distinctio non leuis momenti ad intelligentiam sacræ Scripturæ. ps. 88. 6 in omissis pag. 88. col. 1.
Achitophel præceptor Dauidis idémq; consiliarius prudentissimus. ps. 55. 14
Achitophel quî intelligatur descendisse in infernum viuens, quum laqueo mortem sibi consciuerit. ps. 55. 16
omnem interpretationem, quæ Accentibus non est consona, ne teneto. ps. 40. 6
Adam hominem vt terrenum & ex argilla factum significat. ps. 8. 5. & passim.
Adjectiuum aliquando includit ipsum substantiuum. ps. 73. 9
Adipe os concludere quid. ps. 17. 10
Adipem vocant sacræ litteræ quidquid optimum in suo genere. ps. 147. 14
Adorare principes osculo manuum mos erat in Palæstina. ps. 2. 12
Adorare in timore Dei. ps. 5. 8
Adoratio debet esse conjuncta cum timore, & lætitia. ps. 96. 9. & ps. 99. 1
in Aduersis difficile discernere quid oporteat sequi. ps. 25. 4
quo fine ab Aduersis liberari cupere debemus. ps. 109. 27
Adulterium cum Bethsabee commissum Dauid vocat delictum magnum, multum. ps. 25. in arg. & vers. 11.
Adulteri in profundum inferni detruduntur, seu infernum inferiorem. ps. 86. 13
Agar cum Ismaële adolescentulo in solitudine Bersabee errans aquam impetrat. ps. 107. 6
Agareni qui. ps. 83. 7
Ægroto solamen visitari ab amicis. ps. 38. 12
Ægroti interdum vel ab amicis deseruntur. ibid.
in Ægyptios Deus licet seuerè, justè tamen tot plagis inflictis animaduertit. ps. 78. 50
Ægyptij à Cham & Mesraim prognati. ps. 78. 51 & ps. 105. 23
Ægyptij mari rubro, pluuia, grandine, & fulmine simul oppressi. ps. 77. 18
in Æternitate nil præteritum, aut futurum. ps. 2. 7
nomina Æternitatem & victoriam significantia paronyma. ps. 4. 1
Afflictiones trãsitui maris rubri similes, malis exitio, bonis saluti. ps. 34. 21
Afflictiones quo animo suscipiendæ. ps. 6. 2
Aduersis rebus Deus justos probat, vt metalla per fornacem probantur. ps. 11. 5. ps. 66. 10
Afflictio hominem satiat. ps. 42. 4
Afflictionum piis aliàs immissarum recordatio in nostris rebus afflictis solatio est. ps. 119. 52
Afflictorum à Deo cum seruis ab hero vapulantibus comparatio elegans. ps. 123. 2
Afflictionum fructum qui cupit percipere, Iob Patriarchæ patientiam debet imitari. ps. 37. 34
valde Afflicti cum mortuo eximia comparatio. ps. 88. 6
ab amicis deseri in rebus Afflictis extrema miseria. ps. 88. 19
in Afflictis rebus Deum habere socium, magnum solatium. ps. 91. 15
Alamoth instrumentum musicum. ps. 46. 1
Alienigenarum nomine quinam intelligendi in Psalmis. ps. 60. 10
Alienigenæ, Allophyli & Palæstini. idem. ps. 83. 8
Al-muth Labben quid significet. ps. 9. 1. & ps. 48. 15
Alphonsus Rex consiliarios optimos mortuos esse dicebat. ps. 119. 24

Altè eſſe iudicia Dei quid. pſ. 10.5
Al-taſchcheth quid ſignificat. pſ. 57.1
Ambulantes in viis Dei qui. pſ. 128.1
Ambulare coram Deo. pſ. 56.14
Ambulare ad Deum, cum Deo. ibid.
Ambulare in veritate Dei quid. pſ. 26.3
Ambulare in conſilio impiorum quid. pſ. 1.1
Ambulare dicit perpetuum motum, negatq; moram in loco. ibid.
Ammonitas qui reperti ſunt in Rabbath, ſerris ſecari & carpentis ferratis proteri iuſſit Dauid. pſ. 18.43
Ammonitarum bellum in Dauidem quantum fuerit. pſ. 20. in arg.
Angelus diſperdens vocatur Ira. pſ. 7.7
Amor ſummum & vltimum quod poteſt homo in hac vita, vt ad Creatorem accedat. pſ. 18.2
Amorrhæi omnium populorum, quos Iſraelitæ debellarunt, potentiſſimi. pſ. 135.11
Angelorum plura millia interdum mittit Deus in auxilium pii alicuius. pſ. 34.8
Angeli ex Hebræorum ſententia manè τρισάγιον Eſaiæ Deo canunt. pſ. 63.2
Angeli mirabilia magna. pſ. 136.4
Angeli potentes virtute. pſ. 103.20
Angeli reliquas creaturas ad concinendas Dei laudes præire debent. pſ. 148.2
Anguſtiæ dilatatæ, id eſt multiplicatæ. pſ. 25.17
iis qui in Anguſtia ſunt poſiti, Deus facilè exoratus opem fert. pſ. 54.6
Aniiim inopes & afflictos ſignificat. pſ. 12.6
Animam adhærere poſt Deum quid. pſ. 63.9
Animæ ſuæ benedicere quid. pſ. 49.19
Accipere in vanum animam ſuam quid. pſ. 24.4
Anima è corpore exiens effunditur. pſ. 141.8
Animam eſſe vel ponere in manibus quid. pſ. 119.109
Animam ſilere ad Dominum quid. pſ. 62.2
Anima in corpore velut ſopita & ſepulta. pſ. 17.15
Anima vnica vocatur, quare. pſ. 22.21 ſic pſ. 35.17
Anima voluntatem ac deſiderium ſignificat. pſ. 27.12
Anima ſumpta pro cadauere. pſ. 30.10
Anima orba, quæ corpore exuta. pſ. 35.12
Animam effundere in ſe. pſ. 42.5. col. vtraque.
Anima pro quo ſumatur. pſ. 3.3. pſ. 17.9 & pſ. 31.10
Anima Iuſti cognitione Dei plena à corpore veluti decerpitur ad vitam æternam iuxta Ezram. pſ. 1.3
Anima mea. pſ. 6.5
Anima hominis ſimilis Angelis, infra tamen Angelos eſt. pſ. 8.6
Ab anno vigeſimo & deinceps qui ſciens & prudens peccat, dicitur admittere rebellionem in Deum. pſ. 25.7
Anni dexteræ Excelſi. pſ. 77.11
Annus olim ſolùm in æſtatem & hyemem diuiſus. pſ. 74.17
Antecedens ſæpe omittitur in ſacris litteris. pſ. 28.8
Antemurale quid. pſ. 48.14
Amen quid ſignificet, & quis eius vſus in precibus. pſ. 41.14
Amen Hebræis triplex, pupillum, raptum, ſectum. ibid.
Apes in terra Chanaan in petris & rupibus mellificant. pſ. 81.17
Apoſtatæ mulieri adulteræ comparati. pſ. 73.27
Aquæ initio creationis, terræ inſtar veſtimenti circumfuſæ. pſ. 104.6
Aquas amaras Moyſes in deſerto iniecto quodam ligno dulces reddidit. pſ. 106.13
Aquarum dulcium fontes in mari Iſraelitis apertos vult Raſi. pſ. 78.15
Aquę potu bonos milites explorauit Gedeon. pſ. 110.7
Aquę in ſacris litteris pericula & calamitates ſignificant. pſ. 18.17. pſ. 32.6. & pſ. 66.12
Aqua ſuperba, id eſt exercitus hoſtilis ſuperbus. pſ. 124.5
Aquilam decimo quoque anno renouari aſſerunt Rabbini. pſ. 103.5
Aquila auium viuaciſſima. ibid.
Aram, id eſt, Syria. pſ. 60.2
ad Aras confugiebant alicuius criminis rei. pſ. 27.5
Ara ſiue aſylum proderat tantùm ei, qui hominem errore & imprudens occidiſſet. ibid.
Arborum ad aquarum fluenta conſitarum folia decidunt, ſed non in ſummis caloribus. pſ. 1.3
Arbores Domini, quæ à terra ſponte producuntur. pſ. 104.16
Arbores infructuoſæ nidis auium tantùm inſeruientes. pſ. 104.17
Arca fœderis, Dei nomine interdum nuncupatur. pſ. 47.6
Arca quoties leuabatur, vt in alium locum aſportaretur, aut quoties deponebatur, quid dicere ſolebat Moyſes. pſ. 132.8
Arca fœderis varia in loca ſubinde tranſlata, tandem in templo Salomonis fixo illius domicilio collocata. pſ. 24.7
Arca quum in bellum deferretur, victoriam Iſraelitę ſolebant reportare. pſ. 24.8
Arca ex quo in templum illata, in bellum non fuit tranſuecta. pſ. 24.10
Arca fortitudo, virtus, gloria Iſraelitarum dicitur. pſ. 63.3. pſ. 78.61
Adytum ſeu Arcę locus ex Kimhi inſtar ſcalæ, quâ oratio feratur in cœlum. pſ. 28.2
Arenæ ardentes in Africa quales. pſ. 11.6
Arundo ſumpta pro lancea. pſ. 68.31
Aſaph Pſalmographus, muſicę à Dauide præfectus, ſublimiſque in ſcribendo ſtyli. pſ. 73.1
Aſaph etiam alter in captiuitate Babylonica. pſ. 74. in arg. & 77. in arg.
Aſaph Pſalmographus & Propheta. pſ. 50.1
Aſchre ſecundum Kimhi quid ſignificans. pſ. 1.1
Aſchre aduerbium *beatè* ſignificans. pſ. 1.1
Aſinorum primogeniti, licet animalia immunda, cur redimebantur. pſ. 145.18
Aſpidis artificium, ne incantationibus vincatur. pſ. 58.5
Aſſentatoris deſcriptio. pſ. 35.16
Aſſyrii Hieroſolymam obſidentes, quum ſomno indulgerent, morte excepti ſunt. pſ. 76.6
Athnach accentus diſtinguens, in Pſalmis quando diſtinguat, quando verò non. pſ. 17.10
non ſemper diſtinguit in Pſalmis, Iob, Prouerb. pſ. 20.10
Auaris nunquam ſatis. pſ. 37.16
Auditus auris quid. pſ. 18.45
Aues aquę naturæ. pſ. 104.12
Auguria & diuinationes vanitates mendacii nuncupantur. pſ. 31.7
Aularum familiare vitium calumnia, ſicut ſuperbia & contemptus. pſ. 31.19
Aulici anxii & ſolliciti. pſ. 52.2

Aulici in eoſdem in quos rex, odium aut amorem facilè concipiunt. pſ. 62. 4
Aulici ſplendidè mendaces. pſ. 5. 7
penes Aulicos & nobiles præcipuus armorum vſus. pſ. 22. 21
Aures rectè dicuntur à Deo plantatæ. pſ. 94. 9
Aures alicui fodere quid. pſ. 40. 7
Aures ſeruis in ſeruitute ſponte permanentibus ſubula perfodiebantur. pſ. 40. 7
Auſtro flante torrentes augentur. pſ. 126. 4
Auxilium Dei nunquam fruſtra implorauit, qui ei ſe ex animo commendauit. pſ. 16. 1
Auxilium Dei velox. pſ. 30. 5
Auxilium Dei miſericors vnum, iuſtum alterum. pſ. 7. 11

B

BAbylonem vaſtauit Darius Medus. pſ. 137. 8
Baſan regio fuit in terra Iſraëlitica, optimis paſcuis abundans. pſ. 22. 13
ex Baſan reducere prouerbialis loquendi forma. pſ. 68. 23
ex Baſan Iſraëlitæ multam prędam abegerunt. pſ. 68. 23
Beatum eſſe qui Deum timet. pſ. 112. toto, & in arg.
Beatum eſſe qui obſeruat mandata diuina. pſ. 128. toto. pſ. 119. paſſim.
Beliiaal. pſ. 18. 5. pſ. 41. 9
in Belluas quomodo homo ſe gerere debeat. pſ. 145. 9
an in Belluas cadat iuſtitia. pſ. 145. 18
Benedicere ſe in aliquo quid ſit. pſ. 21. 7 & pſ. 72. 17
Benedicere fructui ventris, terræ, iumentorum. pſ. 144. 12
Benedicere Deo, & Deum alicui benedicere quid. pſ. 103. 1
Benedicentes ſacerdotes populo nomen Dei adiungere debebant. pſ. 118. 26
Benedicere Deo quomodo creaturæ omnes, etiam ſenſu carentes, poſſunt. pſ. 103. 22
Beneficia Dei quomodo retributiones appellentur. pſ. 103. 2
Beneficentia & fides in pactis coniunctæ. pſ. 85. 11
pro Beneficiis à Deo acceptis ſaltem gratiarum actione & laudum eius celebratione reſpondere debemus. pſ. 147. 7
Benedicere Dei eſt benefacere, & benedictio bonorum acceſſio. pſ. 67. 2
Beneficio nouo accepto pręterita tenetur homo celebrare. pſ. 9. 2
tribus Beniamitica prima omnium mare ingreſſa, ideóque prima regni prerogatiuâ donata. pſ. 68. 28
Bethlehem, id eſt domus panis. pſ. 132. 6
Bona opera. pſ. 25. 7
Bona pro malis inimicis retribuenda. pſ. 41. 11
Bona opera quomodo palàm, quomodo clàm facienda. pſ. 116. 14
Bona omnis generis Iſraëlitis Deus promiſerat, ſi eius mandata ſeruarent. pſ. 144. 15
Bonos viros verè eſſe beatos. pſ. 1. 1
Boni vnum tantùm genus non ad beatitudinem ſatis. ibid.
Boni lętantur de malorum opibus, & quomodo. pſ. 4. 8
Bonum noſtrum nil ad Deum. pſ. 16. 2

C

CAcodæmonum opera vtitur Deus in ſceleratis puniendis. pſ. 78. 49
deſertum Cades quale. pſ. 29. 8
Cæcitas oculorum & cordis ſimul qualis. pſ. 69. 24
Cæcitatem peccatoribus quomodo Deus offundat. ibid.
Calamitates ac pœnas quoties Deus nobis immittit, quaſi demenſum diſtribuere dicitur. pſ. 60. 5
Calamitoſo calamitatem addere ſæuitię belluinæ. pſ. 69. 27
Calcaneus finis cuiuſque rei appellatur. pſ. 49. 6
Calceamentum proiicere in aliquam terram. pſ. 60. 10.
Calix ſalutum. pſ. 116. 13
Calumniatores prouidentiam Dei negant. pſ. 64. 6
Canes pro quibus ſumpti. pſ. 22. 17. & 21
in Canticis quamuis ſint perſonæ variæ quæ loquantur, reticentur tamen ex elegantia canticis peculiari. pſ. 118. in arg.
Cantica graduum quæ. pſ. 120. in arg.
Canticum nouum quid. pſ. 149. 1
exaltans Caput meum. pſ. 3. 4
Capitis erectio ſignum tranquilitatis animi & fiduciæ, deiectio verò capitis contrà ſignum triſtitiæ. pſ. 3. 4
Captiuitas Babylonica tertiam partem captiuitatis Ægyptiacæ durauit. pſ. 80. 6
Carbones ignis quid. pſ. 18. 13
Carceris vmbræ, vmbræ mortis dicuntur. pſ. 107. 10
è Carcere clamantes Deus exaudit. pſ. 107. 13. & ſeq.
Carnis nomine, vbi ponitur ſine adiectione, homines intelliguntur. pſ. 65. 3. pſ. 145. 22
Carnem requieſcere in ſpe quid ſit. pſ. 16. 9
Carnes Iſraëlitis in deſerto conceſſę maciem induxerunt. pſ. 106. 15
Caſtigationis finis eruditio. pſ. 55. 1
Cedareni qui. pſ. 120. 5
Cedri Libani. pſ. 29. 5
Ceruarum fœtus tonitrui metu facilè excutitur. pſ. 29. 9
de Cerui pietate quę nugentur Rabbini, & quî à Deo impetret aquam. pſ. 42. 2
Cerua quî difficultate partus leuetur ex Raſi. ibid.
inimicos dare Ceruicem quid. pſ. 18. 41
Comparatio elegans animę Deum deſiderantis cum Ceruo aquas deſiderante. pſ. 42. 2
Cherub Ezechieli animal alis pręditum. pſ. 18. 11
Cherubinorum arcæ operculo impoſitorum figura qualis. ibid.
Chattaim quid ſignificet. pſ. 1. 1
Chriſtus filius Dei. pſ. 2. 7
Chriſtus ſe filium hominis vocat. pſ. 8. 5
Chriſto vti capiti competit primò quicquid de hominis dignitate dicitur. pſ. 8. 6
Chriſtus non vidit corruptionem. pſ. 16. 10
Chriſtus ſtella. pſ. 22. in arg.
Chriſtus cerua matutina. ibid. 1
Chriſtus quî ſe à Deo derelictum exclamabat. ibid. 2
Chriſtus delicta noſtra vocat ſua. ibid.
Chriſtus vermis, deſpectus, & hominum miſerrimus. pſ. 22. verſ. 7. 8. 9. &c.

Christus Christianos vocat fratres. ps. 22.23
Christus suo Messias lux. ps. 43.3
quod ad Christi prænuntiationem pertineret, nil se in sacris litteris reperisse affirmabat Faustus Manichęus. ps. 45. in arg.
Christus pulcher corpore & animo. ps. 45.3
Christus gessit bellum Legis. ibid. 4.
Christi gladius quis. ibid.
Christus Deus probatur contra Iudęos. ps. 45.7
Christus vnctus. ibid. 8
Christus cornu salutis, germen iustitię, germen Domini, &c. ps. 67.7. ps. 131.17
Christus lapis angularis, quem ędificantes, hoc est, Sacerdotes & Scribę reprobabant. ps. 118.22
Christus vt pluuia stillans super herbam sectam. ps. 72.6
post Christum natum iustitia & pax perpetuum duraturæ. ps. 72.7
Christi natiuitas pura instar roris purissimi. ps. 110.3
euangelii Christi lux auroræ, doctrina eius rori comparata. ibid.
Christi principatus Sacerdotium. ps. 110.1.4. &c.
Christus veritas è terra orta. ps. 85. 12
Christus ex Virgine, tanquam flos è terra intacta neque arata, oritur. ps. 85. 13
quicquid aduersi piis qualibet ętate contigit, ad Christi passionem allegoricè, quoad fieri potest, est referendum. ps. 69. in arg.
Christus innocens pœnas luit. ps. 69.5
Christus Iudex terrę. ps. 96.13
in Christi regno ingens prouentus & copia diuini verbi, sicut in regno Salomonis ingens hominum & frugum copia. ps. 72.16
Christus è periculis & ęrumnis vitę huius se liberatum iri certò sciens, sacrificium & conuiuium, vt solebant qui à periculis erepti, instituit ex corpore & sanguine suo. ps. 22.27
Christum omnes reges quomodo dicuntur adorare. ps. 72.11
Christus habuit iudicia Dei. ps. 72.1
Christo nato repleta est terra cognitione Domini. ps. 72.5
Christi in cœlum ascensio prędicta. ps. 68.19
historię passionis Christi fidem vt labefactarent Iudęi, textum versus 17. psalmi 22. deprauarunt: sed eorum scelus validis argumentis conuincitur. ps. 22.17
in Christo quomodo benedicuntur omnes gentes. ps. 72.17
Christus ad Iudęos missus ex promisso, ad Gentes verò ex misericordia. ps. 117.2
Chus quid significet. ps. 7.1
Ci particula vel *quoniam* vel *certè* redditur. ps. 10.14
in Circuitu impii ambulant. ps. 12.9
Clamare in gutture quid. ps. 149.6
Clangor nota & signum Dei presentię. ps. 89.16
Claudicatio sumpta pro quouis infortunio. ps. 35.15
Cœli ex Ezra decem, quorum vltimum est solium glorię siue cœlum Empyreum. ps. 8.4
Cœlorum ciues qui sint futuri. ps. 15. in arg.
Cœli inclinati. ps. 18.10
Cœli dicuntur enarrare gloriam Dei per prosopopœiam. ps. 19.2. ps. 148.3
Cœlis vitam, intelligentiam, & Dei cognitionem, minorem quidem quàm angelis; at maiorem, quàm hominibus tribuit Rabbi Moses. ps. 19.2
Cœli interdiu per solem, noctu per lunam & stellas Deum prędicant. ibid.
Cœlum thesaurus Dei. ps. 135.26
Cœli cœlorum quid. ps. 148.4
Cœli Empyrei ex Rabbinis descriptio. ps. 148.4
Cœli etsi muti loquuntur. ps. 19.5
in Cœlis tanquam in volumine gloria Dei legenda proponitur. ibid.
Cœli & terra quomodo peritura dicuntur. ps. 102.27
Cœli confitentur veritatem Dei. ps. 89.6
Cœlum & terram testes adhiberi moris est in sacris litteris, cùm de aliqua re graui agitur. ps. 50.4
Cœli antiquitatis. ps. 68.34
Cœnomyia quid. ps. 78.45
Cogitationes hominum in Dei thesauris. ps. 33.15
Cognoscere sumptum pro curare. ps. 31.8
Cognoscit Deus omnia mirabili modo. ps. 139. toto.
in Collibus excelsa siue altaria idolorum extrui solita. ps. 78.58
è Coloribus ater mala, candor verò prosperitatem designat in sacris litteris. ps. 68.14
Coma promissa seritatis indicium. ps. 68.22
Comparationes à rebus maximè obuiis in sacris litteris valde frequentes & suaues. ps. 29.6
Concordia commendatur. ps. 133. toto.
Concordia roti comparata. ps. 133.3
Concupiscentia bona puero pauperi sapienti, mala verò Regi seni stulto comparatur. ps. 51.7
Concupiscentia rete. ps. 25.15
Concupiscentia praua, oppressio hominum. ps. 119.134
praua Concupiscentia, Deus in corde hominis extraneus. ps. 81.10
Confessio ingenua peccatorum Deum ad misericordiam mouet. ps. 106.6
Confessio, vituli labiorum. ps. 50.14
Confessione syncera se à peccatis liberatum Dauid affirmat. ps. 32. in arg.
Confracti corde, id est, qui à peccatis resipiscunt. ps. 34.18
Confracti corde & contriti spiritu qui, ps. 34.v.19. in omissis pag. 155. col. 2
Cōfundi pro pudefieri solet vsurpare Latinus psalmorum interpres. ps. 22.6
Coniugis & concubinarum differentia. ps. 45.10
Conseruat ita quę fecit Deus, vt verè semper posfit dici facere. ps. 33.7
Consilia rerum struendarum fundamenta. ps. 11.3
Consolatio filii matri tribuitur potius quàm patri. ps. 35.14
Consolationes abundantiores passionibus. ps. 94.19
Contemplatio operum Dei ad eius cultum pertinet. ps. 28.5
Contradictiones populi quid. ps. 18.44
Contritio & pœnitentia acceptior Deo quàm sacrificia. ps. 51. 18. & 19
nisi nos Conuertat ad se Deus, nunquam ad illum conuertemur. ps. 80.4
Conuiuas suos Israëlitę balsamo, aut aliis vnguentis fragrantibus perfundebant, si quando eos lautè excipiebant. ps. 23.5
Conuiuia sacra post oblatas victimas celebrare solebant periculis aliquibus defuncti. ps. 116.13
Cor Ægyptiorum, vt Israëlitas haberent odio, quomodò conuertere Deus dicatur. ps. 105.25

Cor viuere, cor vulnerari. pſ.22. 27
in Corde & corde loqui. pſ. 12. 3
Cordis & animi clamor. pſ. 142. 1
Core, Dathan & Abirom viui in ſepulchrum, non in infernum detruſi. pſ. 6. 6
Core & On cùm in Moyſem & Aaronem conjuraſſent, an eodem inuoluti ſupplicio ac Abirom, & Dathan. pſ. 106. 17
Coritæ janitores templi. pſ. 84. 11
conuerti ad Cor quid. pſ. 85. 9
Cornu vnicornis longum duos cubitos. pſ. 92. 11
Corpus folium. pſ. 1. 3
Correptionis expertes adulterini, non filii. pſ.6.2
Correptio iuſti miſericordiæ loco. pſ. 141. 5
Coruorum pullis eſcam ſuam cur Deus pręparare dicatur. pſ. 147. 9
Corui pullos deſerunt. pſ. 147. 9
Corui obliuioſi. ibid.
Coturnices auſtro flante delatæ in caſtra Iſraëlitarum in deſerto, cùm tamen, illo flante, præ humiditate non volent. pſ.78.26
Creationem mundi pręceſſere res ſeptem ex Rabbinis, quarum vna nomen Meſſiæ. pſ. 72. 17
Creaturæ omnes ſerui Dei. pſ. 119. 91
Creaturæ omnes etiam ſenſu carentes quomodo Deum laudent. pſ. 148. 3. pſ. 69. 35
Crux interpretum ſacræ ſcripturæ Pſalmus ſexageſimus octauus. pſ.68. 36
Cum ſole, coram domo, ante lunam, id eſt, ſtante ſole, templo, luna. pſ. 72. 5
Cupiditatibus & libidine obcęcati hominis deſcriptio. pſ. 36. 4
Cuſtodire viam graſſatoris, horti, &c. quid ſit. pſ. 17. 4. pſ. 67. & 69
Cuſtodire vt pupillam filiam oculi. pſ. 17. 8

D

DAgon Deus Philiſtæorum quomodò ſenſerit potentiam Dei ad conſpectum Arcæ. pſ. 96. 4
Daniel ex ſtirpe Dauidis. pſ. 64. 11
Danieli quicquid erat euenturum pręd ixit Dauid. pſ. 64. 11
Danieli ruinam machinati ſunt Exarchi & Satrapę Regis Babylonis. pſ. 64. 2. & 6. pag. 324
Danielis accuſatores ſubita ruina inuoluti. pſ.64.8
Dauid ex aula Saulis cùm exularet, rerum omnium inopiâ valde laborabat. pſ. 86. in arg.
Dauid in omnibus periculis jeiunat. pſ. 109. 24
Dauid partem vnam noctis, vigiliam ſcilicet primam, ſomno impendebat, reliquam meditationi diuini verbi, ex Kimhi. pſ. 119. 148
Dauid è Ceila, Sauli ne traderetur, aufugit. pſ. 31. 9
Dauid in deſerto Maon à Saule pene comprehenſus. ibid.
Dauid fame de vita ſępe periclitatus, vt cùm panes ſacros ab Achimelech accepit. pſ. 31. 10
Dauid poſt occiſum Goliath Sauli vehementer odio fuit. pſ. 31. 11
Fuga Dauidis ad Achis regem Geth depicta. pſ. 34. in arg.
Dauid apud Achis ſimulauit inſaniam. pſ. 34. 1
Dauid quid ſcripſerit in foribus Achis. ibid.
Dauid pro inimicis ægrotantibus ieiunauit, & ſaccum induit. pſ. 35. 13
Dauid qui imperarit vſque ad terminos terræ. pſ. 2. 8
Dauid preces, quas ſeriò in mediis periculis conceperat, liberatus verſibus complexus eſt. pſ. 3. in arg.
Dauid fugiens Abſalomū aſcendit per cliuum Oliuarum, vnde mons Motia conſpiciebatur, Deum inde adoraturus. pſ. 3. 5
Dauid non emendari à Deo recuſat & corripi, ſed in furore & in ira. pſ. 6. 2
Dauid morbum ſibi à Deo immiſſam agnoſcit. ibid.
Dauid cur ſub nomine alieno in Saulem inuectus ſit. pſ. 7. 1
Dauid præ fiducia ante victoriam encomium canit. pſ. 10. 16
Dauid omnes ferè pſalmos, in quibus Dei auxilium implorat, gratiarum actione claudit. pſ. 10. 16. D.
Dauid prædicit captiuitatem Babylonicam. pſ. 14. 7
Dauid vidit corruptionem. pſ. 16. 10
Dauid domi obſeſſus à militibus Saulis pſalmum edit. in arg. pſ. 59
Dauid petit à Deo otium & pacem, vt liberiùs ſacram ædem ſiue Tabernaculum adire poſſit. pſ. 27. 4
Dauid in prælio laſſus pene ab Ieſbi-benob eſt confoſſus. pſ. 28. 7
Dauid, qui in omnibus fuit typus Chriſti, multa ſæpe dicit, quæ non tam ſibi conueniant, quàm Chriſto. pſ. 2. in arg. & pſ. 16. in argum.
Dauid etſi grauiter à Saule vrgeretur, nunquam tamen adduci potuit, vt ei violentas manus inferret. pſ. 18. 22. & 24
Dauid arcus ęreos habebat, quos tendebat, ex Raſi. pſ. 18. 35
Dauid mendicum ſe & pauperem dicit. pſ. 40. 18
Dauid exauditus igne cœlitus miſſo in holocauſtum. pſ. 132. in arg.
Dauid demonſtratum ab angelo locum deſignat ad ſtructuram templi. ibid.
Dauid in ſpelunca loquitur, ſed prophetat in Chriſto. pſ. 142. in arg.
Dauid ad auxilia humana quî confugerit. pſ. 142. 5
Dauidi familiare eſt pſalmos, in quibus liberationem petit, gratiarum actione claudere, paſſim, vt pſal. 59. 17
Dauid ſubactis Moabitis, Philiſtæis, Syria interamni, & Syria Soba, Idumæos in Valle ſalinarum etiam deuicit; quæ victoria quomodo Ioabo & Abiſai tribuatur, vide pſ. 60. 2
Dauid, viuente etiam Saule, ſe regem appellat. pſ. 61. in arg. pſ. 63. 12.
Dauid exulans nulla ex re tantum doloris cepit, quàm quòd abeſſet à Dei Tabernaculo. pſ. 61. 5.
Dauid quòd apud vrbem Noben ab Achimelecho panem & arma accepiſſet, occaſio fuit cædis illius & reliquorum Sacerdotum. pſ. 52. in arg.
Dauidis regnum fuit in omnibus exemplar regni Chriſti. pſ. 2. in arg.
de Dauide, vt de typo, ſi fieri poteſt, primò omnia ſunt intelligenda, quæ dicuntur de Chriſto. ibid.
Dauidem optimè dici à Deo acceptum in filium, quo die vnctus eſt in regem, Hebræi contendunt. pſ. 2. 7
Didacticon præfigitur ijs pſalmis, in quibus Dauid

refert se diuinitus castigari. ps. 55.1
Dauid coram Achis insaniam simulans columbæ se comparat. ps. 56.1
Dauid mandata diuina semper obseruauit, & toto corde post Deum ambulauit, præterquam in re Vriæ Hettei. ps. 119.51
Debora & Barac ducibus Sisara & Iabin confecti. ps. 83.10.
Dentes peccatorum quid. ps. 3.8
Deduci ad nihilum, contemni. ps. 15.4
Derelictus quis dicatur. ps. 37.25
impiis Derisoribus nulla pestis maior esse potest. ps. 1.1
Descendere in infernum viuentes cum armis suis quid significet. ps. 55.16
Desiderium humilium quid sit. ps. 10.17
Desiderabile hominis, id est, corpus, &c. ps. 39.12
Deuer & Ketem nomina dæmonum. ps. 91.6.
Deus de bono & malo laudandus. ps. 56.11
Deus cum lætitia & timore colendus. ps. 96.9. & ps. 99.1
Deus miserator, misericors & patiens, quomodò. ps. 145.8
Deus æternus. ps. 102.25. & seq.
Deus lentus ad iram. ps. 103.8
Dei in homines beneuolentia qui paterna, qui materna. ps. 103.13
Deus ab Hebræis locus appellatur. ps. 104.2
Deus propter nomen suum saluauit Israëlitas ab Ægyptiis. ps. 106.8
Deus in Arca & inter homines habitare dicitur. ps. 78.60
Deus piis afflictis opem laturus crapulato vt fortiùs ac potentiùs agenti comparatur. ps. 78.65
Deus iurat per semetipsum, iurat semel. ps. 89.36
Dei opus proprium suos defendere, extraneum punire. ps. 90.16
Deus ad opem nobis ferendam veluti excitandus. ps. 91.15
Dei gloria apud homines miraculis & beneficiis crescit. ps. 40.17
Deus post natum Messiam non dicitur potens in prælio, propter pacem mundo allatam. ps. 24.10.
Deus seu Dominus exercituum variè explicatur. ps. 24.10. & ps. 33.6
Deus bonus & rectus, qui intelligendum. ps. 25.8
Deus petra. ps. 28.1
Deum orandi, laudandi, gratiarum actione prosequendi nullum determinatum tempus, sed omne. ps. 34.2
Deus cur pingitur armatus, &c. ps. 35.1
Deus, quum aliquem deserit in malis, dicitur ab eo longiùs recedere. ps. 35.22
vel minima Dei cognitio illuminat. ps. 119.130
Deus semper est iustus, & iusta eius iudicia: homo iustus esse potest, nec tamen recta erunt eius iudicia. ps. 119.137
sine Deo nil suscipiendum. ps. 127. toto.
Deus è loco in locum non migrat. ps. 132.8
Deus pœnitentiâ duci quomodo dicitur. ps. 135.14
omnia Dei cognitioni patere. ps. 139. toto, & in arg.
Dei est deprimere & extollere. ps. 75.8
defectioni à Deo viam aperit operû Dei obliuio. ps. 78.11
Deus iustitia mea, quid significat. ps. 4.2
Deum eleuare seu attollere super aliquem lumen vultus sui, quid sit. ps. 4.7
Deum adiuuare venientem, vt se mundet, quid sit. ps. 4.8
Deus nunquam nos magis respicit, quàm in rebus aduersis. ps. 6. in arg. & ps. 86.1
Deus cùm differt opem, carni dormire, iacere ac sedere otiosus videtur. ps. 7.7. & ps. 59.6
Deum in altum regredi quid sit. ps. 7.8
Deus dissimulando peccata descendit, puniendo exurgit. ibid.
Deus refugiû in opportunitatibus in tribulatione. ps. 9.10. ps. 109.21
Deum stare longè & propiùs accedere quid sit. ps. 10.1
Deus præparat cor hominum. ibid. 17
Deum non esse cogitat insipiens. ps. 14.1
Dei æquitas in gubernando mundo. ps. 92.16
Deum in operibus misericordiæ imitari oportet. ps. 119.3. & in omissis pag. 3.
Deus misericordiæ opera est exequutus. ps. 119.3. in omissis pag. 156
Dei filius dici potest quisquis diligit Deum, & ab eo diligitur. ps. 2.7
Dei filius primogenitus, Israël dicitur. ibid.
Deus vt potens, ita & misericors. ps. 62.12. & 13
Deum esse ens entium non est qui neget, sed iudicem & curare res humanas. ps. 14.1
Deus è cœlo dicitur prospicere, quare. ps. 14.2
tam Deus est noster, quàm nos illius. ps. 16.5
Deum à dextris esse quid sit. ps. 16.8
Dei nomen arx fortissima. ps. 18.3
Deus clypeus, propugnaculum, cornu suis. ibid.
Dei ira egregiè depicta. ps. 18.8. & seq.
Deus adest suis, cùm eos periclitari cernit. ps. 18.18 & ps. 109.21
Deus cum sancto sanctus, perfecto perfectus, peruerso peruersus. ps. 18.27. & seq.
Dei perfecta via quid. ps. 18.31
Deus ex rerum naturalium, & maximè præcipuarum, quales sunt cœli, intuitu cognoscitur. ps. 19.2
Deum lætificare aliquem cum vultu suo quid. ps. 21.7
Deus Pastor. ps. 23.1
Deus conuiua. ibid. 5
Dii dicuntur principes. ps. 29.1
Dii gentium mortui. ps. 42.4
sedere ad Dexteram quid. ps. 110.1
Diabolus peccatorum auctor. ps. 109.6
Dictiones quædam vt duæ scribuntur in sacris litteris, vt vna explicandæ. ps. 48.15
Diei verbum, nocti scientia tribuitur, & quare. ps. 19.3
Dies mala quæ. ps. 41.2
Dies diei eructat verbum quid, & quomodo, variè exponitur. ps. 19.3
Dies & nox in celebrando Deo veluti choreas ducunt. ibid. 3
Dies mali dies huius seculi, senectutis. ps. 49.6
Dies ad dies alicuius adiici quid sit. ps. 61.7
Diligere ore, opere. ps. 78.36
Diuitiarum haud longa, etsi longa, possessio. ps. 73.18
Diuitem faciunt vectigalium coactio, mercatura, eloquentia. ps. 75.7
in Diuitiis quoquo modo parais cur non est sperandum. ps. 62.11

de Diuitiarum contemptu. pſ. 49. cum arg.
Diuitiarum cupiditate laborant omnes. pſ. 49. 2. & 3
Doctrinæ cœleſtis myſteria non poteſt mens humana capere niſi illuſtrata. pſ. 119. 18
de Doctrina Dei vel coram ipſis regibus ſine pudore & audacter loquendum. pſ. 119. 46
in Dolore ſummo variæ affectuum vices. pſ. 56. 6
Doloris motus fide & ſpe in Deo cohibendi. pſ. 88. 3
Dolus fraudulentorum fruſtra eſt. pſ. 119. 118
Dormientes triſtis imago confundit, quos in ſomnum demerſit grauis calamitas. pſ. 3. 6
Dominus ad diluuium ſedet, & aquarum colluuionibus præeſt. pſ. 29. 10
Dominus in adiutoribus meis quid ſignificat. pſ. 118. 6
Dominus ſeu Deus exercituum variè explicatur. pſ. 24. 10. & pſ. 33. 6
Domum qui non dedicarat, imminente prælio dimittebatur. pſ. 30. in arg.
in Dedicatione domus pſalmus à Dauide decantatus. pſ. 30. in arg.
Domus ſignificat familiam. pſ. 113. 9. pſ. 68. 7
Domus impiorum tabernacula vocantur. pſ. 84. 11
Domus pharetræ comparata. pſ. 127. 5
particula Donec quid ſignificet. pſ. 110. 1
Duplicatio litterarum thematis alicuius quid efficiat. pſ. 45. 3

E

ECcleſia ſors iuſtorum appellatur. pſ. 125. 3
Eccleſiam Chriſtianam Deus nulla regione coërcuit. pſ. 2. 8
Eccleſiam ſuam Deus fundauit ſicut terram in æternum. pſ. 78. 69
Eccleſia quomodo ſancta. pſ. 111. 1. pſ. 50. 5
de Eccleſia multi ſunt numero, non merito. pſ. 24. 4.
de Eccleſiæ continua defenſione promiſſio. pſ. 125. toto.
Deum egredi ante populum eſt ductorem eſſe. pſ. 68. 9.
El Deum vt fortem ſignificat. pſ. 7. 12
Electus, id eſt, Rex. pſ. 2. 18
Eleemoſynam qui ſeminat, benedictionem metet. pſ. 37. 26
Eleemoſyna iuſtitiæ nomine vocatur. pſ. 112. 3
Elementa *recti* vocantur ex Ezra. pſ. 49. 15
Elohim Deum vt iudicem ſignificat. pſ. 5. 3
Elohim pluralis numeri Deum vnum honoris cauſa ſignificat. pſ. 58. 12
Elohim interdum angelos ſignificat. ibid.
Eloquia Domini caſta. pſ. 12. 7
En-dor in tribu Manaſſe. pſ. 83. 11
Enoſch hominem vt infirmum & fragilem ſignificat. pſ. 8. 5
Ephraimitæ in bello peculiari à ſe ſuſcepto fuſi. pſ. 78. 9
Ephrata quid ſignificet, & quis locus. pſ. 132. 6
Epiſcopi conſtituti principes ſuper omnem terram. pſ. 45. 17
inter Epulas Iſraelitæ à Deo correpti. pſ. 78. 31
Equi fortitudine Deum non delectari, qui intelligendum. pſ. 147. 10
fruſtra eſſe qui Equis fidunt. pſ. 20. 8
Eradicare aliquem quid ſit. pſ. 52. 8
Et ſumptum pro ſicut. pſ. 68. 35
Et ſignificat aliquando poſtquam. pſ. 65. 10
Et Hebræis interdum eſt particula cauſalis. pſ. 3. 5
Exaudire in latitudine. pſ. 118. 5
Exaudire Deus cœlos, cœli terram, terra triticum & vinum, &c. dicuntur. pſ. 134. 3
Exaltare de portis mortis. pſ. 9. 14
Execrationum, quas ſancti in impios effundunt paſſim in ſacris litteris, ſex cauſæ. pſ. 35. 1. ibid. 9
Exercitus Dei quid. pſ. 24. 10. & 33. 6
Exitus & introitus de expeditionibus propriè in ſacris litteris intelligitur. pſ. 121. 8
Extollere aliquem quid. pſ. 28. 9
Extremum terræ, mare, fluuius, deſertum. pſ. 2. 8
Extremi hominum. ibid.
Exurgere dicitur Deus humano more ſæpe in litteris ſacris. pſ. 68. 2
Ezechiel juſſus comedere volumen, id eſt, auidè legere. pſ. 119. 131

F

FAcere in ſacris litteris pro ſacrificare ſumitur. pſ. 66. 15
Facere aliquando ſignificat ornare atque extollere. pſ. 100. 3
Facies Dei voluntas, ira, tabernaculum, præſentia. pſ. 31. 21
Faciem abſcondere ab aliquo [illegible] pſ. 13. 2
à Facie, id eſt, propter. pſ. 38. 4
Facultatem cibi appetitiuam ſedem habere in hepate Ezra affirmat. pſ. 31. 10
Familia in ſacris ſcripturis interdum totos populos ſeu gentes ſignificat. pſ. 96. 7
per Familias diſtincti Iſraelitæ ad feſta & ſolemnitates pergebant. ibid.
in Fermento iacere. pſ. 73. 21
Feſta memoria mirabilium Dei. pſ. 111. 4
ad Feſta celebranda ter in anno ſinguli Iſraelitæ domum Dei adibant, & quando. pſ. 42. 5
Feſtum tubarum quando inſtitutum, & quare. pſ. 81. 6
Feſtum tubarum quale. pſ. 81. in arg.
Figmentum hominis quid. pſ. 103. 14
Filii patribus à Deo dantur tanquam hæreditas & merces: ſed probi intelligantur. pſ. 127. 3
Filii iuuentutis, filii ſenectutis qui. pſ. 127. 4
Filii iuuentutis patri inſtar ſagittarum in litibus & contra aduerſarios. ibid.
Filiorum comparatio egregia cum nouellis oliuarum. pſ. 128. 3
Filii nomen ciues & incolas ſignificat vrbis nomini præfixum. pſ. 149. 2
Filii pauperis qui. pſ. 72. 4
Filii Dei angeli. pſ. 89. 7
Filiæ regum gentes vocantur. pſ. 45. 10
Filii viri quid. pſ. 4. 3. & pſ. 49. 3
Filii Adam ſiue hominis. pſ. 8. 5. & pſ. 49. 3
Filia Sion quid, filia Iuda. pſ. 9. 15. & pſ. 48. 12
Filius aut Filia dicitur Hebræis quidquid tanquam minus ad aliud refertur, aut pertinet, vt pagus ad vrbem. pſ. 17. 8. & pſ. 48. 12
Filii Dei qui. pſ. 29. 1. & pſ. 73. 15
Filii prophetarum, eorum diſcipuli. pſ. 34. 12

Filiorum, aut Filijs Core, in titulis Psalmorum quid significet. ps. 42.1
Filius arcus, arcæ, quid. ps. 45.10
Filij procliuiùs feruntur in mores matris, quàm patris. ps. 86.16
Filius ancillæ seruitutem majorem dicit, quàm seruus. ps. 86.16
Filius mortis. ps. 102. 21
Fœcunditatem dat Deus. ps. 113.9. & ps. 127.3
Fœdera cæsis victimis, & apud Israelitas, & apud Ethnicos jungebantur. ps. 50.5
Fœlicitas pernoctationi comparata. ps. 25.13
Fœlicitatis æternæ emphatica descriptio. ps. 36.9
Fœlicitatis proborum & improborum comparatio, & qualis vtriusque exitus. ps. 37. in arg. & toto Psalmo, & sequente ejusdem Psalmi accurata paraphrasi, & ps. 92. in arg. & vers. 7. & seq.
Fœlicitas impiorum somnio rectè comparata. ps. 73. 20
Fœlicitas piorum vino aqua temperato comparatur, cujus fęces impij sorbeant. ps. 75.9
Fœlicitatis pristinæ recordatio cruciat. ps. 77.5
de Fœlicitate & infœlicitate, tum proborum, tum improborum in hac vita quęstio à Moyse Deo proposita nec soluta. ps. 92.7
Fœlicitas & gloria luci, lucernæ: ærumnæ tenebris comparantur, & quare. ps. 13. 4
Fomes peccati, inimicus. ps. 13.5
Fomes peccati, lapis. ps. 91. 12
Fornicari à Deo quid. ps. 73. 27
Fortitudo Israël, id est, Arca. ps. 63.3. & ps. 78. 61
Foueam qui fodit, incidet in eam: prouerbium. ps. 7. 16. ps. 9. 16. & ps. 35. 8
Fratres vterini sibi inuicem cariores. ps. 50. 20
Fremere quid significat. ps. 2.1
Fugam ponere ab aliquo quid. ps. 142. 5
Fugere interdum non est ignaui, sed potiùs prudentis ducis. ps. 18.34
Fulmen significatur vocibus carbonis, ignis, sulphuris, & spiritus procellarum. ps. 11. 6
Fulmina tela diuina. ps. 18. 15
Fumo rectè comparantur impij. ps. 68.3
Fundamenta orbis quid. ps. 18.16
Funes cadere in amœnis quid. ps. 16.6
Funes olim in Palęstina adhibebant ad agros dimetiendos. ps. 16.6. & ps. 78. 55
Funes sumpti pro jugo. ps. 2.3

G

GAlaad Tribus Gad & dimidię Tribus Manassis. ps. 60. 9
Gedeon quomodo Madianitas debellauit. ps. 83.10
Gehenna quid. ps. 27.13
Genuit sumptum pro creauit, educauit, instruxit. ps. 2. 7.
Generatio quærentium eum (Deum,) Iacob. ps. 24.5
Gentes ante Christianismum pauperes. ps. 22.27
Gẽtes idolis addictæ, quum agnoscere Deum incipiunt, dici possunt Dei reminisci ac recordari. ps. 22.28
Gentes omnes Deum aliquando adoraturæ. ps. 86.9
rerum omnium Generationes à Deo. ps. 104. 30
Geuer, id est, *vir*, qualem propriè significat. ps. 37.25
Gladio tribuitur os, manus. ps. 63. 11
Gloria Israel, id est, Arca. ps. 63.3. ps. 78. 61
Gloriam in puluerem deducere. ps. 7.6
Gloria sumpta pro anima. ibid.
Gloria & honore hominem coronatum esse à Deo quid sit. ps. 8.6
Gloria seu diuina Maiestas in templo post captiuitatem Babylonicam extructo non inhabitauit, sicuti in primo, ex Hebræorum sententia. ps. 24. 9. & ps. 85. 10
Gloria sumpta pro lingua. ps. 16. 8
Gloria, id est, Deus, in templo tertio, quemadmodum olim in primo, habitabit, ex Hebræis. ps. 24. 9
Goliath totus ferro armatus in fronte sola ictibus patente percussus. ps. 9. 5
Goliathi nomen manet ad hæc tempora, sed ignominiæ exemplum. ps. 9.6
Gratia aquæ comparata. ps. 51.9
dare Gratiam alicui quid. ps. 84.12
Gratia spiritalis benedictioni temporali comparata. ps. 24.5
Gressus dilatare. ps. 18.37
Gustus metaphoricè rationem, iudicium, sensum, consilium significat. ps. 34.1
Guttur sepulchrum patens. ps. 5.10

H

HAgha, i. *meditari* cordi & ori tribuitur. ps. 2.1
Haggittith quid sit. ps. 8.1
quid Deum Habitare in hominibus. ps. 5.12
Hebræi doctores de interpretatione scripturarum consulendi. in epistola præfixa lib. 5
Hebręi omnes non eodem semper modo legerunt & distinxerunt. ps. 72. 17
Hebrææ linguæ Eclipses familiares. ps. 5.4
Dominus pars Hereditatis meæ quid sit. ps. 11.6 & ps. 16.5
Hereditas Dei quæ sit. ps. 94.14
mons Hermon vltra Iordanem. ps. 133.3. ps. 42.7
Hierosolyma bono climate, & maximè salubri aëre, & ad sapientiam conferente. ps. 48.3. & ps. 87.3
Hirundo Hebraicè à libertate dicta. ps. 84.4
Hierosolymæ commendatio. ps. 48.3. ps. 87.3. ps. 122. 3. & seq.
Hierusalem vnde dicta. ps. 76.3
apud Hierusalem nullus hostis cladem accepit pręter Sennacherib. ps. [illegible].4
Hierusalem fuit è Tribu Iudę. ps. 78. 68
Holocaustum vnde dictum. ps. 20. 5
in Homines beneficia conferre censetur Deus, cùm in animantia confert. ps. 8.3
Homini omnia subjecta. ps. 8.7
Homo in feras syluestres si non vi, saltem consilio & arte imperium exercet. ps. 8.8
Hominem in iniquitate concipi quid sit. ps. 51. 7
in Hominis efformatione Deus stupendus. ps. 139. 14. & seq.
Homo reuertitur in terram ratione corporis, non animæ. ps. 46. 4
Hominum cum vanitate in bilancem impositorum egregia imago. ps. 62. 10
Homo ex natura formationis membrorum corporis laudat creatorem. ps. 35. 10
Homo Dei quid. ps. 90. 1

Humiles etsi non pauperes, se tamen vt pauperes gerunt. ps. 10. 17
Hyssopo leprosi & immundi ex contactu cadaueris aspergebantur. ps. 51. 9

I

IAh nomen Dei quale. ps. 68. 5
Ialkut nomen libri. ps. 4. 1
Idithun quid significet. ps. 39. 1
Idolon res nihili. ps. 96. 5
Idolorum vanitas arguitur. ps. 115. 4. & seq.
vox, quę Idola significat, dolores sonat propriè. ps. 16. 4. & ps. 115. 4
Idumęi adiutores Babyloniis in euertenda Hierosolyma. ps. 137. 7
Ieiunatur propter precationem & afflictionem. ps. 69. 11
Ieschuatha cum duplici signo fœminino duplicem salutem indicat ex Kimhi. ps. 3. 3
Ignis sumitur pro ira, gladio. ps. 78. 63. & passim.
Igne cœlitus misso probauit Deus sacrificia sibi esse grata. ps. 20. 5
Igne calamitates & pericula designantur. ps. 66. 12
Illuminari significat gaudere. ps. 34. 6
Imago sumpta vel pro corpore, vel spiritu, vel pro vtroque simul. ps. 73. 20
Imagines Christi & Sanctorum, Crucis, &c. quomodò colamus. ps. 99. 9
Impiorum vox quid significet. ps. 1. 1
Impij nunquam quiescunt. ibid.
Impiorum actiones luto comparantur. ibid.
Impius excusso Dei timore sępe est tranquilla mente. ibid.
Impius insipiens. ps. 1. 1. & ps. 73. 3
Impietas in stultos tantùm cadit. ps. 1. 1.
Impiorum & proborum longè alia sors. ps. 1. 4. & ps. 49. 11
Impii non cuilibet paleæ, sed glumæ comparati. ps. 1. 4
Impii non resurgent, non stabunt in iudicio. ibid. 5
Impios dici non resurrecturos in iudicio ideo aliqui Hebręorum putant, quòd eorum anima pereat seu extinguatur cum corpore. ibid. 5
Impiis Deus irascitur, & quidem quotidie, etiam dum eis indulget. ps. 7. 12
Impiorum memoria cum strepitu, qui eorum vitam comitatur, perit, vel instar soni cuiusdam euanescit, ac citò abit. ps. 9. 7. D
Impius insidias innocenti struit. ps. 10. 8
Impius comparatur leoni. ibid. 9
Impius abiiciendo se insidiatur. ibid. 10
Impius negat Deo curam humanarum rerum. ib. 11
Impiorum pœnę rectè comparatę fulmini. ps. 11. 6
Impiorum pœnę repentinæ. ibid.
Impiorum pœnę fulminis & procellarum vocabulis optimè exprimuntur. ibid.
Impii cùm extolluntur, cęteri homines iacent. ps. 12. 9
Impius gladius Dei. ps. 17. 13
Impii manus Dei. ps. 17. 14
Impii, qui nullo Dei metu tangatur, descriptio. ps. 36. 2. & seq.
ex Impiorum fœlicitate perturbatio oritur in animis piorum. ps. 73. in arg. v. 1. & seq.
Impii ad mortem vsque, quam & facilem experiuntur, fœlices sunt. ps. 73. 4
Impiis Deus ad mortem vsque omnia quę cupiunt, elargitur, non secus ac medicus deploratæ salutis ægro omnium ciborum vsum permittit. ps. 73. 4
Impii superbi & violenti. ps. 73. 6
Impiorum hæreditas. ps. 37. 9
Impiis Deus bona aliquâ largitur in præmium aliquorum bonorum operum. ps. 92. 8
Impii timent, vbi nulla causa timoris. ps. 53. 6 & ps. 112. 7
Impiis cùm imprecantur sancti, non quid ipsi cupiant, sed quid illi mereantur, ostendunt. ps. 12. 4
Impii, piis in calamitate positis, contumeliosas in Deum voces iaciunt. ps. 74. 10
Impii maledicendo neque superis, neque inferis parcunt. ps. 73. 9
Impii, quò faciliùs imponant, ornant sua verba. ps. 10. 7
Impii, etsi ad tempus floreant, citò tamen euanescunt. ps. 37. 35. & 36
Impiorum exitium repentinum. ps. 64. 8
Imprecationes Dauidis in Doegum, vel Iudam, vel quemlibet alium non sunt in exemplum trahendæ. ps. 109. 6
Imprecationes piorum in impios quales esse debent. ps. 55. 16
Imprecationes in sacra scriptura ex zelo iustitiæ, non vindictæ. ps. 69. 28
Imprecationibus pii non malum optant, sed futurum denuntiant. ps. 5. 11. & ps. 55. 16
Improborum exitus cum fœno & herbulæ virore comparatus. ps. 37. 2
Imputare peccatum quid. ps. 32. 2
Induere iustitiam quid. ps. 132. 9
Induere confusione quid. ibid. 18
Indui salute quid. ibid. 16
Infantium ipsa lactatio initium cognoscendæ Dei potentiæ. ps. 8. 3
ex ore Infantium & lactentium fundauit Deus fortitudinem. ibid.
Infantes qui nutricum voces nondum imitari sciunt, sua sponte nomen illud diuinum *Iah* pronuntiant. ibid. pag. 34
Infernum pro sepulchro sæpe Græcus & Latinus Psalmorum interpretes ponunt. ps. 6. 6
Infernus à postulando dictus Hebraicè. ibid.
Iniustitiam librare. ps. 58. 3
Iniquitas pro pœna iniquitatis sumpta. ps. 40. 13
Iniquitas, non iniquus odio habendus. ps. 36. 3
Iniquus, id est, auarus. ps. 10. 3
Deum apponere Iniquitatem super iniquitatem quid sit, ps. 69. 28. & quomodo fiat, ibid.
Insani omnia vehementer faciunt. ps. 5. 6
Insipiens quis. ps. 14. 1. & ps. 92. 7
multa ex Interprete Latino in Græcum irrepserunt. ps. 65. 14
non idem Interpres Latinus libri Psalmorum & aliorum librorum sacræ scripturæ. ps. 96. 9
Interrogationes ad querelas accõmodatæ. ps. 13. 2
Intimum significat cor. ps. 5. 10
Inuocans nomen Dei, id est, Propheta. ps. 99. 6
Inuocare nomen Dei quid. ps. 79. 6. & ps. 80. 19 & ps. 105. 1
Inuidi parieti pando & sua mole corruenti similes. ps. 62. 4
Ioseph quî traductus in Ægyptum, & summæ rei adhibitus. ps. 105. 17. & seq.
ad compescendam Iram opus est Deo robore cordis & multiplicatione potentiæ attributi misericordiarum ex Kimhi. ps. 78. 38

Ira, vultus, facies appellatur. psſ.21.10
Ira Dei igni comparata. psſ. 89. 47. & alibi passim.
Israelitici populi comparatio cum vite. psſ. 80. 9. & seq.
Israeliticæ terræ longitudo & latitudo. psſ. 80. 12. & psſ. 72. 8
Israelitæ egressi ex Ægypto die quintadecima Martij. psſ. 81. in arg.
Israelitæ in Ægypto luteis operibus exercebantur. psſ. 81. 7
aër terrę Israel sapientem reddit ex Rabbinis, estque saluberrimus. psſ. 87. 3
Israelitæ siti laborantes in Raphidim contra Moysem iurgati sunt. psſ. 95. 8
Israelitarum egressus ex Ægypto. psſ.105.37. & seq.
explorata terra Israel, Israelitæ murmurauerunt contra Moysem. psſ. 106. 24. & 25.
Israelitæ vitulum adorauerunt in deserto. psſ.106.19
an Israelitæ è deserto in varias nationes dispersi. psſ. 106. 27
Israelitæ populis in terra Chanaan degentibus pepercerunt, à quibus Idololatriam didicerunt. psſ. 106. 34. & seq.
Israelitæ mactauerunt filios suos, & igni concremarunt idolo Baal siue Moloch. psſ. 106.37
Israelitas, licet peccatores & Idololatras, nunquam tamen deserebat Deus omnino, propter fœdus initum cum Abraham, Isaac, &c. psſ. 106. 45. & seq.
terræ Israel Mare Mediterraneum ad Occidentem est. psſ. 107. 3
terræ Israel Ægyptus & Arabia Fœlix ad meridiē. ibid.
Israelitæ, sicut & iusti, turturi rectè comparantur. psſ. 74. 19
Israelitæ filij Iacob, & Ioseph dicuntur. psſ. 77.16
Israelitarum patres Abraham, Isaac & Iacob ad mare Rubrum venisse, iisque Deum ostendisse, quomodò eorum posteros redimeret, asserit Rasi. psſ. 78. 12
de miraculis, quę Deus Israelitarum gratià patrauit, tum in Ægypto, tum in deserto, vide quæ habentur psſ. 78. v. 12. & seq. & psſ. 105. 28. & seq. & alibi passim.
ignis Israelitas in deserto deuorauit. psſ. 78. 21
terra Israel tota fere montosa, & in ambitu Libani montis sita. psſ. 78. 54
terra Israel excelsa terræ, altitudines mundi appellatur. psſ. 78. 54
Israelitæ Idololatræ sagittario fallaci comparati. psſ. 78. 57
Israelitæ Ioseph vocantur. psſ. 80. 2. & psſ. 81. 6
Israelitę ex Ægypto à Deo redempti. psſ. 74. 2
Israelitis terra Chanaan ex promisso data, regna verò Sehon & Og, ex misericordia Dei addita. psſ. 136. 20
Israelitarum singulare priuilegium legem habere à Deo, non ab homine. psſ. 147. 20
Israelitæ à Babylonijs vili pretio diuenditi. psſ. 43. 13
Israelitę captiui ludibrio habiti. ibid. 15
terram Israel ex Rasi septem maria & quatuor flumina ambiunt, ideóque, inquit, super maria fundata dicitur. psſ. 24. 2
terram Israel Deus vocat suam. psſ. 10. 16
de Iuda Christi proditore intelligi possunt, quę de Achitophele Dauidis proditore dicuntur. psſ. 55. in arg.
Tribus Iudę iam tum ab egressu ex Ægypto principatum quendam in cęteras obtinebat. psſ. 114. 2
ad Tribum Iudæ pertinebat regnum & legum condendarum potestas. psſ. 60. 9
Iudæi in Synagogam festinanter eunt. psſ. 55. 15
desertum Iudæę desertum Ziph. psſ. 63. in arg.
Iudęi in Babylonia captiui certis terminis inclusi, è quibus egredi capitale fuisset. psſ. 79. 11
Iudęorum res multùm afflictę sub Manasse & Sedechia Regibus. psſ. 48. 9
Iudęi non simul omnes è captiuitate Babylonica rediere. psſ. 126. 4
apud Iudęos non satis interdum de scriptione constat. psſ. 24. 4
Iudices, qui Dei vices gerunt, quî gerere se debeant. psſ. 82. in arg.
Iudices Dij vocati, filij Excelsi. psſ. 82. 1. & 6.
Iudicium vtplurimum in gratiam sceleratorum peruertitur. psſ. 82. 2
Iudicum munus pręcipuum, pupillorum & viduarum causas cognoscere & defendere. psſ. 82. 4
Iudices iniqui qui. ibid. 5
Iudicare regium munus. psſ. 7. 7. & psſ. 72. 2
Iudicia Domini. psſ. 19. 10
quî concilianda illa antitopia, *Iudica me*, ex psſ. 26. 1. & *non intres in iudicium cum seruo tuo*, ex psſ. 143. 2. psſ. 26. 1
Iudicia quid. psſ. 119. in arg.
Deum Iudicia sua alicui dare quid sit. psſ. 72. 1
Deum diligere Iudicium & iustitiam quid. psſ. 33. 5
Iudicium Dei semper est iustum, & verum. psſ. 119. 75
Iustitia quid. psſ. 119. in arg.
Iustitia mea causę, non personę. psſ. 7. 9. psſ. 18. 21. & psſ. 26. 1
Iustitia in sacris litteris sumitur pro bonitate & beneficentia, Iudicium verò pro seueritate. psſ. 22. 32
Iustitia sumpta pro ęterna salute & gloriâ. psſ. 24. 5
Iustitia Dei, misericordia. ibid.
Iustitię nomine vita æterna intelligitur. psſ. 69. 28
Iustitia & pax coniunctę. psſ. 85. 11
Iustitia & pax sese osculatę sunt in Verbo incarnato. psſ. 85. 11
D. Ioannes Baptista Iustitia quę pręcessit Christum. psſ. 85. 14
an Iustitia cadat in bestias. psſ. 145. 18
veritas & Iudicium Dei quomodo eluxerint in expellendis gentibus è terra Chanaan, vt in ea Israelitę collocarentur. psſ. 111. 7
impauidi Iusti. psſ. 112. 7
Iusti palmę comparati. psſ. 92. 13
Iustorum tres ordines Ioseph Kimhi ponit. psſ. 32. 2
Iustorum nomine beati intelligendi. psſ. 69. 29
Iustum Deus probat, eum exercendo. psſ. 11. 5. & psſ. 34. 20
Iusti probantur rebus aduersis, vt metalla in fornace. psſ. 11. 5
Iustum Dei iudicium agnoscere semper debemus, siue peccata nostra noscamus, siue non. psſ. 38. 4
Iuramentum in veritate & iustitia licitum non modò, sed etiam pręceptum. psſ. 24. 4
Iurare in aliquem quid. psſ. 63. 12
Iurare per aliquem idem ac ipsum colere. psſ. 63. 12
Iurare per alium exprobrandi causâ. psſ. 102. 9
Iuuenes pręcipuè in deserto carnes appetiere, ideóque pœnas dedere. psſ. 78. 31
Iuuentutis nomine superiora & antiquiora tempora nuncupantur. psſ. 129. 1

K

Kimhi Rabbinorum omnium grammaticus præstantissimus. ps. III. 2
Kimhi sensui litterali & historico addictus. ps. 145. 18

L

Labia nostra nobiscum sunt. ps. 12. 5
Lamed articulus datiui casus, cum nominibus proprijs & possessorem significantibus est nota genitiui casus, ps. 3. 1
Lamed significat de, super. ibid. 3.
Lamnatsseach quid significet. ps. 4. 1
Lapides & puluerem Hierosolymã in Babyloniam ab exulibus asportatos, è quibus Synagogæ illic extruerentur, legitur in Midras. ps. 102. 15
Latitudo cordis. ps. 119. 32
Lauabant manus sacra facturi sacerdotes & populus. ps. 26. 6
domus Laudis, id est, domus nuptialis. ps. 78. 63
virgines Laudatę, id est nuptę. ps. 78. 63
Laudanda quę magna & sancta. ps. 99. 3
Laus Israel quid. ps. 22. 4
Lechi quid significet, aduersus Genebrardum. ps. 3. 8
Lex ab Israelitis à Deo accepta, adhibito fœdere & sacrificio. ps. 50. 5
Legis diuinę studio qui se totum applicuit, illam suam fecit. ps. 1. 2
Leges multę in veteri Testamento, quarum rationes ab hominibus ignorantur. ps. 145. 18
tabulę Legis, opus Dei. ps. 111. 7
tabularum Legis altera rectè dicitur veritas, altera iudicium. ps. 111. 7
Lex Domini quid significat. ps. 119. in arg.
Lex Dei in corde abscondenda veluti thesaurus. ps. 119. 11
Lex diuina in rebus difficilibus consiliarii loco. 119. 24
Lex testis est Dei sapientię atque equitatis. ps. 19. 8
Lex in genere quid significet. ps. 19. 8
auditionem Legis in Synagoga quidam Rabbi Ioseph ingenti lucro prętulit. ps. 119. 72
Lex Dei mirabilis, & Legis mandata plus in recessu, quàm in fronte habebant. ps. 119. 129
Lex Mosaica & lex gratię mirabiles. ibid.
Legem gratię & Christi fidem in nouo orbe qui suscipiunt, mirantur. ibid.
Legis volumen in cylindri morem complicant Iudęi. ps. 40. 8
Leones qui quęrant à Deo escam sibi. ps. 104. 21
Leuare animã suam quid. ps. 25. 1. ps. 86. 4 & ps. 143. 8
Leuiathan quid significet. ps. 74. 14
Leuitæ in templo noctu per vices excubabant. ps. 134. 1
Libamina de sanguine quid. ps. 16. 4
Liber pro femoto sumptus. ps. 88. 6
Liber vitæ quid. ps. 69. 29
deleri de Libro vitę quid. ibid.
Liberalitas in pauperes qualis esse debeat. ps. 112. 9
Lingua & cor in celebrandis Dei laudibus consentire debent. ps. 71. 23
Lingua dolosa & calumniatrix carbonibus iuniperorum comparata. ps. 120. 4
Lingua, quæ dolum struit, similis sagittę, ps. 12. 5 ps. 120. 4. & gladio, ps. 64. 4
Linguam roborare. ps. 12. 5
Lingua cogitare dicitur. ps. 52. 4
Lingua nouaculæ comparata. ps. 52. 4
Lingua, quia instrumentum diuinę gloriæ celebrandæ, ideo in sacris litteris dicitur gloria. ps. 57. 9
Liquefieri in sanctis litteris dicitur pro remisso esse animo. ps. 46. 7
Litteralis & grammaticus sensus cæterorum omnium fundamentum. tom. 1. pag. 108
Loqui durum. ps. 75. 6
Loqui veritatem in corde. ps. 15. 2
Lucernam meam illuminas quid. ps. 18. 29
Ludere sumptum pro dominari. ps. 104. 26
in Lumbis bona pars virium sita. ps. 69. 24
Luna facta ad distinguenda tempora. ps. 104. 19
Lumen positum pro Luna. ps. 74. 16
Lumen magnum, lumen venturi sęculi. ps. 49. 20
in Lumine Dei videre lumen quid. ps. 36. 10
Lux faciei, id est beneuolentia. ps. 119. 135
Lux lętitiam significat. ps. 96. 11

M

Magnificans salutes. ps. 18. 50
Magnitudo in Deo vna, in recipientibus, scilicet creaturis, multiplex. ps. 145. 6
Maligni quęres impietatem ejus, phrasis Hebraica explicata ps. 10. 15
Malis à Deo immissis subest aliquid boni. ps. 94. 12
non rarò homines in id, quod minimè suspicantur, Malum incidunt. ps. 116. 5
Malis oppressi alterius opem implorantes vehementiùs & alijs atque alijs verbis precantur. ps. 5. 2
Malum minùs dicit, quàm non bonum. ps. 36. 5
Malum, quo improbi plectuntur, abysso comparatur. ps. 36. 7
Mala pijs cùm immittit Deus, eorum vtilitati consulit. ps. 73. 1
Maledicentia peccatum graue. ps. 34. 14
Maledicentia ex Rabbinis his tribus ęquipollet, idololatriæ, concubitui contra naturam, & homicidio. ibid.
Maledicentia tres occidit. ibid.
Maledicentia lanceis, sagittis, gladijs comparata. ps. 57. 5
Maledici leonibus, & incendiariis comparati. ibid. 2
Maledicta & contumelias exemplo Dauidis despicere discamus. ps. 109. 28
Mammę matris aliter commodè fieri non potuere. ps. 8. 3
Mandatum quid. ps. 119. in arg.
ad Mandatorum diuinorum obseruationem opus est diuina ope. ps. 119. 5. 8. & aliis.
Mãdata siue pręcepta diuina quomodo lata valde. ps. 119. 96
Mandata diuina in corde hominis plantata. ps. 119. 104
Deum Mandare misericordiam quid. ps. 68. 29
Mandata Domini recta, cur. ps. 19. 9

Manè vocatur ſtatus beatorum poſt hanc vitam. pſ. 49.15
Manè tantùm apud nos iudicia capitalia exercentur. pſ. 5.4. pſ. 101.8.
Manè orandum. pſ. 5.4. & pſ. 92.3. pſ. 63.2
Manè iudicium de improbis. pſ. 5.4. & pſ. 101.8
Manna Iſraelitis magnâ copiâ datum. pſ. 78. 23.
Manna frumentum cœli. pſ. 78.24
Manna panis angelorum, fortium. ibid. 25.
Manna ſub lucis ortum colligendum ſignificauit ſolem præueniendum eſſe ad benedictionem, & adorationem Dei. pſ. 5.4. & pſ. 63.2
Manus, ſi ſequatur *in*, in malam partem, ſi ſequatur *ſuper*, aut quçuis particula alia, in bonam partem ſumitur. pſ. 80.18.
Manus ad cœlum attollere in aduerſis naturale & gentibus omnibus commune. pſ. 28.2
Manum eleuare, id eſt, iurare. pſ. 106.26
Manus leuare ad præcepta, prouerbialis loquendi forma. pſ. 119.48
Manus Dei pro plaga. pſ. 32.4
deſcendere in Mare quî dicitur. pſ. 107.23
Mare rubrum diuiſum fuiſſe in duodecim vias pro numero tribuum Iſraeliticarum Iudæi fabulantur. pſ. 77.20. & pſ. 136.13
an ſit futurum aliquando, vt ibi ſit Mare, vbi nunc eſt terra. pſ. 46.3
Mare ſuperbiens. ibid. 4
Maris comparatio cum vtre. pſ. 33.7
Mares ter in anno debebant ſe ſiſtere coram Domino. pſ. 84.6
ex Maris profundis reducere, prouerbialis loquendi forma. pſ. 68.23
Maſcil quid pſ. 32.1
Maſſa & Meriba quid. pſ. 95.8
percutere aliquem in Maxilla dedecoroſum. pſ. 3.8
Medici quomodò adhibendi. pſ. 32.10
Medicos ad curandum vulnus ab homine inflictum ſolùm adhibendos Ezra opinatur. pſ. 32.10
quòd Medicis, non autem Deo confiderit, Aſa duntaxat reprehenditur. ibid.
Melci-ſedec idem ac Sem filius Noë, iuxta Kimhi & alios Hebrçorum. pſ. 76.3
Mendacii nomine quid intelligendum. pſ. 119.163
Mendicitas inter diras, quæ impios mandatorum diuinorum deſertores maneant. pſ. 37.25
Mentiri alicui quid. pſ. 18. 45. pſ. 66. 3. pſ. 81.16
Mercatores leunculis comparati. pſ. 34.11
Merces prçcepti prçceptum. pſ. 119.56
Merces peccati peccatum. ibid.
quç vox calcaneum, eadem Mercedem ſignificat, quia calcaneus extremitas corporis, merces operis. pſ. 40.16
Meriba, locus in quo Iſraelitç penuria aquç laborantes Deum tentauerunt. pſ. 81.8
Meſſias duos Iudçi conſtituunt; vnum filium Ephraim, cui quç de Chriſti humilitate dicuntur, tribuunt: alterum filium Dauid, cui ea quç de Chriſti ſublimitate leguntur, aſſignant. pſ. 80.18
Meſſiç nomen *Ijnnon*, quod filium ſignificat. pſ. 72.17
de Meſſiç ſui venturi regno multa ſomniant Iudçi. pſ. 149.8
in Meteoris, vt pluuia, fulguribus, vçntis, Dei potentia plurimùm elucet. pſ. 135. 7. & ſeq. pſ. 147. 16. & ſeq.
qui Metu concutitur, aquç effuſç & cerç liquefactç comparatur. pſ. 22.15
Michtam quid ſit. pſ. 16.1
Minç Dei, fulgura & coruſcationes, quç in pluuiam, ſiue in miſericordiam vertuntur reſipiſcentibus. pſ. 135.7. in omiſſis pag. 503. col. 1
Mirabilia Deus quotidie facit. pſ. 77.15.
Mirabile ſignificat aliquando arduum & difficile, aliquando continens varia & ſublimia myſteria. pſ. 119. 129
Miſerationes Dei ſuper omnia opera eius, quomodo intelligendum. pſ. 145. 9
Miſerationes Dei ira concluſç. pſ. 77. 10
Miſeria hominis extrema ſpiritu Dei non agi. pſ. 81.13
Miſericordia Dei maior hominum peccatis. pſ. 103.11
Miſericordia Dei prçdicanda, quicquid nobis acciderit. pſ. 107.43.
Miſericordia Dei opponitur veritati, & eſt quâ nobiſcum liberaliter abſq; promiſſo agit. pſ. 26.3
Miſericordiam Dei eſſe ante oculos quid. pſ. 26.3
propter Miſericordiam ſuam Deus opitulatur afflictis pſ. 43.27
Miſericordia, qua Deus vtitur erga improbos, non alia quàm ea qua vtitur erga iumenta. pſ. 36.7
Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi in Verbo Incarnato. pſ. 85.11
ad Miſericordiam Deum prouocat hominis miſeria. pſ. 78.39
Miſericordiæ Dei omnia erga nos eius beneficia adſcribenda. pſ. 136. toto.
Miſericordiæ Dei acceptum referre debemus quicquid nobis boni contingit. pſ. 21.8
Miſar mons vel vrbs vna ex vrbibus Iuda. pſ. 42.7
Mœrentibus cor emortuum. pſ. 69.33.
Moloch & Thopheth idem ex Raſi. pſ. 106. 37. pag. 189. col. 1. A.
Moloch idolum erat Solis. pſ. 106.37. pag. 190
Mons hæreditatis Dei, Sanctuarium. pſ. 78. 54. & pſ. 79.1
de Monte ſancto ſuo ſiue ſanctitatis ſuæ. pſ. 3. 5
Montes Sion & Moria montes ſancti, & quare. pſ. 87. in arg.
Montes prædæ præter cætera Gigantes ſignificant. pſ. 76. 5
Montium nomine reges & principes nuncupantur. pſ. 76. 5. & pſ. 97. 5
Montes, terræ columnæ. pſ. 75. 4
Monti comparatur auxilium & fauor Dei. pſ. 36. 7
Morbi noctu ingraueſcere ſolent. pſ. 6. 7
Morbi præueniendi cultu diuino. pſ. 30. 7
Morbi aut pœnæ vice increpationum, & quaſi aduocati Deum inter & homines. pſ. 39.12
Morbi in pœnam peccatorum immiſſi. pſ. 107. 7
Morbo impliciti, dum clamant ad Deum, exaudiuntur. ibid. 19
Morbos Deus verbo ſanat. ibid. 20
qui ex Morbo conualuerunt, vota potiùs perſoluunt quàm qui aliis periculis perfuncti. ibid. 22

vallis Mori arida. psal. 84. 7
non Moritur homo casu, sed ex lege Dei. psal. 90. 3
Mors somnus. psal. 13. 4
Mors pernoctatio. psal. 49. 13
Mors immatura Hebræis quæ. psal. 55. 24
Mortales de sæculo. psal. 17. 14
Mortis dolores seu funes. psal. 18. 5
Mortis laquei. ibid. 6
Mortalis variæ periphrases. psal. 22. 30
Morte immatura rapiuntur impii. psal. 37. 18
Mortis immaturæ improborum comparatio cum morte agnorum pinguium & vitulorum. psal. 37. 20
Morte egregio animo Dei ac religionis causâ perlatâ peccata expiari Hebræorum Doctores asseruere. psal. 79. 2
Mortem Deus pluribus modis infert. psal. 68. 21
Mortua matre filio deest consolatio. psal. 35. 14
Mortui quomodò Deum laudare negantur. psal. 6. 6. & psal. 30. 10
Moschi qui, Meschech quid. psal. 120. 5
Moysem & Aaronem, eò quòd quodammodo diffiderant aquam è petra educi posse, in terram promissionis Israelitas non introduxisse, nonnulli ex Hebræis autumant. psal. 106. 33
Moyses seruus Dei. psal. 105. 26
Moyses quasi strenuus miles iræ Dei sese opponens depingitur. psal. 106. 23
Moyses an fuerit Sacerdos. psal. 99. 6
de Moyse & Samuele multa pariter dicuntur in sacris litteris. ibid.
Moyses quoties in Tabernaculum confugit, ab impetu populi tutus fuit. psal. 61. 5
Rabbi Moses doctor iustitiæ sapiens à Iudæis dicitur. psal. 19. 2
Multi, id est, angeli. psal. 55. 19
Munditiei internæ priùs studendum quàm externæ. psal. 73. 13
Mundi odia non sunt pertimescenda, Christi exemplum si velimus imitari. psal. 69. 5
Mundus hic operis, alter præmii. psal. 39. 14
Musica instrumenta multa nominantur psalmo 150. nobis ignota, sicut & nostra aliis sunt ignota. psal. 150. 5
Mutationes rerum omnium, siue soli, siue nationum, Dei prouidentia fiunt. psal. 107. 33. & seq.
Myrica quid. psal. 102. 18

N

NAblum quid. psal. 33. 2
Nauium beneficio homo mari imperat. psal. 8. 9. & psal. 104. 26
Nauigantes sæuiente vi ventorum ad Deum clamant exaudiunturque. psal. 107. 28. & seq.
Nechiloth quid significet. psal. 5. 1
Negandi particula sæpe ex priore membro ad posterius accersenda ex more linguæ Hebraicæ. psal. 9. 19
Neghinoth quid sit & significet. psal. 4. 1. & 69. 13
Neutro genere Hebræi carent, pro quo fœmininum vsurpant. psal. 27. 3
è Nigredine lux ac videndi facultas emergit, non secus ac lux è tenebris orta est. psal. 17. 8
Nilus in multos riuos & fossas diductus, instar multorum fluminum. psal. 78. 44
Niuis cum lana comparatio. psal. 147. 16
Noe Gen. 6. ter ponitur in 9. versu. psal. 1. 2
Nomen, quod ab antecedente in genitiuo regi deberet, sæpe præponitur absolutè, vt *Deus, perfecta via eius.* psal. 18. 31
Nomen Dei ipse Deus, & ipse Deus nomen suum. psal. 20. 2
Nomen Dei Iacob quid significet. ibid.
Nomen verbo eiusdem significationis adiunctum auget significationem. psal. 21. 7.
Nomen impiorum quî delet Deus. psal. 9. 6
Nomen impiorum manet ad ignominiæ exemplum. ibid.
Nomen sumptum pro decore & gloria. ibid.
Nomen Dei laudatum ab ortu solis vsque ad occasum. psal. 113. 3
Nomen Dei cognoscere quid. psal. 91. 14
Nomen Dei tetragrammaton memoria siue memoriale Dei. psal. 30. 5
Nomina sua, qui domos & vrbes extruxerunt, iis imposuerunt, ad sui memoriam conseruandam. psal. 49. 12
Nomini pluralis numeri distributiuè exponendo adiungitur verbum singulare. psal. 119. 98
Nominis eiusdem repetitio distributionem significat. psal. 133. 2
Nomen vnum Dei proprium & essentiale, alia sunt adiectiua seu formalia. psal. 145. 1
Nomina duo synonyma ad ampliorem significationem consuetudine linguæ Hebraicæ coniunguntur, psal. 11. 6. B col. 2
Noscere Deum viam iustorum quid sit. psal. 1. 6
Noscendi seu sciendi verbum curare significat. ibid.
Nouatores textui Hebræo addictissimi. psal. 32. 5
Nouissimum piorum & impiorum quale. psal. 37. 37. & 38.
dies & Nox in celebrando Deo veluti choreas ducunt. psal. 19. 3
Nox apud Hebræos in quatuor vigilias erat distributa, aut in tres. psal. 90. 4. & psal. 119. 148
Nox diem præcessit Hebræorum opinione. psal. 104. 19
Nocte Deus probat cogitationes hominum. psal. 17. 3
vnde ad Nocturnam Psalmodiam surgendum esse Ecclesia didicerit. psal. 119. 62
animam in bonis Pernoctare est fœlicitate frui alterius vitæ. psal. 25. 13
Nubes semitæ, vehiculum, equi Dei. psal. 65. 12
littera *Nun* Hebræis in calce nominum interdum est diminutiua. psal. 17. 8

O

OBedientia melior sacrificio. psal. 40. 7
Obuiam amanter excepturi Orientales exosculabantur. psal. 85. 11
super Octauam quid sit. psal. 6. 1
Oculi rectè dicuntur à Deo ficti. psal. 94. 9
Oculi elati superbiæ indices. psal. 18. 28
Oculi mœroris indices. psal. 31. 10
ab Oculorum Dei conspectu proiectus, id est, à Deo derelictus. psal. 31. 23
Oculi dicuntur non custodire legem Dei. psal. 119. 136

Oculi & cor proxenetę peccati. pſ.119.37
Oculos deficere quid. pſ.119.82
Opes igni ſimiles. pſ.37.16
Ophir terra aurea. pſ.45.10
Opus ſumptum pro mercede. pſ.109.20
Orantes exaudiuntur, qui mandata diuina cuſtodiunt. pſ.66.18. pſ.99.8
Orationis fundamentum in ere ex Ezra. pſ.14.4.
Orare ter in die decet, quòd ter dies varietur, ex Hebræis. pſ.55.18
in Oratione & precibus vis Deo grata. pſ.74.1. & pſ.77.8
radix Orationis intentio cordis. pſ.78.37
Orationes multorum à Deo non exaudiuntur, quia eum non inuocant in veritate. pſ.145.19
Orationes iuſtorum quomodo exaudiuntur à Deo. pſ.145.20
Orationum exauditio eſt Dei miſericordiæ. pſ.66.20
in Orationibus pij petitionis ſuę rationem gloriam Dei ponere debent. pſ.115.1
Oratio conciſa frequens in lingua Hebraica. pſ.10.16
Orationem reuerti in alicuius ſinum quid. pſ.35.13
in Oratione quę eſt, quaſi in ſpecula eſt. pſ.5.4
Orientalis ventus, ventus Domini, id eſt, vehementiſſimus vocatur. pſ.48.8
Ornandi corporis vna virginum & matronarum cura. pſ.148.12
Oſſa conturbata. pſ.6.3
Oſſa piorum non conterenda, quid ſignificat. pſ.34.21
Oſſa, corporis firmamentum. ibid.
Oſtium verborum Dei. pſ.119.130

P

PActum Domini quid. pſ.25.14
Palpebræ cuſtodes oculorum. pſ.77.5
Panis dicitur fulcire cor hominis. pſ.104.15
Panis firmamentum, fulcimentum vitæ. pſ.72.16
Panis vocatur baculus, quia fulcimentum vitæ. pſ.105.16
Paraſiti deſcriptio. pſ.35.16
Parturire iniuſtitiam, parere mendacium, concipere dolorem. pſ.7.15
Paſcere veritate quid. pſ.37.3
Pater filijs res quinque promeretur. pſ.112.2
Paternæ pietatis fructus in poſteros redundat. pſ.103.17. & 18.
Patres doctores & concionatores domeſtici. pſ.45.1
Patriarchæ peregrinati ſunt in pluribus locis. pſ.105.13
Patriarchæ, quia Prophetæ, idcirco vncti & chriſti dicuntur. pſ.105.15
Patrem & matrem derelinquere aliquem quid. pſ.27.10
Patrum iniquitatem Deus viſitat in filios, patrum ſcilicet veſtigijs inſiſtentes. pſ.11.11
quibus Patres ſeu parentes improbi calamitatibus, iiſdem probi filii interdum inuoluuntur, non tanquam pœnis, ſed remediis. pſ.21.11
Patientia in fide oſſa ſunt interna, quę frangi non poſſunt. pſ.34.21. A
Pauci, qui auxilium ferunt iuſto, pręſtant multis optimatibus qui impium adjuuant. pſ.37.16
Pauperes plebs Dei. pſ.72.2
voces quæ ſignificant Pauperes & manſuetos, valde affines. pſ.22.27
Pax incolumitatem ſignificat. pſ.29.11
montes afferre Pacem quid ſit. pſ.72.3
Peccata morborum cauſæ. pſ.41.5
Peccata cum rubro colore comparata. pſ.51.9
Peccata quędam hominem latent. pſ.19.13
Peccata nominibus tribus defectionis, aberrationis, & peruerſitatis nuncupata ad deſignanda tria peccatorum genera. pſ.32.2
in Peccato originali homines concepti. pſ.51.7
Peccatoris vox quid ſignificet. pſ.1.1
gloriatur Peccator, ſi ſuas cupiditates expleuerit. pſ.10.3
à Peccatoris cogitationibus longè abeſt Deus. pſ.10.4
proſperè ſuccedunt vię Peccatoris. ibid.5
Peccatoris os plenum maledictione. ibid.7
Peccatum cognoſcere quid. pſ.51.5
Peccauiſſe ſe ſoli Deo qui dicit Dauid. pſ.51.6
per quæ quis Peccat, per hęc & punitur. pſ.105.29
Pedes lauare mos Hebræis defatigatis. pſ.58.11
Pedes quaſi ceruarum. pſ.18.34.
Penuriam non eſſe timentibus Deum qui intelligendum. pſ.34.10
Perditio ſepulchrum. pſ.30.10
Peregrinantur homines in terra. pſ.39.12
Peregrinantes Dei prouidentia ſuſtentantur & conſeruantur. pſ.107.2
Periculis erepti ſolebant ad ſacrificia & publicum conuiuium vocare multos. pſ.22.27
Perfectus non eſt qui à malo quidem deflectit, ſed boni nihil agit. pſ.1.2
tertia Perſona pluralis hebraicè aliquando ponitur ſine antecedente nominatiuo. pſ.63.11
Perſonę ſubita mutatio in lingua Hebraica frequens & emphatica. pſ.7.9. & alibi ſæpe.
Peſtis ſagittæ optimè comparata. pſ.91.5
Peſtis in vltionem ſcelerum immiſſa. pſ.91.8
Petitiones noſtras rectè, atque vt decet, compoſitas Deus exaudit. pſ.37.4
Pharao commune Ægyptiorum regum nomen. pſ.74.13
Philiſtęorum non fuere plures reges, ſed Satrapę. pſ.2.1
Philiſtæorum Satrapas prę nimia ſuperbia regium nomen ſibi vindicaſſe vult Kimhi. ibid.
Philiſteis Dauidi duodecim tribuum regi declarato ſeſe opponentibus reges aliarum gentium ſe adiunxerunt. ibid.
Phineę zelus ſacerdotio muneratus. pſ.106.30. & ſeq.
Phyſica Chriſtiana. pſ.148. in arg.
Piger manum in ſinu abſcondit. pſ.74.11
Pij de Dei in promiſſis pręſtandis fide grauiter conqueruntur paſſim, & pręcipuè pſ.89.39. & ſeq.
Pij de piorum calamitatibus, & impiorum fœlicitate queruntur aliquando apud Deum. pſ.73.1 & ſeq.
Pii liberales ſe ergà pauperes præbent. pſ.37.21
Piorum filii ad paupertatem plurimùm non rediguntur. 37.25
Pietas ad omnia vtilis. ibid.
Pietati ſtudere debet, hoſtibus qui cupit eſſe ſuperior. pſ.27.11

Piorum

Piorum hostes & aduersarii herbæ in tectis statim exarescenti comparantur. ps. 129. 6. & seq.

quomodo concilianda illa antitopia, *Beatus qui timet Dominum, &, omnes qui Pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, 2. Timoth. 3. ps. 112. 2

Pii cum improbis, quia in eodem loco versantur, sępe plectuntur. ps. 21. 11

Pii & impii quę sit distinctio ratione aduersorum & afflictionum. ps. 37. 24

Pii viri comparatio cum arbore. ps. 1. 3

Pii frumento similes. ibid. 4

Pii bonum & malum à Deo immissum credunt, & de vtroque gratias agunt. ps. 33. 4

Piis quicquid aduersi accidit, à Deo est. ps. 69. 27

Piorum hęc est conditio, vt in hac vita affligantur. ps. 18. 28

Pios interdum Deus deprimit, vt postea altiùs attollat. ps. 91. 15

Pius de se modestè sentit. ps. 15. 4. C

Pius affligit se ieiunio, planctu, &c. ps. 15. 4. D

Pii quomodò repleantur plenitudine dierum. ps. 91. 16

Plenus dierum & senex distinguuntur. ibid.

Plenitudo terrę quid. ps. 24. 1. & 89. 12

Plurale pro singulari vsurpatur honoris ergô. ps. 89. 7. & ps. 149. 2

Pluuię pater Deus. ps. 104. 13

Pluuię à Deo concessę commendatio. ps. 65. 10. & seq.

Pluuia tanquam insigne Dei opus sępe in sacris litteris prędicatur. ps. 65. 7. ps. 147. 8

Pœnitentia in Deum quî cadat. ps. 106. 45

Pœnitentiæ via à diebus orbis conditi à Deo monstrata. ps. 25. 8

Pœnitenti Deus non denegat veniam. ps. 51. 6

cùm publicè Pœnitentes Ecclesiæ reconciliabantur, Psalmi pœnitentiales canebantur. ps. 130. in arg.

de Pœnis Purgatorii Rabbini nobiscum sentiunt. ps. 32. 4

qui plectuntur Pœnis à Deo, fictè ad illum sæpe conuertuntur. ps. 78. 36

qualis est Pœnitentia, talis est venia. ps. 78. 38

hominis quem Deus ad Pœnam rapit, atque insectatur, egregia descriptio. ps. 35. 5. & 6

Ponere aliquem benedictiones. ps. 21. 7

Ponere aliquos humerum, seu dorsum. ps. 21. 13

Ponere timorem super aliquem est incutere alicui timorem. ps. 9. 21

Ponere super cor quid. ps. 50. 23

Ponere aliquem locum in aceruum lapidum. ps. 79. 1

Ponere aliquem locum in pomorum custodiam. ibid.

duos tantùm aliquando futuros Populos, Israëlitas cum Lege, Gentes cum septem præceptis filiis Noë traditis, Hebræi credunt. ps. 117. in arg

Populus Dei. ps. 3. 9

Populus à potentioribus direptus cum pane comparatur. ps. 14. 4

Populus, plebs, gens vsurpantur de feris & animalibus quibuslibet. ps. 74. 14

Populi cultu veri Dei in Veteri lege, & fide Christiana post Verbum Incarnatum adunati. ps. 102. 23

qui Populo Dei iniuriam facit, Deo facit. ps. 83. 3

Portæ iustitiæ quæ. ps. 118. 19

Portæ sæculi, æternitatis quid. ps. 24. 7

in Portis conuentus agebantur, iudiciáque exercebantur. ps. 9. 15. & 125. 5

Portenta & prodigia, quæ Deus in Ægypto Israelitarum causa patrauit, recensentur ps. 78. 12 & seq. ps. 105. 28. & seq.

Potare aliquem felle & aceto, allegorica locutio. ps. 69. 22

Potentia Dei in eo magis elucet, quòd tot gentibus, quæ in terra Chanaan degerent, expulsis, Israelitas in ea collocarit, quàm quòd ex Ægypto eduxerit. ps. 111. 6

Præceptum quid significet. ps. 119. in arg.

Præceptum Domini quid. ps. 19. 9

Præceptum Domini illuminat oculos. ibid.

Pręceptum Domini quî latum valde. ps. 119. 96

Pręcepta septem tradita filiis Noë, ad quę Gentes tenerentur. ps. 117. in arg. & in omissis pag. 237

Pręcepta affirmatiua & negatiua. ps. 34. 15. & 37. 27

Precatio iusti assidua sacrificium boni odoris. ps. 85. 6

in Precationibus affectuum varię vices. ps. 71. 8

Pretiosus quid significet. ps. 49. 9

Primogenitus principium roboris, fortitudinis patris. ps. 78. 51. ps. 105. 36

Principis est non tam pro sua, quàm suorum salute precari. ps. 4. 4

Principes vocantur Dii. ps. 29. 1

Principes clypei seu scuta terræ. ps. 47. 10. & 84. 10

Principum auctoritas & contemptus à Deo. ps. 107. 40

Principes à truculentia vituli pingues denominati. ps. 22. 13

Principum electio penes Deum. ps. 78. 70

Principes populi sui Deus è caulis ouium & cura pecorum assumpsit. ibid.

Principes subditos suos familię onere grauatos vrgere non debent, sicut nec pastor oues fœtas. ibid. 71.

Principum officium pastorum officium. ibid. 72

Probos, vt filios, tristiori disciplina continet Deus, improborum, vt vernarum, licentiam tolerat. ps. 73. 5

Proborum magna penuria. ps. 12. 2

Procellæ & venti à Deo sunt, & excitãtur. ps. 148. 8

Progressio à majori ad minus frequens in sacris scripturis. ps. 1. 1. pag. 3. col. 2. C

Proiectus in Deum ex vtero quid sit. ps. 22. 11

Deum Proiicere aliquem à facie sua. ps. 51. 13

in Promisso veritas, fidelitas, & iustitia. ps. 119. 123

Pronomina affixa nominibus propriis non competunt. ps. 51. 14

Pronomina ex vsu Scripturæ & Hebræi sermonis non pręponuntur. ps. 22. 11

Pronomina singularis numeri pro plurali distributiuè accipiuntur. ps. 111. 10

Pronominum vsus actiuus vel passiuus. ps. 2. 6

Pronomen relatiuum sæpe abundat in lingua Hebraica. ps. 10. 15

Prophetæ in captiuitate Babylonica Iudęis aliquãdo defuerunt. ps. 74. 9

Prophetę res futuras per pręteritum tempus enuntiant. ps. 2. 1

Propheticus spiritus Dauidem destituit post peccatum, idémque ei post pœnitentiam restitutus. ps. 51. 14. & 21

Propitiatorium semper obuersum habebant Tribus Beniamin, Ephraim & Manassis in deserto.

ps. 80.3

Particula *propterea* non vsurpatur illatiue interdum, vt ps. 45.3

Prouerbium seu parabola Hebraicè dicitur à dominando, quòd veluti in oratione dominetur. ps. 49.5

qui Prouidentiam Dei negant, dicuntur ab Hebræis furari scientiam excelsam. ps. 64.6

Proximorum nomine qui intelligendi. ps. 15.3

Prudentia manibus tribuitur. ps. 32.4. & 78. versu vlt.

Psalmi quidam Alphabetici, sed non omnes eodem modo, & quamobrem ita compositi. ps. 25. in arg.

Psalmi alphabetici inter alios eminent. ibid.

in Psalmis vbi legitur canticum nouum, de futuro intelligendum ex Rasi. ps. 96. in arg.

in Psalmis mutationes subitæ latentes & obseruatu difficiles. ps. 110.5

de Psalmorum titulis Hebræi fatentur se nil scire. ps. 4.1

in Psalmis posterior pars versus priorem explicat. ps. 1.5

in Psalmis quæ de Christo sunt intelligenda, ea primò, si fieri potest, de Dauide, vt Christi typo, sunt exponenda. ps. 2. in arg.

Psalmi nomine cur vtatur Dauid etiam in tristibus. ps. 3. in arg.

Psalmus Dauidi, hebraismus. ps. 3.1

medium Libri Psalmorum psalmo 78. inter versum 35. & 36. ps. 78.35

Psalmorum omnium auctorem Dauidem esse, & in eum ordinem, quo nunc sunt, digessisse non est probabile. ps. 41.14.

Psalmorum libri quinque altera Pentateuchus. ibid.

Psalmi quare in eum ordinem, quem habemus, sunt digesti. ibid. & ps. 72.20

Psalmorum autores extra propositam materiam sæpe à Spiritu sancto abripiuntur, & de se ea scribunt ac dicunt quæ non cogitant. ps. 67.8. & ps. 69. in arg.

Psalmos illos omnes qui nullum autoris nomen præferunt, Dauidis esse volunt Ezra & Kimhi. ps. 43. in arg.

Psalmos inter se cohærere, eumque seruare ordinem, quo scripti sunt, non est necesse. ps. 57. in arg.

Psalmus 45. epitome Cantici Canticorum. ps. 45. in arg.

postremus Psalmus quem scripserit Dauid, est septuagesimus secundus iuxta Hebræos. ps. 72. 20. & in arg.

Psalmorum quinque libri pari ferè modo terminantur. ps. 41.14

pro Publica salute Deo grates agere singuli debent. ps. 66.16

Pueritia in sacris litteris interdum significat tempus egressionis ex Ægypto. ps. 48.15

Pulueri seu pauimento adhærere quid. ps. 119.25

Pupilla Hebraicè dicitur *ischon*, (ab *isch* quod virum seu hominem significat) quasi homunculus. ps. 17.8

Puritas manuum. ps. 18.21

Q

QVærere animam alicuius & in bonam & in malam partem sumitur, sed diuerso verbo hebraico, ac syntaxi. ps. 142.5

Querelis aptæ sunt interrogationes. ps. 13.2

in Quinque libros distributi psalmi, & cur. ps. 41.14

Quis dabit, est optantis, non dubitantis. ps. 14.7

R

RAab idem ac Ægyptus. ps. 87.4

Rabbini in omnibus locis, qui sunt de Christo, miserè cæcutiunt. ps. 2.1

Ragaz quid significet. ps. 4.5

Rasi, id est, Rabbi Salomon Iarchi, Gallus Lunensis aut Trecensis. ps. 9.17

Rasi ob insignem doctrinam *Caput tribuum Israel* Iudæi cognominant. ps. 18.35. & ps. 42.2

Redeundi aut Reuertendi verbum absque præpositione cum altero verbo iunctum quasi aduerbiascit, & *iterum* significat. ps. 71.20

Redimere se à morte nemo potest. ps. 49.8 allusum ad Legem, quà tauri, qui hominem occidisset, Dominus sciens bestiæ vitium se Redimebat pretio à Iudice imposito, maximè si parentes aut cognati hominis occisi postularent, & consentirent, aut certè morte plectebatur. Minùs hoc in Commentariis fuerat explicatum. ibid.

Deus Redimit à manu inferi. ps. 49.16

Repetitione eiusdem sententiæ vel verbi ingens animi motus seu studium designatur passim, vt ps. 15.1. & 12

Redire sæpius ire. ps. 81.15

Reschaim, quod à Lat. *impii* reddi solet, *inquietos* propriè sonat, & quos. ps. 1.1

Vox tamen illa de quibuscumque sceleratis haud rarò vsurpatur. ibid.

Respicere Deum super aliquem quid. ps. 66.7

Reticentiæ frequentes in sacris litteris. ps. 27.13

Reticentiæ iratis aptæ. ibid.

Retribuere nobis Deum quid. ps. 103.2. & ps. 119.17

Retribuit Deus super chordam, quid. ps. 31.24

Retribuit abundanter facientibus superbiam, iuncto abundanter cum facientibus. ps. 31.24

Reddere retribuenti mala. ps. 7.5

Retribuere non semper par pari reddere. ps. 13.6

Requies triplex. ps. 95.11

Reuerti quid significat. ps. 59.7

Rex meus actiuè & passiuè. ps. 2.3

Regnat Deus multò præstantiùs quàm Reges terræ. ps. 96.10

Reges, præsertim pii, filii Dei. ps. 2.7

in Regnum sibi destinatum Dauid precatur asseri, vt Ecclesia motibus dissipata colligatur. ps. 7.1. in arg.

Regem commotum cum leone sacræ litteræ solent conferre. ps. 7.3

Regibus opem fert Deus miserijs pauperum excitatus. ps. 12.6

Reges bellis ac periculis defuncti Dauidem, non Nabuchodonosorem imitari debent. ps. 18. in arg.

Regi nouo, *Viuat Rex*, inclamabat populus. ps. 18. 47
Reges Dei ministri. ps. 22. 29
Reges Ezechias & Iosaphat, afflictis rebus, ad Deum confugerunt. ps. 48. 10
Regum sublimitas ipsos admonet periculosioris ruinæ, si cadant, subditos verò obsequij. ps. 89. 20
Regem habere non extraneum, magnum Dei munus. ibid.
Misericordia, & veritas, seu, fides in præstandis promissis, custodiunt Reges. ps. 61. 8
Regum nomine quid intelligatur. ps. 105. 30
Regis beneuolentia rori comparata. ps. 133. 3
præclarum moderationis & pietatis erga Reges exemplum. ps. 142. in arg.
Reges montes vocantur. ps. 76. 5. ps. 97. 5. ps. 144. 5
Regum propugnator Deus. ps. 144. 10
Reges quales esse debeant. ps. 101. toto, & in arg.
Reges ad regnum à Deo vocantur, in eòque stabiliuntur. ps. 101. 1
Regis interest esse bonum & bene viuere. ibid. 2
Regibus, licet omnia possint, solùm tamen quod iustum est, licet. ibid. 3
Reges consiliarijs fidelibus, indigenis, sicut & ministris probis, vti debent. ibid. 6
Reges ministris seu famulis versipellibus ac mendacibus ne vtuntor. ibid. 7
Regnauit à ligno Deus, an (*à ligno*) sit detractum necne. ps. 96. 10
Robur cordis quid. ps. 75. 26

S

Saba per schin dexterum maxima est Arabiæ Fœlicis vrbs. ps. 72. 10
Sabbathi dies ex Kimhi melior reliquis diebus. psal. 92. 2
Saccis in luctu accingebantur Hebræi. ps. 30. 12
Saccum concidere, id est, luctum mittere. ibid.
Sacrificia laudis, ps. 107. 22. & precum, ps. 141. 2
Sacrificia post peccatum præcepta. ps. 40. 7
Sacrificia pacificorum, oblationis & holocausti qualia. ps. 40. 7
Sacrificia iustitiæ quæ. ps. 51. 21
Sacrificia sine fide & operibus sacrificia mendacia. ps. 50. 8
Sacrificia hominibus vtilia, non Deo. ps. 50. 12. & 13
Sacrificare sacrificium iustitiæ quid. ps. 4. 6
Sacrificiis auspicari grauiora quæq; negotia, adeòq; bella, moris erat apud Hebræos. ps. 20. 4
Sacrificiorum cum odore comparatio. ibid.
in Sacrificio respuebat Deus macilentas & morbidas pecudes. ibid. 5
Sacrificia quo fine instituta. ps. 26. 7
Saddai quid significet. ps. 91. 1
Sagittandi verbo repentinum exitium notatur. ps. 64. 8
Sale conspergebatur locus ad solitudinem & sterilitatem damnatus. ps. 107. 34
Salomonis regnum imago fuit regni Christi. ps. 72. in arg. & v. 8
Salomone regnante pax viguit, quæ statim à morte ipsius turbata est. ps. 72. 7
Regni Salomonis termini. ps. 72. 8
quomodò intelligendum Reges omnes per singulos annos Salomoni detulisse munera. ps. 72. 11
Saluare se, seu, Salutem sibi afferre quomodò Deus dicatur. ps. 98. 1
Salus & prosperitas veluti splendor & lux. ps. 18. 29
Samuelem affirmat Kimhi Prophetarum sui temporis fuisse maximum, & fortasse omnium secundùm Moysem maximum. ps. 99. 6
de Moyse & Samuele multa pariter dicuntur in sacris litteris. ibid.
Sancti Israelitæ vocantur à meliori parte. ps. 50. 5 & ps. 111. 1
Sancta Ecclesia vocatur à potiori parte. ps. 50. 5
Sancti qui ex Ezra & Kimhi. ps. 34. 10. & ps. 111. 1
in Sancto via Dei, quid. ps. 77. 14
propter Sanctos, qui sunt in terra sepulti, omnia nobis dari à Deo sentit Rasi Iudæus. ps. 16. 2
Sanctuaria duo Hebræi constituunt, vnum in cœlis, alterum in terris positum è regione cœlestis. ps. 68. 36
Sanctuarij partes tres. ps. 73. 17
Sanctuarij nomine sacra Scriptura intelligitur à Lyrano. ps. 73. 17
Sanctum Dei quid. ps. 150. 1
laudare Deum in Sancto. ibid.
Sanctus Israel, id est, Deus. ps. 78. 41
Sanguis & Sanguines dicitur in sacra scriptura, quòd vna sit res, & subiectum quatuor humorum ex Ezra. ps. 51. 16
Sanguinis humani effusionem vt ostenderet Deus se valde execrari, belluas ipsas, quæ hominem interemissent, licet rationis expertes, occidi iussit. ps. 145. 18
Sapientiæ Dei non est numerus, quomodò intelligendum. ps. 147. 5
Initium Sapientiæ timor Domini. ps. 111. 10
Sarion siue Sirion quid. ps. 29. 6
Saul Chus, id est, Æthiops à Dauide appellatus. ps. 7. 1
Saulem suo ipsius gladio periturum Dauid prædicit. ps. 7. 1. in arg. & v. 15
Saul sagittis Philistæorum vulneratus gladio suo incubuit. ps. 7. 15
Saul leoni comparatus. ps. 17. 12
Saul Dauidem persequens in spelunca Engaddi maiori in periculo vitæ fuit quàm Dauid. ps. 142. in arg.
Sceptrum improbitatis pro tyrannide. ps. 125. 3
Schalisch, triental, mensura magna. ps. 80. 6
Scheol vox ambigua sepulchrum & infernum significans. ps. 6. 6. & ps. 9. 18
Sepulchrum Hebraicè dicitur à postulando. ibid.
Schiggaion quid sit. ps. 7. 1
Schoschannim quid significat. ps. 45. 1
Scribæ ac Legis periti, qui præcepta Dei in ore solùm habebant, arguuntur. ps. 50. in arg. & v. 16. & seq.
varietas in sacræ Scripturæ interpretibus. ps. 95. 10
Scripturæ mos est, vt ea omittantur, quæ nullo negotio ex prædictis intelligi possunt. ps. 142. 5
in Scripturæ sacræ libris aliis cum eadem aliter ac diuersimodè sint reddita, mirum si ab iisdem interpretibus. ps. 31. 14
Scriptura sacra ea quæ immediatè & proximè antecesserunt, solet primo loco resumere. ps. 74. 16
Secretum Dei quid. ps. 25. 14
Sedere super solium Domini quid sit. ps. 72. 1
Sedere in consessu derisorum. ps. 1. 1
Sedendi verbum securitatem notat. ibid.
Segbor instrumentum bellicum. ps. 35. 3
Sela vox Hebraica quid significet. ps. 3. 3. & ps. 9. 17
Selmon mons opacus arboribus, niuibus splen-

descens. ps. 68. 15
Senectutem quietam nemo sibi polliceri potest. ps. 71. 9
non soli Senes sapientes. ps. 119. 100
Sensu carentia sæpe in sacris litteris ad gaudium & tristitiam inuitantur. ps. 96. 11
Sensus plures esse possunt vnius loci. ps. 1. 7
Septenarius numerus Hebræis perfectus. ps. 79. 12
Septies ponitur in sacris litteris pro numero incerto & indefinito. ps. 119. 164
Septenarius numerus, numerus perfectionis & habens aliquid mysterii. ibid.
Septuplum multoties significat. ps. 12. 7
quod Septuaginta interpretes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum: quod Hebraica veritas habet, ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. ps. 74. 8
Sepulchra concupiscentiæ. ps. 78. 18
Sepulchrum dicitur perditio, quia in illo corpus perit. ps. 88. 12
Sepulchrum terra obliuionis, silentium, ibid. 13. excisio, ps. 94. 17. ps. 115. 17
Sermo seu Verbum quid. ps. 119. in arg.
distinctio inter Sermonem, verba & vocem. ps. 19. 4
Seruitus Dei læta. ps. 100. 2
Serui Dei vocantur Cyrus & Darius. ps. 102. 16
Seruiendum Deo, etiam absque spe præmii. ps. 119. 112
Seruus Dei quis sit. ps. 18. 1. & ps. 79. 2
Seruorum Dei genera duo: hinc Seruus Dei Dauid, Seruus Dei Nabuchodonosor, sicut & Leuiathan siue Dæmon. ps. 18. 1
Seueritas, quam in impios Deus exercet, piis est misericordia. ps. 143. 12
Si particula iurandi & negationi æquiualens. ps. 95. 11. & ps. 89. 36
Si non in iuramentis affirmat. ps. 131. 2
particula *Sic* summum animi ardorem denotat. ps. 63. 3
Sichima quid. ps. 60. 8
Silentium sermonis seu vocis, operis & motus. ps. 4. 5. & ps. 31. 18
Silentium. Vide Sepulchrum.
Silentium laus Dei. ps. 65. 2
Silo in parte Tribus Ephraim filii Ioseph. ps. 78. 67
Siloë fluuius quis. ps. 46. 5
Similitudines in sacris scripturis sumuntur à rebus quoq; , quæ non probantur, aut non creduntur etiam. ps. 58. 5
Simplices qui. ps. 116. 5
Simplex quis: in bonam & in malam partem vsurpatur. ps. 19. 8
in Sione quando templum dicitur ædificatum, Sionis appellatione mons Moria continetur. in omissis pag. 242. tom. 1. & ps. 132. 14.
Sion medium terræ habitabilis. ps. 50. 2. & 87. 3
de Sion exiuit Lex initio facto prædicationis Euangelicæ in Ierusalem. ps. 2. 6. & ps. 110. 2
in Sione habitaturum Deum, antequam esset in potestate Israëlitarum, vetus erat traditio. ps. 9. 12
Sisaræ clades describitur. ps. 83. 10
Sitis difficilius toleratur quàm fames. ps. 42. 3
Situs omnes hominis ambulare, stare, sedere. ps. 1. 1. & ps. 139. 3
Soccoth quid. ps. 60. 8
Solatio omni destitutis Deus Solatium. ps. 113. 1
Solemnitas siue festum ponitur pro sacrificio. ps. 118. 27
Solis ortus, vt & reliquorum syderum, in sacris litteris dicitur exitus, sicut occasus ingressus. ps. 65. 9
Sol cum sponso comparatur & cum celeri cursore. ps. 19. 6
duplex ejus motus eàdem illa duplici comparatione adumbratus. ibid.
Solis calor est mundo quod calor cordis corpori humano. ibid. 7
à Solis luce subducere se quis potest, non autem à calore. ibid.
Solis idolum Moloch siue Baal dictum. ps. 106. 37. pag. 190.
Somnum, liberam & tranquillam mentem Deus suis largitur dilectis. ps. 127. 2
Sophene in Armenia maiore. ps. 60. 2
Sors iustorum pro Ecclesia. ps. 125. 3
leuiter Sperare in Deo, quàm firmiter in hominibus præstat. ps. 118. 8
Spes quomodò ponenda in hominibus. ps. 146. 3
an Stellarum numerus determinatè cognosci possit. ps. 147. 4
Spinas intelligere rhamnum quid. ps. 58. 10
Spiritus spontaneus quis. ps. 51. 14
Sponsi Christi descriptio. ps. 45. à 1. ad 10
Sponsæ item descriptio. ibid. 11
Sponsa omnium debet obliuisci, quę antè charissima habuit, si sponso placere velit. ibid. 11. 14. & seq.
Starè in via peccatorum quid sit. ps. 1. 1
Standi verbum moram & pertinaciam indicat. ibid.
Stabunt significat vel resurgent, vel absoluentur. ps. 1. 5
Statutum quid significet. ps. 119. in arg.
Stellæ luminis planetæ. ps. 148. 3
plures sunt Stellæ minores, quæ fugiunt oculorum nostrorum obtutum, ideo tantùm conditę, vt in terrena hæc agant, ex Rabbinis. ps. 147. 4
nulla est herba in terra, cui non sit Stella supra, quæ illam afficiat, ex Rabbinis. ibid.
Stulti est in Deum irasci. ps. 37. 8
Stultitia idololatria. ps. 85. 9
Substantiua in genitiuo pro adiectiuis ad maiorem emphasim Hebræi vsurpant. ps. 31. 3
dum Superbit impius, persecutionem patitur pauper. ps. 10. 2
Superstitiosi externis tantùm ritibus, non autem internę pietati addicti arguuntur. ps. 50. in arg. & v. 8. & seq.
Susan quid significet. ps. 60. 1
Sycomorus ficus syluestris valde familiaris in Ægypto. ps. 78. 47
Syluę igni correptę cum exercitu seipsum mutuis vulneribus conficiente comparatio. ps. 83. 15
Synonyma duo simul iuncta augent significationem. ps. 35. 7. ps. 40. 3
Synonymorum congeries valet ad amplificandum, neque est superflua, vbi de Deo præsertim agitur. ps. 145. 5
Syria interamnis siue Mesopotamia. ps. 60. 2
Syria Soba quæ. ibid.
Syriaca Psalmorum versio Latinè reddita à Gabriele Sionita. ps. 24. 7

T

TAbernacula pro Tabernaculo in singulari, quia erant plures partes vnius Tabernaculi. ps. 83. 2
per Tabernaculum Dei quid intelligendum. ps. 15. 1
habitare in Tabernaculis est vrbanam vitam ducere. ps. 91. 10
Tanis vrbs Ægypti regia. ps. 78. 12
in Templi atrijs stabat populus Israeliticus, nec vlterius ei progredi licitum erat. ps. 84. 3
in Templo seu domo Sanctuarij nunquam nidulatæ sunt aues. ibid. 4
Templi seu Sanctuarij locus in quiete Iacob Patriarchæ visus. ps. 132. 2
Templum non in Sione pręcisè, sed in Moria proximo monte ædificatum. ibid. 14
Templum sumptum pro Tabernaculo conuentus, vel pro loco Arcæ. ps. 27. 4
Templum Hierosolymitanum à Chaldęis dirutum. ps. 74. 6
Templa in Gallia ab hęreticis diruta. ibid.
Tempus sumptum pro calamitate, & exitij die. ps. 81. 16
Tempus faciēdi Domino quid significat. ps. 119. 126
Tempus inueniendi. ps. 32. 6
Temporalium bonorum promissiones intelligendę cum exceptione castigationis & crucis. ps. 112. 2
Tentare Deum quid. ps. 78. 18. & ps. 95. 9
Tentatus Deus ab Israelitis decies per desertum. ps. 78. 40
Terminus sanctitatis terra Israel. ibid. 54
Terram, quum regem adeunt Orientales & Asiatici, exosculari solent. ps. 72. 9
Terra accincta lætitia, exultatione, sicut & in planctu saccis accincta dicitur. ps. 65. 13
Terra ouibus induta, frumento operta. ibid. 14
Terræ bases grauitas & figura sphærica. ps. 104. 5
Terram quî fundauit Deus super maria. ps. 24. 2
Terra obliuionis sepulchrum, cur. ps. 30. 10. & ps. 88. 13
Terrę termini quid. ps. 2. 8
Terrę promissæ termini. ibid.
Terræ extremum quid. ibid. & ps. 135. 7
Terra viuentium quid. ps. 27. 13
veteris Testamenti verba præter primum & litteralem sensum quem habent, significant etiam aliquid ad Christi historiam & fidem pertinens. ps. 69. in arg.
noui Testamenti cultus internus & spiritalis. ps. 96. 8
Testimonium in sacra scriptura quid significet. ps. 19. 8. & ps. 119. in arg.
Textui Hebræo etiam cum punctis parciùs manus admouendæ. ps. 24. 4
Tharsis, mare quod Ciliciam alluit. ps. 72. 10
Theodosius Imperator humi stratus veniam à D. Ambrosio petens dixit, *Adhæsit pauimento anima mea.* ps. 119. 25
Theodulphus carmen passionis, sc. *Vexilla Regis prodeunt*, composuit. ps. 96. 10
Thopheth & Moloch idem ex Rasi. ps. 106. 37 pag. 189. col. 1. A
Thopheth ex Kimhi nomen loci, vbi à parentibus traducebantur liberi in gratiam Moloch. ibid. col. 2. B
vel ex Abarbinel excelsum Moloch. ibid. pag. 190. B
Timentes Dominum qui. ps. 128. 1
Timere Deum quis dicitur. ps. 112. 1
Timor Domini principium & radix pręceptorum. ps. 19. 10
Timor Domini pertinet ad ea, quæ quis clàm omnes homines faciat. ibid.
Timor Domini pręcepta negatiua significat, ideóque in ęternum permanens dicitur. ibid.
Tonitru, Dei vox. ps. 18. 14. & ps. 29. 3
Tonitrua vehementiora terram concutiunt. ps. 77. 19
Topheth. Vide Thopheth.
Torrentes impij. ps. 18. 5
Tradere in manus. ps. 10. 14
Traditiones apud Iudęos. ps. 19. 8. & ps. 119. 128
Trahi cum peccatoribus. ps. 28. 3
Tranquilli, id est diuites. ps. 123. 3
afflictiones pręteritæ, vbi successit Tranquillitas, somnij instar. ps. 126. 1
Trinitatis mysterium indicatur. ps. 67. 7
Tristibus læta succedunt. ps. 126. 6
Tubarum clangor apud Hebręos manumissionis signum. ps. 81. in arg.
Tubarum festum. ibid. & v. 6
Tubarum festum, initium anni ciuilis apud Hebræos. ibid.
Tubarum clangore festa omnia apud Israelitas celebrabantur. ibid.
Tyrannidi Ecclesia interdum subjacet, sed non diu, & cur. ps. 125. 3
Tyrannis Ecclesiam opprimit nunquam. ibid.
Tyrannis virga seu sceptrum improbitatis appellatur. ibid.

V

VAllis vmbrę mortis quid. ps. 23. 4
homines Vanitatis, seu, mendacij. ps. 26. 4
Vasa mortis, id est, instrumenta mortifera. ps. 7. 14
Vegetabile rectè dicitur occidi, quia ipsi inest anima vegetans. ps. 78. 47
Venti nuntij & ministri Dei. ps. 104. 4
Verbum apud Hebręos rem quamcunque significat. ps. 7. 1. ps. 33. 4
Verbum Domini rectum, quî intelligendū. ps. 33. 4
vbi Verbum pro decretis & iudiciis.
Verbum Dei lux, lucerna. ps. 119. 105
Verbum Dei quid. ps. 119. in arg.
Verbum Dei iuramentum. ps. 89. 4
quum Verba duo apud Hebręos immediatè absq; coniunctione ponuntur, prius à Latinis per aduerbium reddi solet. ps. 106. 13
Verba præteriti temporis in generalibus sententiis, vt & futura, per præsens exponenda. ps. 1. 1
Verba quando sunt partim pręteriti temporis, partim futuri, pręsens, hoc est, medium tempus commodè eligi potest. ps. 2. 1. & ps. 65. 10
Verbum primum subsequentia post se trahit, & adstringit ad idem tempus, nisi quid forsan obstet. ps. 2. 1
Verbum futuri temporis sæpe significat continuum actum, ac præsens & pręteritum includit. ps. 3. 5
Verba tertię & secundę personæ sępe mixta in Psalmis, habéntq; elegátiam & emphasim. ps. 4. 2
Verborum tempora in Psalmis distinguenda & exponenda magis ex filo orationis quàm ex litteris

temporum figuratiuis. ps.18. 44
Verbum apud Hebræos interdum non conuenit in genere cum nomine,& quando. ps.31.7
duorum Verborum absque copula prius à Latinis commodè per participium exponitur. ps.88. 11
Veritas Dei est constans Dei fides in præstandis promissis. ps.26. 3
Versus tres Psalmo 13. aut secundùm Hebræos 14. post versum 4. inserti, vnde desumpti. ps.14. 3
Via Dei quid. ps.119. in arg.
Viam seu iter perire. ps.1. 6
Via perire. ps.2. 12
Via doloris. ps. 139. 24
Via æterna. ibid.
Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas,quî intelligendum. ps.25. 10
Vicini Dei. ps.76.12
post aliquam Victoriam à populo Israelitico partam mulieres ex consuetudine epinicia canebāt. ps.68. 12
Videre afflictionem de hostibus. ps.9. 14
Victus operâ quærendus. ps.128.2
Vigiliæ quid & quot. ps.63.7
Vinum lætitiam parit. ps.104.15
Vinum in libamen Deo offerebatur, cum cantico, quod vino erat peculiare. ibid.
Vinum rubrum apud Iudæos præcipuum. ps.75.9
Virga Dei quid. ps.23.4
Virga improbitatis pro tyrannide. ps.125.3
Visitare in bonam & malam partem sumptum. ps.59.6
Visitare aliquem in bonam partem, visitare super aliquem in malam partem. ps.8.5
Vita peregrinatio. ps.119. 54
Vita hominis halitui & vmbræ prætereunti similis. ps.144. 4
Vita hominis vmbra, & viuentes locustis similes. ps.109. 23
Vitæ breuitas. ps.39. 6. & seq.
Vita hominis vanis rebus exercetur. ps.39. 7
Vitam sibi prolongari pii exoptant, quò Deum diutius in terris colere possint,ad augendam animæ mercedem. ps.6. 6
Securum debere esse de futura vita arbitrati sunt Rabbini eum, qui ter quotidie ore, corde & lingua (scilicet intellecta) recitaret psalmum 145. ps.145. in arg.
Vita humana vigiliæ nocturnæ vni comparata. ps.90. 4
Vita humana nimbo, somnio,flori seu herbæ comparata. ps.90. 5
Vita humana parti diei naturalis similis. ibid. 6
Vita humana sermone velociùs fugit. ibid. 9
Vitæ humanæ spatium septuaginta,aut ad summum octoginta anni. ibid. 10
Vitam Deus largitur hominibus, non parentes. ps.100. 3
Vitulus trienni minor non erat aptus sacrificio. ps.69. 32
Viuat Deus,quî exponendum. ps.18. 47
Viuit Dominus, & viuit aliquis, forma iuramenti, quid significat. ps.63. 12
Vltionis diuinæ celeritas. ps.18. 11
Vngebantur Iudæi oleo & vnguentis,elegantiæ & voluptatis causâ. ps.92. 10
Vnctio Aaronis facta est inter oculorum supercilia, instar cappa aut chi græci. ps.133. 2
Voluntaria sacrificia quæ. ps.119.108
Voluntaria oris quid. ibid.
falsis deliciis & corporis Voluptatibus dediti atq; occupati nulla ex diuinæ legis studio voluptate afficiuntur. ibid. 70
Votum primus nuncupauit Iacob. ps. 132. 2
Vota in calamitatibus nuncupanda ex Hebræis, etiam antiquissimis. ibid.
Vox tonitrui (Dei) in rota quid. ps.77.19
Vox virtutis, vox tonitrui, vel vox Euangelij. ps.68. 34
Vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau, prouerbium in eos, quorum facta verbis non respondent. ps. 50.16
duæ Voces synonymæ simul iunguntur ad maiorem emphasim. ps. 65. 6
Vociferationis sacrificia. ps. 27. 6
Vsuram accipere ab extraneo Israelitis permissum, ab Israelita verò minimè. ps.15. 5
vocabula Vultus & dexteræ sunt honoris & lætitiæ. ps16. 11
à Vultu Dei iudicium egredi quid sit. ps.17. 2. pag. 66.& 69
Vxor sapiens penetralibus ędium se continet. ps.128. 3. & in omissis pag.289
egregia Vxoris comparatio cum vite. ps. 128. 3

Z

Zelum Loth & Dauidis propter peccata in Deum commissa perpauci ęmulantur. ps.119.139
Zelus Domus Dei. ps. 69. 9

Acheué d'imprimer le vingt-troisiesme de Ianuier, mil six cent trente, à Paris.



